BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
17 N
25

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

A

12.17 h.2.

NICOLAI MASINII CAESENATIS,

PHILOSOPHI ET MEDICI

DE GELIDI POTVS ABVSV.

LIBRI TRES.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE

Aſſentientibus Superioribus.
CAESENAE M. D. XIIIC.
Apud Bartholomæum Rauerium.

12 - 17 - N 25

ILLVSTRISSIMO
ATQVE REVERENDISSIMO
NICOLAO SFONDRATO
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO.

NICOLAVS MASINIVS FELICITATEM.

RECOGITANS ego quantum in victu deliquentes, & præcipuè in potu artibus varijs, longè frigidiori reddito, quàm humana natura omnium temperatiſsima perferre poſsit, hominum quàm plurimi propriæ tùm valetudini, tùm vitæ diuturnitati detrahant: Hac ætate, iccirco ſat felici, quoniam Primarij Principes Chriſtiani, vtpotè optimi & prudentiſsimi inexplebili propagandæ Religionis ſtudio imbuti, veterem bonis artibus dignitatem totis viribus reſtituere procurant: Ita vt populi, longè magis, quàm antehac (fruſtra reluctante impiorum malitia) vitam cum religione traducant: Hinc quod mirificentiſsi-

mum in ſe eſt; mirum longè minus debet videri, nuper à Iaponijs diſiunctiſsimis, & ferè incognitis Inſulis, Reges ad Summum Pontificem officij, immò obſequij cauſa miſſos fuiſſe: In qua ſi magis aliquando magis nunc vitam protrahere, vſquè ad terminum à Deo cunctis conſtitutum, procurare deberent. Inter cæteros tamen qui generis nobilitate, opibus, auctoritatequè præſtant, magis peccare videmus, cum eò minus deberent, quò tot fortunæ dotibus muniti, diutius viuentes, cæteris prodeſſe plurimum poſſent. Quæ tanta in re priuatim ſeu deuitanda, ſeu inſectanda fore operepretium eſſe mihi probatis auctoribus, vndequaquè aſſentienti, viſa ſunt, elucubrare ſtudui: Elucubrataquè cum non paucis, qui medicinæ ſcientiam planè complexi ſunt perlegenda tradiderim; me ſæpè, ac ſæpius hortati fuerunt, ea vt in manus hominum prodire ſinerem, ſinensquè, vt præclaro ex præfrigerato potu delectationem ſuſcipienti alicui viro, dicare vellem, addentes me via hac publicæ, vnaquè, & priuatæ egeſtati eſſe conſulturum: Aequidem fateor hoſce amicorum ſapientum ſermones me magnopere commouiſſe, non vſqueadeò tamen, vt eorum conſilium prorſus probare potuerim: Vtilius longè huiuſcemodi præceptis egentibus, futurum exiſtimans, lucubrationem hanc inſcri-

bere,

bere viro vtiquè, (veluti & ipſi ſuadebant) in primis ſummo tum loco nato, tum & in ſummo gradu dignitatis, atquè honoris conſtituto, minimè tamen intemperantiæ genus aliquod, vel minimum proſequenti; quinimmò potius vndequaquè temperatiſsimo: Quò omnes non à libro tantum, ſed & ab homine ipſo, ſub cuius nominis ſplendore ille æditus fuiſſet, tamquam ab exemplari in communi conſpectu poſito, quaſi excelſo quodam ſpeculo, diſcere & commodè valerent, quam facilè ſobriam, Deo Optimo Maximo pergratam, moratis periucundam, naturæ deniquè perutilem vitam viuentes, tot tela obtundere non modò, verumetiam ſtrenuè repellere poſsint, quot inexplicabilia preſentis vitæ incommoda, fortuitiquè caſus in bonæ valetudinis iugulum continuò vibrant. Mihi quem ſtatueram inuenire, haud certè opus fuit, aut longius euagari, aut animo peregrinari; Cui enim non eſt planè perſpicuum, te bona valetudine moderationis adiumento ferè ſemper vſum fuiſſe? quamuis PerIlluſtrium maiorum tuorum veſtigijs inſiſtens, dies cum noctibus legendo perpetuò coniunxeris: In Epiſcopiquè officio, ac munere attigeris, abſolueriſquè maximo dignam Præſide virtutem, candemquè abſoluas adhuc non in eodem modò, verum & in officio Cardina-

lis,

Iis, quem te Superioribus annis creauit Gregorius decimustertius Pontifex, & optimus, & in æſtimandis hominum ingenijs, ac moribus accerrimo iudicio præditus: Res ſanè, quæ quantum ſaluti animæ ſuffragantur, tantum & incolumitati corporis Clypeo moderationis poſthabito detrimenti, afferre conſueuerunt. A me igitur, ò Sacri Collegij ſplendor, munuſculum hoc habebis, meæ in tè illius, & voluntatis, & ſtudij argumentum, cuius veluti ego ſtatim cum ſe tibi addixit, auctorem habui, ita & tu teſtem Franciſcum Albitium noſtrum hominem honoratum, & ea quam optimè noſti virtute, & integritate inſignitum: Quòd ſi tibi præceptis in ipſo traditis nullatenus egenti, tot homines eiſdem maximoperè indigentibus non iniucundum fuiſſe ſenſerint, totum, qui ex eo capi poteſt, fructum percepturos eſſe minime dubito.

LAVRENTII FRIZOLII,

IN NICOLAI MASINII LIBRVM GELIDVM INMODICE' POTVM DAMNANTIS.

FRIGIDVLO contenta ſitim depellere potu
Natura, & glaciem reſpuit, atque niues.
Id medicæ perhibet cultor Maſinius artis,
Omnia non dubia qui ratione docet.
Credere doctiloquo par eſt: ne dira per æſtum
Cum triſti incautus frigora morte bibas.

EIVSDEM.
De Vino Nive Refrigerato.

Quid Bromium ignigenam, lymphis, gelidoquè rigori
Inſenſum niuibus mergitis, aut glacie?
Ah ſcelus, intonſum floris iuuenilis alumnum
Omnis & auctorem perdere lætitiæ.
Iam nihil interſit, damnandus frigore Bacchus
Incolat Heſperiam, torpeat an Rhodope.

CA-

CAMILLI

ANTENTII

CAESENATIS.

ILLE ego, qui curas hominum de pectore quondam
Eijcere, & mentes exhilarare queo,
Frigidior glacie, & niuibus poſt factus iniqua
Lege, homini mortem noxius accelero:
Id ſentit medica præſtans Maſinius arte,
Conſulit & tantis protinus ille malis:
Nam liber gelidis niuibus, gelidoquè rigore
Nunc ego lætitiæ ſum (velut ante) dator.

EIVSDEM.

Maſine, rerum cauſas qui noſcis, & ægros
Sanas, atquè Orci comprimis ingluuiem,
Quos artis medicæ fontes modò pandis ab ipſo
Vel Phœbo manant, vel tibi Phœbigena:
Si non, hic igitur Baccho fluit vnde ſalubris,
Torpenti niuibus, lethiferoquè gelu?

IACOBVS MAZONIVS CANDIDO LECTORI.

MVLTAE quidem ſunt diſciplinæ, candide Lector, verè Dei munere è cœlo delapſæ, quarum ope fultus homo (quod aiunt) alteri homini Deus apparet. Sed ſi aliquis inter cæteras medicinam veluti maximè omnium, quæ naturæ fulcris ſuſtineantur, humano generi proficuam iudicet, næ ille huiuſcemodi ſui iudicij plurimas, & efficaciſsimas rationes in medium promere poterit. Quas omnes recenſere non eſt nobis animus, nè modum libri excedat, quod intrà mediocris epiſtolæ limites complecti cogitamus: Sed vna, aut altera contenti reliquas omnes opportuniori loco perpendendas prætermittemus. Veteres itaquè Ethnici, vt eximiam huiuſce artis excellentiam atquè (vt ita dixerim) diuinitatem omnibus ob oculos ponerent, nobiliſsimo Deo, Apollini nempè acceptam retulerunt, ita vt medicæ repertorem opis Phœbum, medicinamquè artem Apollineam paſsim decantarint Poetæ. Quod quidem propterea factum arbitror, quia cuiuſcunquè vaticinij patrem, Apollinem conſtituerunt Antiqui, & vniuerſa medicina (vt Iamblicus, & Apollonius docuerunt) ita vaticinijs innititur, vt ab illis ſeiuncta conſiſtere nullo pacto poſsit. Quo-

modo enim medicus debet appellari, niſi ſit ea mentis ſolertia prædicus, vt commoda vel incommoda in corpore futura ſagaci prænotione dignoſcere queat?. At qui hæc efficere poteſt, idem etiam procul dubio, & Vatis nomine cohoneſtandus videtur. Hanc rem intimius conſiderans Hippocrates, tùm in exordio prognoſticorum, tùm in primo Epidemiorũ memoriæ prodidit hanc ſcientiam ambitu ſuo continere, τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. ideſt preſentia, futura, & præterita, eadem nempè repetens verbà, quibus prius Homerus Calcantis in vaticinando præſtanciam decorauit: Vaticinium hoc medicinæ proprium, vt quoquo pacto vnicuiquè compertum, & exploratum redderet antiquitas, draconem tanquam medicorum inſigne, atquè veluti medicinæ typum multis in locis concelebrauit. Draco enim, quem peruigili oculorum acie præditum tradunt auctores, ita vt incubantes eos theſauris cuſtodiæ cauſa finxerint, mentem patefacit verè medicam, ideſt vigilantiſsimam, & oculatiſsimam, quæ morborum initia, cauſas, momenta, & fines exactiſsimè prænoſcere poſſit. Theodoritus autem illud ſuperaddidit, quod quemadmodum ſerpens cutem exuendo ſimul ſenium, vetuſtatemquè deponit, ita & qui ægroti ſunt, atquè iam in confinio vitæ conſtituti ope artis medicæ vniuerſam illam ægritudinem exuunt, & ſicuti Aeſon Medeae medicamentis reiuueneſcunt. Quam quidem rem Poetæ morem ſuum ſequentes, vt mirabiliorem, diuinioremquè redderent, non erubuerunt in carminibus ſuis memoriæ prodere, nonnullos omnino mortuos a medicis ad vitam reuocatos. Quod ab Aeſculapio factum aſſeruerunt multi, & præſertim Virgilius in ſexto Aeneidos, Serenusquè Samonicus, cuius poſt initium carmina de Aeſculapio ſunt.

Tuq; potens artis reduces qui tradere vitas
Noſti, atq; in caelum manes reuocare ſepultos.

Et, vt figmento mirabili fidem acquirerent, nomen, & genus eorum, qui ab orco ad limina vitæ reuocati ſunt, appoſuere, quos interpres Euripidis in Alceſte auctoritati Appol-

lodo-

Iodori innixus, & Scholiaſtes Pindari Pythiorum Ode tertia, tradunt fuiſſe Hippolytum, Glaucum, & Tindareum. His luculentiſsimus totius antiquitatis ſcriptor Plinius, & Apuleius libro quarto Floridorum alterum ſuperaddiderunt, quem, vt tradunt, Aſclepiades Pruſienſis ab rogo, velut ab inferos poſtliminio Veſpillonum manibus extortum domum retulit, animamquè in corporis latibulis delitеſcentem medicamentis quibuſdam prouocauit. Quam quidem fictionem Cornelius Celſus libro ſecundo capite ſexto illud nobis demonſtrare putauit, animam interdum ratione corporis langueſcentis, aegritudinis ab cuius viribus omnino oppreſſam, atquè iam iam aliò commigraturam, viribus, arte, curaquè medici excitari, atquè elici, iamquè certò diſceſſuram retineri. Hæc idem & Libanius ad Magneſium ſcribens his verbis confirmauit. Medicus (inquit) non ſine numine quodam interdum abeuntem e corpore animam continet, vitamquè producit. Quapropter vt vnde deflexit oratio tandem redeat, ſi quod ait Plinius, Deus eſt iuuare mortalem, profectò, aut nuſquam locum habebit illud Grecorum adagium. ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον. aut in medico gnaro, proboquè maximè locum ſibi vendicat, qui mortales non modò iuuat, verùm & mox morituros etiam ſeruat. Cæterum inter alias res, quæ vitam humanam omnino labefactant, eamquè in lubrico ponunt, & ad mortem adeo incitant, vt in procliue lapſa ſuſtineri vix, ac nè vix quidem aliquo modo poſsit, eſt refrigerati potus abuſus. Is enim tot, tantaquè morborum genera humanæ naturæ inuexit, vt meritò illud Iuuenalis vſurpari poſſe videatur.

Morborum omne genus, quorum ſi nomina quæras,
Promptius expediam, quot amauerit Hyppia moechos,
Quot Themiſon ægros autumno occiderit vno.

Quibus illud etiam accedebat incommodi, quòd talis, tantusquè abuſus, non ſolum naturæ propenſione, quæ ad illius blandimenta nos paulò procliuiores reddit: verumetiam nonullorum virorum qui inter eruditorum Claſſem

ennumerati ſunt inſtructus, armatus, paratusquè in hominum opinione veluti ſalubris vigebat, itavt ſpecie boni allecti homines in propriam ruerent perniciem. Hæc itaquè ſecum repucans doctiſsimus, & eruditiſsimus Nicolaus Maſinius, vir hac noſtra ætate, omni diſciplinarum genere cumulatus: Sed in arte medica certe nulli ſecundus, vt ſemper habet animum communi hominum ſanitati conſulentem, atquè cum illa, vt ita dixerim, habitantem & pernoctantem cura, nihil antiquius ſibi putauit, quàm ad humani corporis præſidium, communiſquè vtilitatis tutelam, huius prauæ opinionis, quæ iam hominum mentibus altius inhæſerat ſtirpes, & radices non modò circuncidere, & amputare, ſed etiam omnino euellere & penitus extrahere. Quod abunde cumulateq; in hoc aureo verè libro præſtitit, atquè expleuit. In quo quidem non ſolum morbos omnes, qui retruſi atquè abſconditi in refrigerati potus abuſu latebant, elicit, atquè in lucem euocat: Sed & inſuper, veluti ſuperpondium quoddam, multiplicem, iucundamquè apponit rerum varietatem, eoquè viro dignam, qui ætatem in abditarum rerum perſcrutanda notitia contriuerit, multaquè partim legendo, partim cogitando præclara, & eximia reperierit. Latinè verò ſcribendi rationem ſic tenet, vt his ſcriptis, quatenus ſubſtratum genus patitur, mihi quidem purius, nihil eſſe videatur. quod eo mirandum eſt magis, quia ipſe, nón vt multi alij, diuturno, atquè aſsiduo eloquentiæ vſu: ſed temporum ſtudio ſubſeciuorum, hoc vt poſſet conſecutus eſt: Quapropter vos omnes, lectores humaniſsimi, oratos, atquè obteſtatos velim, vt hunc librum, maxima diligentia a Bartholomæo Rauerio impreſſore peritiſsimo typis excuſum, vt in hominum manus prodiret, auidè, atquè alacri animo arripiatis, illumquè non per duas, aut tres paginas: ſed ab initio ad calcem ſedulò, atquè nauiter perlegatis. Quod quidem a vobis impetraturũ minime diffido, tot in eo ſunt ex abditis plurimarum artium, ac doctrinarum fontibus quibuscunquè literarum profeſsionibus haurienda. Medici verò librum hunc difficiles admodum reconditæ materiæ nodos ſoluentem, & quæſtiones illas implicatas atquè inuolu-

tas

tas facilitate maxima explicantem, exquiſitoquè quodam ordine tractantem intuebuntur. ita vt dicere auſim, Lectionis illicium, atquè, vt ita dixerim, philtrum librum hunc ſecum afferre. Sed ineptus ſim, ſi me huiuſce libri laudatorem profitear, qui tantum doctrinæ, & eloquentiæ poſsidet, vt dum ipſe ſuam agit cauſam, ſe omni laudum genere inſtructum demonſtrat, & a quacunquè aduerſariorum calumnia ſe facilè vendicare poteſt. Hic itaquè ſcribendi finem faciam, ſi tantum illud prius dixero, omnes qui præſenti libro diligentem nauabunt operam, vberem doctrinæ prouentum ex huiuſcemodi lectione ſuſcepturos, ſanitatiquè ſuæ quàm optimè conſulturos.

Vale.

INDEX
IN
LIBROS TRES.
NICOLAI MASINII
PHILOSOPHI ET MEDICI CÆSENATIS.
DE GELIDI POTVS ABVSV.

A

ABVSVM gelide nimis bibendi quidam perperam extulerunt. f. 1.
Abuſum gelidi potus malorum omnium lernam merito nuncupari poſſe. f. 266.
Ab uſu prægelidi potus emanans error naſcituris etiam ſummæ nocet, tertij libri caput ſeptimum. á f. 266. uſq; ad 269.
Ab eſu peponum cur ſolidiores cibi edendi ſint. f. 271.
Abſtinentia potus præſertim aquæ hydropem curat. f. 243.
Ab Hippocrate ſcripta febris tabifica que ſit. f. 261.
Ab Angina grauiſſima nemo euadit. f. 261. 262.
Actiones qui per Antiperiſtaſim fiunt, ueluti circumſiſtentiam requirunt, ita permixtionem excludunt. f. 117.
Acidum nullum uinum eſſe ſecundum naturam: f. 186.
Aciditas á quo fiat. f. 106.
Aciditatem nunquam admittit Mel. f. 275.
Acetum & ſerum cur coagulationi reſiſtant. f. 215.

A Ce

A Cane rabido morſi, cur nihil abborreant magis quàm aquam, a qua poſſunt ſanari. f. 224.
Acuta febris quæ ſit apud Hippocratem. f. 248.
Acutæ febres propriè à bile accenduntur. f. 274.
Acri ſapore prædita omnia calidiſsima. f. 272.
Acrium uſus tria incommoda hominibus parit & quæ. f. 272. 273.
Actualem caliditatem in ſubiecto quauis ratione nocuo ſitam non poſſe munire membra aduerſus gelidum ſitientem potum. f. 281. 282.
Actualis uentorum percuſsio neruoſo generi maximè aduerſatur. f. 295.
Ad gelidè bibendum minus noxie, quot conditiones requirantur. f. 10. & 11.
Ad gelidæ aquæ exhibitionem in febricitantibus Galeni dicta ſpectantia legentes Ancipites reddere. f. 23.
Adamante nullum corpus actu frigidius eſſe. f. 101.
Ad affectus externos, etſi proficere poſsit terra, ad internos tamen nihil poteſt proficere. f. 165.
Ad Niuis generationem quot requirantur. f. 210.
ADOVARDVS GVALANDVS CAESENAE EPISCOPVS VIR ADMIRABILIS. f. 125. 202.
Adducta regula pro incommodis gelido potui ſuccedentibus euitandis tamquam inepta improbatur caput 12. primi lib. a f. 32. ad 35.
Ad ingenij excellentias homines calidi & humidi non admodum apti ſunt. f. 13. & 14.
Ad quid dentes à natura inſtituti ſint. f. 254.
Accreſcunt tota uita ſoli omnium oſsium.
Cum lingua ſapores diſcernunt.
Ab immoderatis primis qualitatibus omnibus uitiantur.
quomodo, à calore corrumpantur.
quomodo, à ſiccitate.
quomodo ab humiditate.
quomodo, à frigiditate, & longè magis, quam ab omnibus alijs.
Frigidi ſunt quamuis ab aſſante calido producti.
Ruſtici Monticolæ, cur ferè omnes illis ſint deſtituti. f. 254. 255.
Aduerſantur utero ualde frigifacientia. f. 268.
Aegre uiuam glaciare & cur. f. 224.
Aer malus maximè nocet facultati animali & uitali. f. 220.
Aer circa internas montium circumcingentes ualles ſuperficies ualde nocuum. f. 244. 245.

Aer

Aer frigidiſſimus maximopere hominibus officit.
Lucernam, & paruum ignem ſub dio extinguit. f. 296.
Aeri in proprio & naturali loco exiſtenti, pari impulſu illato pronius fer-
tur deorſum quam ſurſum. f. 292.
Aerem perpetuò moueri indicio eſt aura in anguſtis locis ſemper ſpirans.
f. 293.
Aerem deorſum moueri & quomodo. f. 291. 292.
Aerem refrigerantem plus cæteris membris pulmo expoſcit. f. 286.
Aeris & ignis circumductionis motus ſenſu approbari. f. 292.
Aerem quomodo motus refrigeret. f. 86.
Aeris & ignis motum ab extrinſeco principio non eſſe uiolentum, & qualis
ſit. f. 293.
Aeris æſtum magis neceſſarium eſſe corrigere, quam materiam potulentam
ad temperatam diſpoſitionem deducere. f. 286.
Aetij opinio circa cauſſas Anginæ. f. 261.
Aeſtate non ſat ſitire ſummum malum eſt. f. 204.
Aeſtuantes uarij homines qui ab aſſumpta prægelida potulenta materia proti-
nus mortui ſunt. f. 153. 154.
A frigiditate uteri non eſt ſeiungenda ſpiſſitudo. f. 267.
Affectu phthiſi, cur neceſſario moriantur. f. 250.
Affectus omnes in corde fundati maximi. f. 244. 245.
Affectus magni, in ſeruis facilius quam in liberis remouentur. f. 243.
Affectus præter naturã ob uſum prægelidi potus Thoraci ſuperuenientes qui
caput quintum tertij libri. à f. 247. *uſq; ad* 253.
Affectum præternaturalium numerus ab uſu prægelidi potus animalibus
membris ſuccedens caput ſextum tertij libri. à f. 254. *uſq; ad* 266.
A gelido nimis potu nocumenta emanantia multoties non detegi niſi tractu tem-
poris. f. 32.
Aegritudines morte ipſa deteriores, Principes ob potum nimis gelidum in-
currere. f. 20. 21.
Albæ & perſpicuæ urinæ, à ſumma præcipua meatuum obſtructione produ-
cuntur. f. 257.
Alberti magni & Sueſſani opinio repudiata. f. 229.
Alabaſtrum in latitudine marmoris denſiſſimum. f. 104.
Aldus Manutius Iunior. f. 207.
Alexander Petronius Medicus. f. 42. 275.
illius opinio refellitur circa nouum modum traditum ſe præcuſtodiendi ab
c
offen-

offenſis prægelido potui ſuccedentibus caput 9. 3. lib. à f. 273. uſq; ad 281.
Dictum illius de nullo carnium iure poſſe uerificari. f. 277.
Illius opinio de iure cicerum non poſſe uerificari. f. 278.
Nec de iure alterius leguminis. f. 279.
Dictum illius non poſſe uerificari de iure Braßicæ. f. 279.
non de iure albo.
Quid ſit & quomodo præparetur. f. 279. & 280.
Illius Apparatum ad piſcium cocturam directum fuiſſe. f. 280.
Non de iure Nigro uocato poſſe uerificari ubi ſupra.
Aliquando Medicus, cur præcepta tradere debeat circa res ex ſui natura deuitandas. f. 30.
Amathi Luſitani Medici hiſtoriæ tres. f. 254.
Amentia quid. f. 212.
An prægelidè bibere temperato corpori liceat aut illi proximo, caput ſecundum primi libri. à f. 7. uſq; ad 9.
Anaſarca quando ſectionem uenæ expoſcat. f. 173.
Anguſtos ualde eſſe meatus omnes bilis excretioni inſeruientes. f. 247.
Annos ducentos Elephantes omnium conſenſu uiuere. f. 254.
Anodyna facultas in quibus reſideat. f. 148.
Angina quid & quomodo fiat. 260. & 261.
quomodo ab uſu prægelidi potus producatur.
Et cur biliosa potius, quam pituitoſa. f. 262.
Cur ea quæ ad pulmonem uertitur.
Et cur omnium pernicioſiſſima. f. 263.
Bilioſa autumno Pituitoſa uere fit ubi ſupra.
Andreas Palladius Architectus. f. 289.
Anemocamini qui ſint. f. 297.
Animalia bruta aqua utuntur, & homo ſolus igne ob ſapientiam. f. 194. 195.
Animalia bruta ratione quadam uiuere uidentur. f. 245.
Animalium ſolius hominis cor palpitare. f. 245.
Animalium omnium pedeſtrium ſanguis difficulter concoquitur. f. 280.
Animal occaſionatum eſt fœmina. f. 267.
Antiqui cur parce ſcripſerint de gelidi potus abuſu. f. 2.
Antiquos integra ualetudine fruentes nunquam alio quàm temperate frigido potu uſos eſſe. f. 226.
Antonius Benivenius narrat Ruſticum per annum nihil bibentem ab inueterata inter cutem aqua liberatum fuiſſe. 243.
A po-

A potulenta materia calida ui prædita ueluti calidæ & frigidæ ægritudines, ita a frigida frigidæ & calidæ gigni poſſunt. f. 259.

Appetitus quid ſit. f. 203.

Aphoriſmus ex uarijs Hippocratis *dictis* Emergens. f. 253.

Appoſitus in peſte Potus *qui ſit.* f. 158.

A prægelido potu febres produci quibus ſudores frigidi aſſociantur. f. 248. 249.

A prægelido potu detrimenta emanantia non poſſe corrigi coaſſumptione, aut poſtaſſumptione, immo nec præaſſumptione cuiuſcunque rei. f. 273.

Apud Vitruuium *ſubterraneæ domus quæ ſint.* f. 301.

Aqua ſat frigida quæ. f. 6.

Aquam puriſſimam ſitim non ſedare, non humectare, non alere. f. 12.

Aquam gelidam nõ niſi perxarò febricitantibus exhibendã eſſe. f. 18. & 19.

Aquam niue refrigeratam, cur Galenus *aliquando quibuſdam ægrotantibus exhibuerit.* f. 23.

Aquæ frigidæ uſum in acutorum morborum curatione Hippocratem *omnino uituperaſſe, ubi & quibus uerbis.* f. 24.

Aquæ ſimplicis uſum in acutorum morborum curatione Hippocratem *uſqueadeo abhorruiſſe, ut uinum illa prius exhibendum eſſe inſtituerit etiam in delirare incboantibus.* f. 25. & 26.

Aquam gelidam aliquando hominem ſtrangulare. f. 29.

Aquam gelidam intempeſtiue ſumptam inter uenena recenſeri, ubi ſupra.

Aquam ubique eſſe artificiali refrigeratione non egentem. f. 33.

Aquarum potabilium differentiæ quinque iuxta Actij *ſententiam, ubi ſupra.*

Aquæ pluuiæ procelloſæ tonitruoſam Hippocratem *prætuliſſe, ubi ſupra.*

Aqua pluuia, cur leuis ſit quantum aqua eſſe poteſt. f. 36.

Aqua putealis & ciſternina crebro hauſtu percuſſuq; probæ efficiuntur f. 37.

Aquas optimas refrigerare ſuperuacaneum eſſe. f. 40.

Aquarum fluuialium nonnullas optimas eſſe. f. 41.

Aquas longo curſu nobilitari, ubi ſupra.

Aquam Tiberinam reſidentem, non citius quam ſex menſium ſpatio repurgari. f. 42.

Aqua Nili *quomodo reprehenſione carere poſſit cum ab* Auſtro *in* Boream *fluat, & depuratione indiget.* f. 45. 46.

Circa ipſam Athenæi *lapſus.* f. 43.

Cur uentrem ſubducat menſesq; cieat. f. 44. 45.

Aquæ putealis examen. f. 47.

Vtrum ſemper ſit in eadem diſpoſitione quo ad caliditatem & frigiditatem
f. 49. 50.
Aqua quantum ex Galeni ſententia frigida eſſe debeat pro ſanitate tuenda caput 14. primi libri. f. 51. ad 52.
Aquæ dulcis Tubus in medio mari exiliens. f. 52.
Aquam cur Indi adorabant. ubi ſupra.
Aquæ ſatis frigidæ, non tamen ſatis probatæ utrum ueniant corrigendæ. f. 55.
Aquas coquendi A R S quæ ſit. f. 55. 56.
Aquæ in ſe optimæ & decoctæ ex arte, & ualetudinem conſeruant, & uiſcerum non paucos morbos diſcutiunt. f. 55.
Aqua decocta ſub perfectiori forma remanet. f. 56.
Coctione aereſcit potius quam incraſſetur. ubi ſupra.
dum decoquitur propter quid uas operculatum eſſe debeat. f. 58. 59.
quouſque illam coquere expediat. f. 59.
Aliquando pro uſu ſanorum coquendam eſſe. f. 63. & 64.
Non cocta quantumcunque optima, utrum ſit ægrotantibus propinanda.
f. 66. & 67.
prius cocta, & poſtea certa arte gelida effecta utrum iterum recrudeſcat.
f. 68.
Aqua propriè concoqui non poteſt. ubi ſupra.
Aquam maris quo magis ad fundum tenditur, eo magis calidam magiſquè dulcem eſſe. f. 64. & 65.
Aquæ denſitatis duæ ſunt cauſæ. f. 68.
Aqua quibus modis præter ignis uſum corrigi poßit. f. 71.
Culpata magis officit quam culpatæ epulæ. f. 72.
innato calori cur inimica. ubi ſupra.
Aquas corrigendi compendioſi modi uarij. f. 73. 74.
Aquæ uitia uinum exactè admixtum emendare. f. 77. 78.
Aquam uinum fieri, quid ſibi uelit, & qua uia id contingat. f. 78. 79.
Aquam aeri expoſitam tribus modis refrigerari. f. 88.
Aqua in operculato uaſe contenta, cur ab impuro aere non poßit uitiari, & poßit refrigerari. f. 88. 89.
Aquas potabiles à plumbo uitium contrahere. f. 106.
Aquas fontium Aethiopiæ Trogloditicæ immoderatam frigiditatem continere. f. 114.
Aquam ardentem ignem quodammodo eſſe. f. 115.
Aquæ feruenti urens ineſt qualitas. f. 138.

Aquam feruentem eſſe exiguo igne calidiorem. ubi ſupra.
Aquæ duplex ineſt frigiditas. f. 128.
Aqua cur eisdem uiribus quibus á feruore ad priſtinam frigiditatem reuertitur, eisdem & ad intenſam ſicuti ope balnitri non reuertatur. f. 127.
Aqua balnitri ope refrigerata utrum bonæ ualetudini officere poßit. f. 129.
Aquæ niuales glacialesq́;, quo in ſenſu bonæ eſſe poßint. f. 137. 138.
Aquas aurum contingentes, ab eo ſalutares uires contrahere. f. 138. 139. 140.
Aquæ potabiles leniter fluentes utrum medicam uim aliquam á conta[illegible]is herbis contrahant & quæ ſint. f. 140. 141.
Aqua rerum omnium liquidißima, & frigidißima. f. 142.
Aquam gelidam præſidij ſtupefacientis rationem habere. f. 149.
Aqua aliquando uehiculi alimenti ſimplicem habet rationem, nonnunquam & medicamenti ſtrenuè alterantis. f. 152.
Aqua é niue eliquata qua de cauſſa aliquando habeat rationem præſidij á peſte hominem præcuſtodientis. f. 158.
Aquæ prægelidæ uſus & multos eſſe, & præſtantiores longè quam á cæteris elementis omnibus prodeuntes qua medicamenti ſubit rationem: á f. 162. uſq; ad 172.
Aqua ſola frigida medicæ facultati prodeſt magis, quam tria alia ſimul elementa. f. 164.
AQVA frigida ſucurrit uigilijs. f. 164. 165.
Tremori, Syncopi, Lapſibus uirium, ſingultui, fœtoris oris, fœtori corporis, ſuſpirijs, coctioni, & ſiti. f. 165.
concoctioni uentriculi, nutritionis imbecillitati, fami ex reſolutione, aut raritate cutis, caninæ fami ex uermibus, uermiumq; curationi. f. 166.
Fami ex genere Boulimi, fluxui uentris ex bile, expurgationi, ex imbecillitate, Et in Pueris, Internorum omnium ardoribus, Tentigini, ſeminis Profluuio, & animo linquentibus. f. 167.
Viris ad uenerem flatus deffectu impotentibus, uarijs caſibus in actu curationis, Symptomatibus uarijs ſuccedentibus, ab aſſumptione generis alicuius ueneni calidi, iuuenibus á bilioſis æſtate febribus conflictati, corporum roborationi. f. 168.
A Cane rabido morſis, & etiam deploratis maximè. f. 169.
Aquæ Potum multis in caſibus uino eſſe præponendum. f. 170.
Aqua intercutem laborantibus, qui Potus conferat, & qui officiat. f. 172.
Illis cur clamoſa inſit ſitis. f. 199. 200.

Aquam in communi diſpoſitione conſtitutam tardiſsimi tranſitus eſſe. f. 193.

Aquæ niuales, & glaciales cur longe maiorem terreſtris ſubſtantiæ quantitatem contineant quam limpidæ omnes aliæ aquæ. f. 209. 210.

Illas ubi D. Hippocrates exprobret. f. 219.

Aquam e grandine eliquatam niuali eſſe deteriorem. f. 210.

Lutulentam celerius in glaciem concreſcere. f. 238.

Aquæ frigidæ atq; crudæ ſterilitatem faciunt ex Ariſtotele cui Auicenna conſentit. f. 268.

Aqua qua uia Iuris formam recipiat. f. 277.

Aquæ cur in magnis fluminibus uix fluere uideantur, perangusta tamen loca deductæ inmenſo fragore erumpant. f. 292.

Aqua aſperſa protinus ſuam formam amittit aerq; efficitur. f. 300.

Argentum uiuum quid ſit. f. 94.

Frigidas ægritudines infert. ubi ſupra.

Idem apud Latinos quod; græcæ hydrargiron. f. 97.

Arcanum pro glutinandis recentibus uaſorum pulmonis rupturis. f. 253.

Ariſtotelem Mytileneum ægrotantem ex Potu gelidæ aquæ obijſſe. f. 28.

Ariſtotelis una cum Medicis, ac ſemetipſo conciliatio circa hydrargirium. f. 96.

Eiuſdem ſententia de lapidum efficiente cauſſa. f. 100.

Illius dictum dubitationem generans. f. 293.

Contextus illius a Leoniceno correctus. f. 169.

Pueris cur ille uinum prorſus interdicat. f. 170. 171.

Dicta quibus aſſerit calorem cœleſtem largiri quamcumq; uitam, & calorem illuminantis ignis, corrumpere. Entia quomodo intelligenda. f. 192. 193.

Ipſum ſuadere inſufficientem ſitim temperate excitandam eſſe. f. 204.

Illius ſententia. f. 278.

A repetito pluries prægelidi potus uſu faucibus denſationẽ impartiri. f. 265.

Arteriarum Pulmonis tunicas tenues eſſe, uenarum uero craſſas. f. 252.

Artoxerſes Longimanus cur tamdiu uixerit. f. 41.

Aſcithe, & Tympania laborantibus ſanguinis miſsionem non competere. f. 173.

Aſſata habent exteriora ſicciora interioribus in elixis eſt e contrario. f. 278.

Auerrois opinio intempeſtiuam ſuadens gelidæ aquæ in febricitantibus exhibitionem periculoſa. f. 276.

A ui ueneni quomodo unuſquiſque poſsit liberari. f. 283.

Audaciores qui ſint, & qui timidiores in hominum latitudine. f. 245.
Aulus Gellius, & Macrobius. quæ ſcriptis mandarint aduerſus potantes aquas niuales, á f. 211. uſq; ad 214.
Auctor cur de gelidi Potus abuſu ſcripſerit. f. 3.
quâ cauſſa impulſus fuerit ad ſcribendum de cubiculorum refrigeratione. f. 285. 286.
Eiusdem pictura quædam Mira. f. 81. 82.
Auctoritas Celſi examinatur. f. 28. 29. 30.
A uero ſpirante Auſtro quot mala emergant. f. 289.
Auicennæ Auctoritas examinatur de gelido Potu. f. 22.
Ipſum gelidæ aquæ uſum in febribus improbare. f. 24.
Cur ualde gelidam potare omnino uolentibus præcepta dederit, & quæ illa ſint. f. 31.
Illius & Serapionis Opinio circa temperamentum Camphoræ. f. 127.
Ipſius ſententiarum temerè á Nicolao Monardes aductarum germana interpretatio: Et utrùm aquæ contangentes tum aurum, tum herbas uarias, uires ab illis contrahant caput 7. ſecundi libri. á f. 135. uſq; ad 149.
Auicenna á Raſis ueſtigijs non recedit. f. 150.
Aureæ Hippocratis ſententiæ circa uentos. f. 289.
Aurum gemmis minus humanum animum allicere. f. 140.
Aulæ admirabilis deſcriptio, mirè æſtate frigidum aerem conſeruantis Palatij Caiani SERENISSIMI MAGNI DVCIS HETRVRIAE. f. 297. 298.
Auſtri in Africa frigidi ſunt ueluti apud nos Aquilones. f. 291.
Autumnus cur uitæ opponatur. f. 160.

B

BAldaſſaris Piſanelli Medici opinio circa uim aquæ frigefacientem ab halinitro prodeuntem improbata. f. 121. 122.
Altera illius opinio improbata. f. 218.
Bilis atra robuſtum & perſpicacem hominem efficit. f. 15.
Bilis excretioni meatus omnes inſeruientes anguſtos ualde eſſe. f. 247.
In Hepate retenta corrumpit illius temperamentum. f. 248.
quia ignea cum ſuperabundat non poteſt quieſcere. f. 256.
Illius proprium eſt acutas febres accendere. f. 274.
Bilioſæ Anginæ Autumno fiunt, pituitoſæ Vere. f. 263.
Bonæ ualetudini utrum conferat hyeme aliquando potulentam materiam igni appli-

applicare caput 18. libri ſecundi. à f. 224. uſq; ad 226.
Cubiculorum fornices illi maximopere repugnare. f. 298.
Bituminis proprium eſt non ſecus ardere in aqua quam extra. f. 126.
Boum præpinguium interanea ueneni impreßionem probibent ſi præaſſumantur. f. 281.
Idem & præſtant eſus lactucarum cum multo oleo uel buthiro eodem modo aſſumptarum. ubi ſupra.
Bouina caro pingue ualde denſum habet. f. 276.
Braſauolum, & Falopium pro uermibus necandis hydrargirum exbibuiſſe. f. 98.
Idem & in Goritia Obſtetrices exhibent ad facilitandum partum. ubi ſup.
Braßica cuiuscunq; ſpeciei eſt difficilis coctionis. f. 279.
In hortis putrefacta intolerabilem odorem exhalat.
Illius decoctum uix humi effuſum ſtatim fœtet. ubi ſupra.
Bruta animalia aqua utuntur, & ſolus homo igne ob ſapientiam. f. 194. & 195.

C

CAcochymia quid.
Cacochymiam & obſtructionem multarum ægritudinum radices eſſe. f. 234.
Cadentia metalla & lapides in actu fulminis non eſſe de ratione illius. f. 35.
Calx non prorſus caret uenenoſitate. f. 36.
Calidum potum eſſe contra naturam. f 7.
Calidis & humidis gelidum Potum Galenum interdixiſſe. f. 15.
Calidi & humidi homines, ad ingenij excellentias non admodum apti ſunt. f. 13. 14.
Calidum & caldum penes quid differant. f. 226.
Calida & humida eſt hominis temperatura. f. 245.
Calidißimum eſſe hominem in prima ætate; & ultima frigidißimum. ubi ſup.
Calidißima omnia ſunt, acri ſapore prædita. f. 272.
Calida totius corporis intemperies cum frigiditate uentriculi perſæpe complicatur. f. 275.
Caliditatem actualem in ſubiecto quauis ratione nocuo ſitam non poſſe munire membra aduerſus gelidum ſitientem potum. f. 281. 282.
Calor naturalis ex infixo & influente reſultans. f. 155.
Calor maior aut mole aut qualitate. f. 177.

Calor

Calor innatus, quot modis extinguatur. f. 71.
Calore proprio quælibet res in propria ſeruatur natura, alieno corrumpitur. f. 186.
Calorem igneum non conſumere omnia. f. 191.
Calor cœleſtis cur perpetuo generet. ubi ſupra.
Calor in actu nullo in compoſito reperitur niſi in animalibus. f. 194.
Calor & frigus quomodo ad inuicem producantur. f. 198.
Calor quomodo dentes corrumpat, quomodo ſiccitas. f. 254. 255.
Quomodo humiditas.
Frigiditas longè magis quam omnes aliæ. f. 255.
Caminos æquè ob immoderatam eorum anguſtiam, ac latitudinem in cauſſa eſſe ut cubicula fumo repleantur. f. 293.
Carnium ius à Serie Potionum medicinalium haud ſeiungendum eſſe. f. 226.
Caro Bouina pingue ualde denſum continet. f. 276.
Cauſſas morbificas non rarò affectus illarum præter naturam longè anteire. f. 32.
Cauſſa quamobrem uinum & aqua inuicem permixta ab inuicem exactè ſeparentur. f. 79. 80.
Cauſſa lapidum efficiens quæ. f. 100.
Cauſſa quamobrem in eodem Cramate ſenſus maioris, minoris caliditatis, frigiditatis uè actualis ſentiatur. f. 114.
Cauſſa quamobrem homines æſtuantes ab aſſumpta prægelida materia potulenta protinus pereant. à f. 154. uſq; ad 157.
Cauſſa ut fœmina generetur eſt gelidi Potus uſus. f. 266.
Cauſſa cur in muliere partes genitales intus ſint, eſt frigiditas. ubi ſupra.
Cauſſa circumactionis aeris quæ ſit. f. 292.
Cella uinaria optima quæ. f. 6.
prope publicas uias non extruenda.
Earum feneſtræ ubi locandæ. f. 6.
Quales ſint apud germanos.
Et apud Senenſes. f. 6. & 7.
penes quid a ſpeluncis differant. f. 89.
Celſi præſidium ad liberandum demorſum hominem à cane rabido. f. 170.
Illius auctoritas examinatur. à f. 28. uſq; ad 30.
Ceruiæ fons admirandus. f. 51.
Ceruiſia, zithum, & ſidra potus artificialis. f. 225.
Cerebrum ſedes eſt frigidi humoris. f. 229.

Cæſar Borgia quomodo ab aſſumpto ueneno fuerit liberatus. f. 281.
CAESENAE fontis exactiſsima deſcriptio. f. 39. 40.
CAESENAE ſitus. f. 220.
CAESENAE cœnobium Monachorum D. Benedicti elegantiſsimum. f. 221.
CAESENAE Aer nunc cur longè purior redditus ſit. ubi ſupra.
Cæſenatibus cur ſolus aquæ Potus non undequaquè ſit tutus. f. 171.
Cholerę morbo obnoxijs ſuccum ex peponum eſu genitum maximopere officere. f. 270.
Chriſtophorus à Vega quis, & eius ſententiæ circa uſum prægelidi Potus. f. 175. 176.
Cibus & Potus penes quid differant. f. 5.
Circa Potum gelidæ in febribus Galenus coactum fuiſſe proprium placitum oppugnare. f. 25.
Circa modum quo halinitri ope Aqua ad ſummum frigiditatis redigitur Auctoris opinio. à f. 122. uſq; ad 124.
Circumductionis motus ignis & aeris ſenſu approbari. f. 292.
Circumforanei re uera uenena deuorantes qua arte ſe præmuniant. f. 283.
Ciſterna optima quæ ſit.
Antiquorum à noſtra diuerſam eſſe. f. 38.
Crebro hauſtu illius aquam optimam effici. f. 37.
Illius quæ cura ſit habenda. f. 37. 38.
Quædam ab induſtrio alioqui Architecto extructa uitioſa.
ubique optimæ edificari poſſunt. f. 38.
Ciſternæ fluuiales aquas conſeruantes Conſeruæ dictæ quot ac quales. ubi ſup.
Coaſſumptione poſtaſſumptioneuè emanātia à prægelido potu detrimenta corrigi non poſſe. f. 271.
Immo nec præaſſumptione. ubi ſupra.
Coctionem primam ab uſu prægelidi potus maximè uitiari. f. 234.
Coelius Rhodiginus. f. 280.
Cœli motum ab ignitis impreſsionibus conſequi. f. 292.
Commoda ex ſolo aquæ potu homini ſuccedentia. f. 171
Compendioſi modi aquas corrigentes, quòt qualesq; ſint. f. 73. 74.
Conciliatio Ariſtotelis una cum medicis, ac ſemetipſo circa hydrargirum. f. 96.
Conciliatoris opinio circa hydrargirum improbata. f. 94. 95.
Color in mixtis prædominiū primarū qualitatum indicat per accidens. f. 100.
Con-

Confutatio opinionis Piſanelli circa uim aquæ frigefacientem ab halinitro prodeuntem. f. 121. 122.
Conſuetudo germanorum pro uinis conſeruandis. f. 7.
Cõſuetudines duæ acriter reprehendendæ. f. 225.
Conſuetudo praua homini ſummè inimica. f. 246.
Conſuetudo Troglodıtarum. f. 301.
Confidit magis ac ſperat ſuapte natura homo quam timeat. f. 245.
Confirmatur prorſus phrenitibis magna à decimaquarta poſt inuaſionem hora uſq; ad uigiſimam quartam. f. 257.
Contagionem in rabie conceptam admelancholiam analogum eſſe. f. 169.
Contagioſis in morbis, cur homines ab hominibus, & ſanguine coniunctis faciliùs inficiantur. ubi ſupra.
Contenta hic in Principum utilitatem præcipuè conſcripta eſſe. f. 227.
Cor ſolius hominis ex animalibus palpitare. f. 245.
Afficitur in quouis febrium genere. f. 248.
Conualeſcentium uictum medium inter eum qui ſanorum eſt, & ægrotantium. f. 17.
Contextus Ariſtotelis à Leoniceno correctus. f. 169.
Contradictiones tres in dictis Galeni ad potulentam materiam ſpectantes proponuntur enodanturq;. f. 190. uſq; ad 196.
Contradictio prima, ſecunda, & tertia apparens in dictis Galeni ad materiam potulentam ſpectans. f. 191.
Coriacea cubicula in aquis demerſa perſiſtentia. f. 303.
Cordi uinum ualde amicum. f. 148.
Corporibus ſanis medicamenta non eſſe exhibenda. f. 8.
Corpora ut nunc ſalubria quot ac quæ ſint. f. 9.
Sicca de facili & cito in frigiditatem prolabuntur. f. 12.
Calidis & humidis, Galenum potum frigidum interdixiſſe. f. 13.
Neutris omnibus prægelidus Potus inſinſiſsimus. f. 16. 17.
Corporis unaq; & ingenij uiribus præſtantes homines pauciſsimi. f. 16.
Corpora quæ ſint quibus præ cæteris potus immodicè frigidus inſinſiſsimus eſt. f. 79. ad 85.
Corpora humana quouſq; creſcant iuxta quamcumq; dimenſionem. f. 201. 202.
Corpus humanum in tres uentres diuiſum eſſe. f. 236.
Aqua intercutem ob ſolum uſum prægelidi potus corripi. f. 242.
Corporum ſymmetria ſanitas. f. 287.

Corpora noſtra protinus mutari uariantibus uentis. f. 290.
Corpora morboſa reddunt, & ſpiritum turbant uenti à montibus ſpirantes. f. 294.
Correctio Epularum triplici uia fit. f. 269. 270.
Corrumpit Mania uirtutes morales.
Qua nihil miſerabilius. f. 258.
Cruda quæ dicantur. f. 57.
Crudæ atq; frigidæ Aquæ ſterilitatem faciunt ex Ariſtotele cui Auicenna ſubſcribit. f. 268.
Cubicula ex Ariſtotele & Galeno refrigeranda. f. 286.
Poſitiue aut priuatiue refrigerantur. f. 287.
Modus refrigerandi illa, qui apud Hormi incolas eſt in uſu.
Alter in Aegypto in mare poſitus. f. 287.
Alter uſitatus apud aliquos nobiles Bononienſes. f. 288.
Modus refrigerandi ea lateraliter. ubi ſupra.
Cubiculum quoddam uentorum Carcer ſeu Eolium ab ædificatore nuncupatum. f. 289.
Cubiculorum refrigeratio uentis abſoluenda, ut ſalutaris ſit, quæ requirantur. f. 295. 296.
Cubiculorum priuatiua refrigeratio quæ & qualis ſit. f. 297.
Irrigandi illorũ pauimenta utrũ ſalutaris modus ſit. f. 298. uſq; ad 301.
Illorum exacta diuiſio. f. 298.
Eorundem ſuperabundans irrigatio quid efficiat. f. 299.
Cubicula in quibus aqua impluit. f. 202. 203.
Cucurbita quomodo corrigatur.
Quomodo Lactuca.
Quomodo Peponum Eſus. f. 270.
Culpata aqua magis nocet quam culpatæ Epulæ. f. 72.
Cur Antiqui de abuſu gelidi potus parce ſcripſerint. f. 2.
Cur uentriculus ab inſigniter refrigerantibus omnibus lædatur. f. 20.
Cur Galenus aquam niue refrigeratam quibusdam ægrotantibus exhibuerit. f. 23.
Cur ualde gelidam potare uolentibus præcepta dederit Auicenna, & quæ ſint. f. 32.
Cur præcepta Medicus aliquando tradat circa res omnino deuitandas. f. 30.
Cur Aqua Nili aluum ſubducat.
Menſes cieat.

Tutoq;

Tutoq; in Puerperio bibatur. f. 44. 45.
Cur Vas operculatum eſſe debeat dum aqua decoquitur. f. 58. 59.
Cur permulta actu ſicca aquam promptiſsime admittant. f. 70.
Cur Aqua calori innato inimica. f. 72.
Cur uinum uaſe exceptum immodicam moram in aqua etiam probata contrahens uitium contrahat. f. 77.
Cur mare quo magis ab undis agitatur magis & incaleſcat. f. 87.
Cur ſtillicidia a Medicis excogitata. f. 92.
Cur cadauera humana in ſarcophago condita, intra quadrageſimam diem abſumantur. f. 102.
Cur Magnes aliquando ferrum trahere deſinat. ubi ſupra.
Cur gemmæ paleſcant.
Quomodo a palore præſeruentur. f. 103. 104.
Cur Plumbea lamina pectori admota uocem conſeruet. f. 105.
Cur Aqua è niue eliquata aliquando præſidij habeat rationem à peſte hominem præcuſtodientis. f. 158.
Cur Autumnus uitæ opponatur. f. 160.
Cur Plato pueris uinum prorſus interdicat. f. 170. 171.
Cur pueri, & ſenes Cachexia laborantes facile pereant. f. 172.
Cur ſenes æſtate melius ſe habeant. f. 177.
Cur gelidus nimis potus ſenibus officiat.
Cur & Pueris. f. 179.
Cur Mulieribus omnibus indiſcriminatim. f. 180.
Cur Virginibus uiro maturis.
Cur Viduis maximè. f. 181. 182.
Cur ſterilibus. f. 182.
Cur Parturientibus & Puerperis. f. 183.
Cur Lac exhibentibus. f. 184. 185.
Cur Niuales & glaciales aquæ longè maiorem terreſtris ſubſtantiæ quantitatem contineant, quam limpidæ omnes aliæ aquæ. f. 209. 210.
Cur Montes ſpongioſi à natura facti. f. 214.
Cur CAESENAE AVCTORIS PATRIAE *Aer longè purior nunc redditus ſit.* f. 220.
Cur Nix aquæ ſupernatet. f. 221.
Cur ad euaporationem tenuiorum uini partium frigiditas non intendatur. f. f. 222.
Cur Hippocrates Thoracem, uentrem ſuperiorem uocauerit. f. 236.

Cur ſit quod tot in latitudine hominum Magni, Prudentes, & in reliquis uitam alioqui magni facientes, errore à prægelido potu emanante quaſi faſcinati illam in poſtremis habeant tertij libri caput quartum. à f. 243. uſq; ad 246.
Cur à cane rabido morſi, nihil abhorreant magis quam aquam, à qua poſſunt ſanari. f. 244.
Cur in Principibus magis quam in reliquis hominibus conſuetudines radicentur. f. 246.
Cur pauciores morbos incurrant pauperes quam diuites. ubi ſupra.
Cur morbus regius ſuturam coronalem excedens perſæpe læthalis ſit. f. 248.
Cur Phthiſis ſit perniciosiſſima morborum.
Ea affecti omnes cur moriantur. f. 250. 251.
Cur Ruſtici Monticolæ ferè omnes dentibus deſtituantur. ubi ſupra.
Cur Maniaci ægerrime curentur. f. 258.
Cur Potus prægelidæ aquæ aliquando inmediate producat aquam intercutem nonnunquam affectus calidos. f. 260.
Cur biliosa potius quam Pituitoſa Angina ab uſu prægelidi potus gignatur. f. 262.
Cur ea quæ ad pulmonem uertitur.
Et cur perniciosiſſima omnium. f. 263.
Cur fauces contangens cutis paßibilis admodum ſit. f. 265.
Cur ab eſu peponum ſolidiores cibi edendi ſint. f. 271.
Cur ſuaueolentia uentriculo admodum ſint Amica. f. 279.
Cur ius nigrum Hematia dictum fuerit.
Quomodo præparetur.
A Galeno contemptum fuiſſe. f. 281.
Cur uenti omnes à meridie ſpirantes ab Hippocrate Auſtri nomine ſint uocati. f. 289.
Cur Aquæ in magnis fluminibus uix fluere uideantur per anguſta loca deductæ immenſo fragore erumpant. f. 292.

D

DAmnandam eſſe uulgi opinionem puteos altitudine comendantē. f. 91.
Daniel Barbarus. f. 301.
De facili & cito in frigiditatem prolabuntur corpora ſicca. f. 12.
Defunctis turpem famam parere impium eſt. f. 174.
De iure albo uocato Alexandri Petronij opinionem non poſſe uerificari.

Quid

Quid illud ſit & quomodo præparetur. f. 279. 280.
Illius apparatum ad piſcium cocturam directum fuiſſe. f. 280.
De iure Nigro uocato nec ipſam uerificari poſſe. ubi ſupra.
Deficiente generatione neceſſum eſt omnes alios motus deficere. f. 267.
Deliramenta ferina quomodo producantur. f. 257.
De Modis refrigerandi potulentam materiam aeris adiumento caput primum ſecundi libri. à f. 85. uſq; ad 90.
De modis refrigerandi potulentam materiam humidorũ auxilio caput ſecundũ. ſecundi libri. à f. 91. uſq; ad 99.
Denſationem à repetito pluries prægelidi potus uſu faucibus impartiri. f. 265.
Denſitatis aquæ duæ ſunt cauſſe. f. 68.
Dentes qua uia ſentiant. f. 149.
Prægelidi potus uſus decutit. f. 254.
Ad quid à natura inſtituti.
Quibus hebetantur non parum de uita auferrur.
Robuſti ad diuturnitatem uitæ faciunt. ubi ſupra.
Soli omnium oſsium tota uita accreſcunt.
Cum lingua ſapores diſcernunt.
Ab immoderatis primis qualitatibus omnibus uitiantur.
Quomodo à calore corrumpantur.
Quomodo à ſiccitate. f. 254. 255.
Quomodo ab humiditate.
A frigiditate longè magis quam ab omnibus alijs.
Frigidi ſunt quamuis ab aſſante calido producti.
Ruſtici Monticolæ cur ferè omnes illis ſint deſtituti. f. 255.
Deorſum aerem moueri & quomodo. f. 291. 292.
Deſcriptio exactiſsima FONTIS CAESENAE. f. 39. & 40.
Deſcriptio uaſis ope cuius uinum & aqua mutuo ſe contangentia ab inuicem ſeparantur. f. 80. ad 82.
Deſcriptio Aulæ æſtate aerem frigidum conſeruantis.
Palatij Caiani SERENISS. MAGNI DVCIS HETRVRIAE. f. 297. 298.
Deſtillatio quid ſit. f. 229.
Deſtillationem non eſſe unam. ubi ſupra.
Deſtillationes non eſſe tres. ubi ſupra.
Detrimenta à prægelido potu emanantia non poſſe corrigi coaſſumptione aut

poſtaſ-

poſtaſſumptione.
Immo nec præaſſumptione. f. 271.
Dicta Galeni ad gelidæ aquæ exhibitionem in febricitantibus ſpectantia legentes ancipites reddere. f. 23.
Dicti Zimaræ improbatio. f. 121.
Dicta Ariſtotelis quibus aſſerit calorem cœleſtem largiri quamcunq; uitam, & calorem illuminantis ignis entia corrumpere, quomodo intelligenda. f. 192. 195.
Dicti Hippocratis ex eodem Hippocrate germana interpretatio. f. 228.
Dictum Alexandri Petronij, nec de iure braſsicæ, nec de alio iure poſſe uerificari. f. 278. 279.
DICTUM Ariſtotelis dubitationem generans. f. 295.
Differentiæ aquarum potabilium quinq; iuxta Aetij ſententiam. f. 55.
Difficultas qua uia, motu circunductionis ad actum redigatur potentialis halinitri caliditas. f. 124.
Difficultas quomodo efficiens poſitiuum producat effectum priuatiuum. f. 124. 126.
Difficultas cur halinitrum in aqua circumductum incaleſcat, & aqua una frigefiat. f. 125.
Diminute alimentum in uentre habere, ſiccum illum reddit. f. 204.
Diſcrimen extare inter melius concoquere & plus de calidis & ſiccis humoribus gignere. f. 177.
Diſcrimen quod nam ſit inter calidam & caldam. f. 226.
Diuerſitas ructuū quomodo oppoſitas uentriculi præ ſe ferat intēperies. f. 27.
Diuinum Diuini Platonis mandatum. f. 115.
Diuina naturæ fuiſſe matrix. f. 268.
Diuiſio cubiculorum. f. 298.
Diuites cur plures morbos incurrant quam Pauperes. f. 246.
Domorum ſubterranearum ſalutarium genera duo & quæ ſint. à f. 301. ad 303.
Domus ſubterraneæ apud Vitruuium quæ. f. 301.
Dormitum euntes æſtate Oſtijs atq; feneſtris patentibus, quantum propriæ ualetudini officiant. f. 196. & 197.
D. Hippolitus Caracciolus concionator egregius. f. 218.
Duarum obiectionum ſolutio. f. 290. 291.
Duæ maximè propoſitiones ab omnibus Medicis approbatæ. f. 144.
Ducentos annos omnium conſenſu.

Ela-

Elephantes uiuere. f. 214.
Dulce uinum non congelari iuxta Aueroem. f. 224.
Duæ ad potulentam materiam ſpectantes multorum conſuetudines reprehendendæ. f. 225.
Duo eſſe inſtrumenta ſenſus ad ſentiendum & quæ. f. 188.
Duo innati caloris ualidiſſimi hoſtes. f. 218.
Duo requiri ut Aquoſa congelentur. f. 238.
Duo ſi homo faceret ferè nunquam ægrotaret & quæ illa ſint.
Duplex in homine robur. f. 11.
Duplex in aqua frigiditas. f. 126.
Duplex ſubſtantia pinguis. f. 277.
Duplex uenenorum diſcrimen. f. 284.
Dura Menix ueluti ab extrinſecis, ita tenuis ab intrinſecis cauſis apoſtema contrahit. f. 256.

E

EDuliorum in latitudine, fungi admodum culpabiles, Aquis ſupernatant omnes. f. 221. 222.
Efferentes nimis Antiqua ſecula nimiſq; hoc deijcientes reprehenduntur. f. 80. 81.
Efficiens lapidum cauſa quæ. f. 100.
Efficiens Poſitiuum quomodo producat effectum priuatiuum. f. 124. 125.
Efficiens cauſſa circumactionis aeris quæ ſit. f. 292.
Aegritudines ferè omnes à ſola materia catarrhali poſſe produci quidam affirmarunt. f. 231. 232.
Quot ac quantæ, obſtructiones conſequantur. f. 235.
Conſequentes Lienteriam quæ. f. 239.
Conſequentes fæcum retentionem. f. 240. 241.
Egerrime cur curentur Maniaci. f. 258.
Elementa gaudent eſſe extra proprium.
VBI gratia prohibendi uacuum. f. 54.
Quo ad aliquas partes pura ut ſint neceſſe eſſe. f. 215
Eorum naturam non quælibet impuritas deſtruit. ubi ſupra.
Elephas ducentos annos communi conſenſu uiuit. f. 254.
Elixa habent exteriora interioribus humidiora, in aſſatis è contrario. f. 278.
Emanantes à Montibus uenti ſpiritum turbant, & corpora morboſa reddunt. f. 244.
Emanantia à gelido nimis potu nocumenta multoties non detegi niſi tractu temporis.

poris. f. 11

Emergens Aphoriſmus ex uarijs Hippocratis dictis. f. 253.

Enodatio trium in dictis Galeni ad potulentam materiam ſpectantium apparentium contradictionum. à f. 191. uſq; ad 196.

Eò tenuiore eſſe ſpiritus ſenſationibus inſeruientes quò ſenſatio eſt nobilior. f. 188.

Eolium, Carcerq; uentorum cubiculum quoddam cur ab ædificatore uocatum. f. 289.

Epicerasticam facultatem iuri pulli ineſſe. f. 276.

Epulas triplici uia corrigi poſſe. f. 269. 270.

Errores omnes as Mulieribus utero gerentibus manantes ſumma reprehenſione dignos eſſe. f. 182. 183.

Errorem ad prægelidum potum ſpectantem habere rationem externæ cauſſae. f. 227. 228.

Error ab imperitis patratus iu curatione Anginæ. f. 265.

Errorem ab uſu prægelidi potus manantem etiam naſcituris ſummè nocere caput ſeptimum tertij libri. à f. 266. uſq; ad 269.

Eſculentam potulentamq; materiam iucundam eſſe neceſſe eſt. f. 7.

Eſſe quomodo poßit ut probatorum fontium aquæ terream nocentem ſubſtantiam admixtam non habeant caput 16. ſecundi lib., à f. 214. uſq; ad 217.

Eſus Peponum quomodo corrigatur.

Quomodo Cucurbitæ.

Quomodo lactucæ. f. 270.

Eſus Lactucarum cum multo oleo uel buthiro ſi præaſſumantur ueneni impreßionem prohibent, Idem & præſtat Boum præpinguum interranea. f. 283.

Euntes dormitum æſtate Oſtijs atq; feneſtris patentibus quantum propriæ ualetudini officiant. f. 296. 297.

Examen Auctoritatis Auicennæ de gelido potu caput octauum primi libri. f. 22.

Examinatur Auctoritas Celſi caput x. primi lib. à f. 28. uſq; ad 30.

HISCE equidem innoxiè exhiberi poſſe, videretur perſuadere dictum iam in calido atque humido reſidens robur. Ea nì apertè obſtarent quæ de ipſis protulit Galenus, citò videlicet, & de facili iccirco à putredinis morbis corripi, quoniam, & humorum vitio prompte laborant, facileque cum natiuus calor in humido diſsipetur alienus intromittitur, quorum vtrumquè obſtructionibus productis promptiſsime euenit: Producuntur autem illæ in ijs, & facillime dum cruditates multiplicantur, quarum multiplicationi cum plurimum conducat præter concupiſcibilis robur, quo perſæpe (vt venerea taceam) ad maiorem cibi potuſquè copiam aſſumendam impelluntur, quàm ventriculi vires ferre valeant, ſi præfrigeratus plurimus potus ſuperaddatur (parum ſiquidem bibere, vti dictum eſt, illi neſciunt, nec queunt) non niſi per breue temporis interuallum ad intra ſanitatis limites perſiſtere poterunt. Adde Galenum à numero illorum quibus aliquando præfrigeratum potum admittit, calidos, & humidos excluſiſſe, ſi quis bene perpendat, Ad ea ſiquidem benè obeunda de quibus in libro iam à nobis citato agit, vt in primis perſpicaces nati ſint homines operepretium eſt, corporearumquè vnà virtutum robore, vſque adeò polleant, vt in obeundis muneribus non diſſoluantur, nec deficiant: Quorum neutrum ineſſe poteſt his, qui calidi ſunt, & humidi, vt quibus abundat ſanguis, quamuis non certè hebetes, ita nec ad ingenij excellentias admodum apti ſunt, nam ad ſocietates, & vitæ tranquillitatem cum valdè idonei ſint, & Amantes, Amabileſquè, & grati, partim à ſenſibus diſtrahuntur, ad quorum voluptates propenſi maximè ſunt: Nec aſsiduis occupationibus, nec perſiſtentiæ, quæ ad cogitationes circà ipſas neceſſario requiritur patientes ſunt, ipſiſquè cerebrum propter humiditatem, non niſi ſubpingue eſſe poteſt; corporeiſquè viribus

In 6. lib. de ſanit. tuenda, cap. 3. & in art. medic. cap. 37.

De ſucco-rũ ſcilicet bonitate, & vitio. cap. 13.

præ

præ nimio carnis pondere præſtare minimè poſſunt; immo cum leui quacunque occaſione profuſè deſudent, ita delaſſantur, vt ab inceptis, vel parui momenti actionibus perſæpè velint nolint deſiſtere cogantur. Sed hæc dubitationem quandam habent propter ea quæ ſcripta reliquit Galenus. Si danda inquit aliquibus eſt frigida aqua, illis potiſsimum danda eſt, qui ſupra modum calidi, pingues, & carnoſi ſunt, ſiue naturali habitu, ſiue acquiſito, & inter hoſce illis, qui ſe vehementer exercent. Apertè enim aduerſus aſſertionem hanc, corporibus ab optima conſtitutione recedentibus per calidum, & humidum, Potum ſummè etiam frigidum concedere videtur, concedit enim ſimplicis ac prægelidæ aquæ potum: Pinguia nimirum atque carnoſa corpora omnia, calida, atque humida eſſe, in dubio verſari non videtur: Nec non, & eadem imbecillioribus viribus eſſe negat, quàm vt vehementioris exercitationis laborem perferre poſsint.

In lib. de affectus renũ dignotione, & curatione. cap. 7.

Ad quod nequaquam dicendum videtur, hæc Galeno iccirco non aduerſari, quoniam ipſius liber ille non ſit: Nam Galeni procul dubio Placitum iſtud eſt, & liber ille à ſapiente Viro Galeni placita inſectante fuit conſcriptus. Ea propter dicendum eſt ipſum, non de ſanguineis ſermonem habere, quinimmo de melancholicis, & non de illis quibus gelidum nimis potum infenſiſsimum eſſe iam aperuimus: Nam veluti non eadem eſt in omnibus, qui à ſapientibus melancholici vocantur, nec menſura, nec conditio melancholiæ, ita nec vno modo homines melancholici dicendi ſunt: Aliquando enim melancholicos vocamus, quibus membra talia ſunt, hoc eſt frigida, & ſicca, de quibus tactum eſt, quandoquè verò quibus ſanguis multus eſt, craſſus autem, & ſiccus: & veluti primi ad nihil penè vtiles ſunt, neque enim ad ea, quæ ſunt corporis, nequè ad ea que ſunt ingenij munia, ſed & timidi, & ſegnes: ita ſecundi tum corporeis, tum animi viribus maximè excellunt: ſed nequè hi etiam omnes, quoniam non omnibus ea ineſt natura melancholiæ, quæ excellentes efficere ſolet: ſiquidem humor hic, & calidiſsimus, & frigidiſsimus poteſt accidere; poteſt, & temperatior.

Refert

Refert etiam non parum, multus nè an paucus acceſſerit, & magis, vel minus craſſus. Quibus igitur plurimus acceſsit ille, ſi & craſſus etiam fuerit, accenſus atquè ardens, hi furentes euadunt: Triſtes verò ſolitarij, formidoloſi, ſegnes, amenteſquè, quibus plurimus, & fæculentus, & frigens aduenit: At quibus in omnibus temperatior ineſt melancholia, hi & ad animi, & ad corporis excellentias bene nati ſunt; In primis enim multum caloris habent, & ſpiritus, quoniam ſpirituoſiſsima eſt talis melancholia: Tum verò, & fortes ſunt atque conſtantes, & ob denſitatem nullatenus reſolubiles. Tot diuerſos, ſiquidem in hominibus in quibus ipſa prædominatur effectus producere, iuxta tum modi, tum menſuræ diuerſitatem exactiſsimè nos edocet Ariſtoteles, & peculiariter quantum faueat robori corporis, Herculis exemplo, magis enim fortè huic fauet quam præſtantiæ ingenij. Robuſtum enim iccirco reddit corpus, & per ſe, quoniam, & denſum, vnaquè, & calidum efficit; Perſpicacem verè per accidens, quatenus videlicet hominem ad inueſtigandum valde excitat ſuo calore: Nam perſpicaciam ipſam per ſe conſequi perfectius temperamentum ipſemet Philoſophus teſtatur: Sed vtcumque quoniam, & laboribus, & incommodis reſiſtentem vnaquè, & perſpicacem hominem reddit melancholia, vel rectius atra bilis vocata: quæ cum ſicci temperamenti ſit Galeno teſte; ſatis ſuperquè conſtat præſtantem Auctorem illum, ibi non de ſanguineis verba feciſſe, cum ipſi nec ſupra modum calidi ſint, nec vehementer ſe exercere queant, vti oſtenſum eſt, At de his qui temperata (vt ita dixerim) atrabile referti ſunt, Præterquam quòd enim, horum vtrumquè ipſis ineſt, in medio ſunt craſsitiei atquè exilitatis, Nam qui ſupra modum calidi; & carnoſa pinguedine pingues ſunt, ſi vehementer ſe exerceant, vt talem, vel habeant, vel contrahant corporis habitudinem neceſſe eſt, quæ quidem longe præſtantior eſt illa, qua ſanguinei præditi ſunt, quæ quamuis omnino reprehenſibilis non ſit, hac tamen minus diſtat à craſsitie illa præter naturam de qua intellexit Hippocrates dum dixit,

In trigeſima ſect. problematũ prob. p.

In 2. lib. de anima tex. 94.

In com. p. in lib. 3. Epidem. Ceap. 5.

In 2. lib. aphor. aph. 44.

præ nimio carnis pondere præſtare minimè poſſunt; immo cum leui quacunque occaſione profuſè deſudent, ita delaſſantur, vt ab inceptis, vel parui momenti actionibus perſæpè velint nolint deſiſtere cogantur. Sed hæc dubitationem quandam habent propter ea quæ ſcripta reliquit Galenus. Si danda inquit aliquibus eſt frigida aqua, illis potiſsimum danda eſt, qui ſupra modum calidi, pingues, & carnoſi ſunt, ſiue naturali habitu, ſiue acquiſito, & inter hoſce illis, qui ſe vehementer exercent. Apertè enim aduerſus aſſertionem hanc, corporibus ab optima conſtitutione recedentibus per calidum, & humidum, Potum ſummè etiam frigidum concedere videtur, concedit enim ſimplicis ac prægelidæ aquæ potum: Pinguia nimirum atque carnoſa corpora omnia, calida, atque humida eſſe, in dubio verſari non videtur: Nec non, & eadem imbecillioribus viribus eſſe negat, quàm vt vehementioris exercitationis laborem perferre poſsint.

In lib. de affectuũ ac nũ dignotione, & curatione. cap. 7.

Ad quod nequaquam dicendum videtur, hæc Galeno iccirco non aduerſari, quoniam ipſius liber ille non ſit: Nam Galeni procul dubio Placitum iſtud eſt, & liber ille à ſapiente Viro Galeni placita inſectante fuit conſcriptus. Ea propter dicendum eſt ipſum, non de ſanguineis ſermonem habere, quinimmo de melancholicis, & non de illis quibus gelidum nimis potum inſenſiſsimum eſſe iam aperuimus: Nam veluti non eadem eſt in omnibus, qui à ſapientibus melancholici vocantur, nec menſura, nec conditio melancholiæ, ita nec vno modo homines melancholici dicendi ſunt: Aliquando enim melancholicos vocamus, quibus membra talia ſunt, hoc eſt frigida, & ſicca, de quibus tactum eſt, quandoquè verò quibus ſanguis multus eſt, craſſus autem, & ſiccus: & veluti primi ad nihil penè vtiles ſunt, neque enim ad ea, quæ ſunt corporis, nequè ad ea que ſunt ingenij munia, ſed & timidi, & ſegnes: ita ſecundi tum corporeis, tum animi viribus maximè excellunt: ſed nequè hi etiam omnes, quoniam non omnibus ea ineſt natura melancholiæ, quæ excellentes efficere ſolet: ſiquidem humor hic, & calidiſsimus, & frigidiſsimus poteſt accidere; poteſt, & temperatior.

Refert

Refert etiam non parum, multus nè an paucus acceſſerit, & magis, vel minus craſſus. Quibus igitur plurimus acceſsit ille, ſi & craſſus etiam fuerit, accenſus atquè ardens, hi furentes euadunt: Triſtes verò ſolitarij, formidoloſi, ſegnes, amenteſquè, quibus plurimus, & fæculentus, & frigens aduenit: At quibus in omnibus temperatior ineſt melancholia, hi & ad animi, & ad corporis excellentias bene nati ſunt; In primis enim multum caloris habent, & ſpiritus, quoniam ſpirituoſiſsima eſt talis melancholia: Tum verò, & fortes ſunt atque conſtantes, & ob denſitatem nullatenus reſolubiles. Tot diuerſos, ſiquidem in hominibus in quibus ipſa prædominatur effectus producere, iuxta tum modi, tum menſuræ diuerſitatem exactiſsimè nos edocet Ariſtoteles, & peculiariter quantum faueat robori corporis, Herculis exemplo, magis enim fortè huic fauet quam præſtantiæ ingenij. Robuſtum enim iccirco reddit corpus, & per ſe, quoniam, & denſum, vnaquè, & calidum efficit; Perſpicacem verè per accidens, quatenus videlicet hominem ad inueſtigandum valde excitat ſuo calore: Nam perſpicaciam ipſam per ſe conſequi perfectius temperamentum ipſemet Philoſophus teſtatur: Sed vtcumque quoniam, & laboribus, & incommodis reſiſtentem vnaquè, & perſpicacem hominem reddit melancholia, vel rectius atra bilis vocata: quæ cum ſicci temperamenti ſit Galeno teſte; ſatis ſuperquè conſtat præſtantem Auctorem illum, ibi non de ſanguineis verba feciſſe, cum ipſi nec ſupra modum calidi ſint, nec vehementer ſe exercere queant, vti oſtenſum eſt, At de his qui temperata (vt ita dixerim) atra bile referti ſunt; Præterquam quòd enim, horum vtrumquè ipſis ineſt, in medio ſunt craſsitiei atque exilitatis, Nam qui ſupra modum calidi; & carnoſa pinguedine pingues ſunt, ſi vehementer ſe exerceant, vt talem, vel habeant, vel contrahant corporis habitudinem neceſſe eſt, quæ quidem longe præſtantior eſt illa, qua ſanguinei præditi ſunt, quæ quamuis omnino reprehenſibilis non ſit, hac tamen minus diſtat à craſsitie illa præter naturam de qua intellexit Hippocrates dum dixit,

Qui

In trigeſima ſect. problematũ prob. p.

In 2. lib. de anima tex. 94.

In com. p. in lib. 3. Epidem. C cap. 5.

In 2. lib. aphor. aph. 44.

„ Qui natura admodum craſsi ſunt, citius intereunt quàm qui „ graciles: Hi igitur calidi, & ſicci, cum ex atra, non ex flaua bile ſint, in latitudine omnium corporum, quibus prægelidus potus non omnino interdicitur, Tanto minus ex potu illius detrimenti perſentiunt, quo magis illa omnia, tum partium ſoliditate, tum copioſo nec niſi ægre diſsipabili calore ſuperant. Qui præter inſignem ſatis ad motum promptitudinem, præter quæ egregia ab illis ædita opera, ſiue ad artes, ſiue ad diſciplinas, ſiue ad imperatoriam, ſiue ad Reipublicæ adminiſtrationem ipſa pertineant, ab illis tactu, viſuquè optime diſtinguuntur, Nam vnà cum vehementioribus pulſibus, ſolidiores quas illis ineſſe diximus carnes, quæ, & ſi rubedine perfuſæ ſint, non tamen candidæ veluti in illis, quinimmo potius ad fuſcedinem tendentes conſpiciuntur. At hi valdè pauci ſunt, nam inter homines quemadmodum innumerabiles propemodum extant, qui hebetes ſunt, & viribus plurimum præſtant: Et non pauci, qui à natura egregio ſatis ingenio inſtructi, vnaquè, & imbecillimi ſunt: ita non niſi perpaucos inuenire licet, qui à natura ſummis corporis viribus ſimulquè, & acutiſsima ingenij acie donati ſint.

VTRVM CORPORIBVS NEVTRIS EXHIBERI POSSIT. CAP. VI.

DE Corporibus autem neutris vocatis cuiuſuis ſint modi, illudmet ſtatuendum eſſe, quod & de ſalubri, vt nunc corpore, à iuxto temperamenti modo, per calidum, & ſiccum recedente iam ſtatutum eſt; ita ex enarratis iam patet, vt ſuperuacaneum omnino ſit, illud comprobare, noua aliqua ratione tentare: Præfrigeratum ſcilicet illis potum nequaquam interdicendum eſſe, quotieſcunquè vniuerſalis æqualiſquè per calidum, & ſiccum receſſus aderit: Aberuntquè vnà cuncta, quæ iuſtè impedire valeant, veluti præter iam tradita, eſt inſignis ventriculi imbecillitas: ita vt inter hæc perpauca ſint, quibus exhiberi poſsit: Et eo magis,

gis,

gis, quoniam corpora neutra, tum decidentiæ, tum conualeſcentiæ dicta, à tali potu tanquam ab angue præcauenda ſunt: Quid enim deterius, vel homini contingere poteſt, celerrimo gradu, à ſanitate ad ægritudinem properanti, quàm ea exhibere quibus imminentis morbi materia extremos propemodum cruditatis gradus ſibi aſciſcat: Vel à ſæuo morbo reſurgenti, & lento gradu ad ſalutem tendenti (longè enim imparem ne dicam oppoſitam eſſe hominum ad morbos, ſanitatemquè tendentium conditionem, nemo ignorat) locò præſidiorum reficientium, ſpirituſquè multiplicantium, ea exhibere, quæ reſtaurationem multifariam impediunt, & calorem innatum puſillum iam à præcedenti morbo effectum, mortificando ad nihilum ferè redigunt: Adde Galenum priuatè præcepiſſe, conualeſcentium victus rationem, mediam inter eam, quæ ſanorum propria eſt, & quæ ægrotantium eſſe debere, & præcipue in potu aſſumendò, quo ad ea quæ ſummam frigiditatem, & naturæ perutilem mediocritatem concernunt. in 7.meth. cap. 6.

VTRVM IN SALVBRIBVS CORPORIBVS CONFERAT POTVS PRAESERTIM AQVAE PRAEFRIGERATAE: CAP. VII.

QVAMVIS primarium noſtrum inſtitutum ſit, de Potu hoc ratiocinari, prout præſentē ſanitatem conſeruare, vel potius deſtruere valet; Quoniam tamen res tota hæc abſolutè pro viribus digerenda eſt: Iccirco dicimus, eorum aliquibus conferre, pro vt Remedij habet rationem: Sed valdè raro accidit vt Medicus poſsit, debeatquè exhibere âbſquè quod aliquid nocumenti aſſumentibus non ſuccedat: Refert itaque Galenus, ſe aliquot calida ventris intemperie laborantes, Aqua niuibus refrigerata curaſſe, eo modo quo Romæ præparare ſolebant: Conſueuerant nimirum iuxta Neronis inuentum, vt frigoris voluptate, abſquè niuis vitijs fruerentur, aquam decoquere, vitroque demiſſam in 7.meth. cap.4.

in niues refrigerare, iuxta quem modum refrigerata vſum
In p. lib. variarũ lectionum. cap. 8. fuiſſe Galenum aſſerit Abſolutiſsimus Medicorum noſtræ ætatis Hieronymus Mercurialis, ita vt pateat ipſum refrigeratã quamuis aqua, omni tamẽ alio vitio carente vſum fuiſſe; omnium ſiquidem doctiſsimorum ferè conſenſu, præſtantiſſimum atquè nobiliſsimum aquarum remedium eſt decoctio. Gelida verò quamuis inter maxima continentium febrium
In 9. meth. cap. 5. præſidia à Galeno ipſo recenſeatur; Medicinam attamen facientes, ſi omnia quæ tum attendenda, tum obſeruanda eſſe, quo tutò exhibeatur, ipſe præcipit, ad amuſsim, tum expendere, tum præſtare, (vti tenentur) voluerint, Non niſi paucisſimis mehercule dictorum febricitantium, & perraro exhibere audebunt. Nam de re tanti ponderis ſermonem
» habens loco iam citato ſic inquit. Ad frigidam exhiben-
» dam accedes, ſed diligenter ante diſcernens, quantum ex ea
» nocumentum contingere poſsit, Nam ſi id aut exiguum erit,
» aut nullum, offerenda potui eſt, quæ prorſus ſit gelida, quan-
» tum bibere ægro libet: quinimmo magis id audebis, ſi fri-
» gidæ potioni inſueuerit. Sin magnum timetur incommo-
» dum, ab hac quidem abſtinendum, atquè alijs auxilijs qui-
» bus obſtructio eximatur, & abundantia vacuetur, & febris
» feruor deferueat vtendum. Porrò incommoda quæ frigi-
» dam potionem intempeſtiuè immodicèquè exhibitam ſe-
» quuntur in his conſiſtunt. quod lentos multoſquè humores,
» ſiue hi obſtructiones, ſiue putredinem, ſiue phlegmonem, ſi-
» ue qualis Eryſipelas, aut ſcirrhus, aut oedema eſt, affectum
» creauerint: attenuari digeriquè prohibent; Ergo quoties
» ex his febris accenditur, atquè ad eos vacuandos frigida data
» non conducit, Ad præſens quidem non paruum affert leua-
» men, propterea quod iam accenſam febrem extinguit: Ve-
» rum cum cauſa eius adhuc perſtet, aliam denuò accendi eſt
» neceſſe; atque ea quæ præceſsit nonnunquam difficiliorem,
» propterea quod denſatum ex frigida corpus eſt. Atquè hæc
» vna noxæ ſpecies eſt minimè contemnenda. Altera talis eſt.
» Multæ laborantis imbecillæ particulæ ſiue ita ſe ex naturali
» intemperie habeant, ſiue ex vitio adſcititio, à frigida læ-

» duntur. Alij namquè gula adeò vehementer eſt affecta,
» vt vix deglutiret. Alij ventriculus ſic, vt vix concoque-
» ret. Alij ipſum ventriculi os, aut iecur, aut colon, aut
» Pulmo, aut ſeptum tranſuerſum, aut Renes, aut veſica,
» aut tale quippiam aliud à frigida percuſſum, ad proprium
» opus infirmum eſt redditum. Nonnulli autem ex intem-
» peſtiua immodicaquè eius potione, non multo interpoſi-
» to tempore, nec poſtmodum, ſed illico difficultate ſpiran-
» di, & conuulſione, & tremore corripiuntur: ac toto (vt
» ſemel dicam) neruoſo genere læduntur. At ſibi optime
» conſcius, nè placitum proprium excuteret, prorſus addit,
» Nec ignoro, quod formidoloſum te ad frigidam offeren-
» dam ex ijs quæ memoraui reddiderim, niſi ea mòuſum
» ſubinde vidiſſe, ſemperquè cum ſucceſſu, nec ægrum in
» vllo manifeſte læſiſſe. mentis tamen aciem in verè iam ex-
» plicita intendens ſubiungit. Quibuſcunquè enim in
» principe particula tumor aliquis è phlegmones, ocdemaa-
» tos, aut ſcirrhi genere conſtitit, ijs frigidam offerre non
» oportet: ſed nec ijs, quibus obſtructio, putridus vè hu-
» mor non concoctus incommodat. Non ſint obſecro,
quos noſtra hæc, in re tanti momenti diligentia excruciet,
vtilis namquè, & valde eſt, vt vnuſquiſquè de propria ſalu-
te anxius, & ſi medicis litteris non benè inſtructus, ſciat
quàm periculoſus gelidus potus ſit, etiam in illis, quibus
maxima alioqui ineſt reſiſtendi via, tum ratione calidiſsi-
mi, vnaquè, & ſiccisſimi exuberantis humoris, nec non,
& vehementiſsimi à putredine illius concitati caloris fe-
brilis, ita vt tutius ſit ab illius vſu abſtinere: fructuoſum-
què adhuc magis eſt (quod iam oſtenſum fuiſſe mihi per-
ſuadeo) latere hominum neminem, quàm paucis, & quàm
raro, abſquè inſigni perſpicuaquè, tum bonæ valetudinis,
& præſentis, & futuræ, tum vitæ diuturnitatis læſione, re-
frigerato potu vti liceat. Tradita nimirum ſi bene expen-
dantur, planè perſpicuum erit inter decem millia corpo-
ra humana ſiue ſana, ſiue ægra, ſiue neutra diſpoſitione af-
fecta ſint, vnum vix fortè reperiri, cui inculpate prorſus

exhiberi poſsit: Et quibus poteſt, vel non niſi ſemel licere, veluti cauſone laborantibus: vel non niſi per breue temporis interuallum, vti de iuuenibus ab optimo ſtatu per calidum, & ſiccum recedentibus aperuimus: ſiue enim tempus penes annos, quibus iuuentutis durat vigor attendatur, breue ſanè eſt, & breuius ſi penes dies, quibus ſumme calet aer: Et eò maxime quoniam quantuncumquè reliquæ conditiones gelidum potum non prorſus prohibentes adſint, quas in ſano homine adeſſe, operepretium eſſe iam diximus: Difficile eſt inuenire ventriculum, congruè, ad illum admittendum diſpoſitum: Et poſthabita illius fabrica, ratione cuius prompiiſsime à refrigerantibus omnibus inſigniter, omnibus propemodum in hominibus læditur, concauum enim membrum eſt, neruoſum, & exangue: ſi iuſto paulo plenior extiterit in actu aſſumptionis iam dicti potus, iccirco læditur, quoniam cum denſior grauiorquè ille ſit, temperate frigido, valdè grauat: Si verò non ſat plenus ſit, ipſum eneruat, euertit, dolore afficit, appetitumquè in eo reſidentem frangit (quæ, & Recentiorum aliqui, non æque ac deberent potum hunc improbantes admittunt) At æſtate, in qua uſus illius tantummodo admittitur non poteſt non hæc valde pati, cum reſpectu cuiuſcunque alterius anni temporis, parum comedamus, tunc quia æſtu ſat frequenter conflictati, non poſſumus, tum quia ſi poſſemus minimè deberemus, quia tunc, & ventres longè minus calidi ſunt quàm in quolibet alio anni tempore

In p. lib. aphor. 15.

iuxta Hippocratis ſententiam: Hinc Polybius egregius illius diſcipulus rectiſsime admonuit in libro de Salubri dieta, vt quò magis à verè recedentes ad æſtatem tendimus, magis, & cibo detracto potum augere debeamus: Quapropter haud mirum eſt, ſi tot homines, inter quos ſunt Principes, nec certè pauci, illecti nimis dulcedine illius fucatę voluptatis, vel intempeſtiuè moriantur, vel ægritudines incurrant morte ipſa deteriores: frequenter nimis, nimiſquè immoderatè, percuſſo à præfrigerato potu genere neruoſo, frigidum namquè neruis inimicum teſte Hippocrate: De quibus vnà cum Galeno dici, & meritò poteſt: Quomodo autem

In 5. lib. aph. 18. In 5. de tuenda va

tem

" tem ne turpe ſit ac deteſtandũ, articulari morbo præſſum, letud.
" ſuis ipſius manibus vti non valentem, alienis egere, qui- cap. 1.
" bus ori cibus admoueatur, & eo qui in deiectionibus ſe-
" dem abluat, ſatis enim ſit, ſi cui vllum omnino pectus eſt,
" ſexcenties mori malle, quàm talem vitam viuere. Fucatam autem nec immeritò vocare placuit voluptatem illam, quam ex immodica potus frigiditate, quamplurimos ſe percipere ſæpiſsimè gloriantur. Quomodo enim non fucata eſſe poteſt? cum tot malorum hominibus eſca ſit. Præterquam quòd guſtus operationem vſquè adeò labefactat, vt ipſe gelidum potum, non pro vt guſtabilis, quinimmo pro vt tactilis eſt, percipiat atquè ſentiat. Et quamuis in vnamet parte linguæ tactus, guſtuſquè vnà reſideant, ita horum duorum ſenſuum organa, ſecundum rem diuerſa minimè ſint, At ſolum iuxta diuerſum operandi modum, veluti vnà cum Medicis rectiſsimè ſentit Themiſtius: Quam ni fallor ob rem, & à Philoſopho dictum eſt, guſtum eſſe tactus ſpeciem: ſat eſt excedentem frigiditatem potui inhærentem guſtui præternaturalem eſſe, quatenus illius propriam lædit operationem, quæ eſt ſaporum aprehenſio, lædit autem perpetuò ipſam diminuendo; quis enim eſt, qui audeat fateri ſe præfrigeratum vinum quantumcunquè præſtanti aliquo ſapore inſignitum deguſtare? Aliquando, & nimis obſtupefaciendo, ipſum ferè aufert. Potus ſiquidem ratio eſt, præſertim in ſanis, vt ſuauis ſit, ac ſatis potens, quò ſuauitate guſtum, robore olfactum delectet, & ventriculum confirmet: Neutrum quorum, tale genus potus præſtare poſſe clarum eſt; quomodo enim guſtum olfactumuè voluptate afficere poterit, cum ab ipſis imperceptibile ferè ſit, ventriculum vè confirmare, cum tantopere illi aduerſetur?

In 2. lib. de anima cap 59. in eod. lib. te x. 94

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

EXAMINATVR PRIMA AVCTORITAS A TVTANTIBVS OPPOSITAM OPINIONEM ADDVCTA. CAP. VIII.

ET nè quid indiſcuſſum derelinquatur, examinandæ veniunt ſigillatim Auctoritates illuſtrium Medicorum, quas pro fulcienda opinione, noſtræ huic magna ex parte oppoſita, Recentiorum nonnulli in medium adducunt, ſiue vt ludificentur, Paradoxa proferentes, Vel potius ludificari aliqua in parte diſsimulantes, interim extra iocum loquuntur, aſſentationiſquè artificio Principum gratiam quærentes, homines ad tantum errorem minimè propenſos, & alliciunt,& deditos,ſi forte fortuna,animo quadantenus fluctuarent, confirmant. Et primo inquiunt Auicennam laudare Aquam frigidam, idem, & nos affirmamus, minime verò plus iuſto refrigeratam, veluti clarius paulò infra patebit, laudat inquam ipſam, Primo quatenus habet rationem potus, reſpectu tamen corporis integra valetudine fruentis, Quod ipſe apertè declarat, dum poſtquam iam dixit, confortat omnes virtutes naturales in operationibus ſuis, ſtatim ſubiungit, quando ſunt cum æqualitate: ſecundo ipſam laudat prout in quibuſdam morbis habet rationem præſidij: Tertio, & eandem vituperat, quatenus perniſioſarum ægritudinum, inſignem vna adauget radicem, dum ait habentibus oppilationem nocet, quibus præſentibus, cum vt plurimum viſcera tumefacta ſint, bileſcit Galeno teſte: ita vt auctoritas hæc vndequaquè faueat veritati, cui noſtra perpetuò inhæret opinio: Auctoritas inquam hæc, quæ apud Auicennam legitur in ſecundo libro tractatu ſecundo capite quinquageſimonono. Et nè quis vlla in parte decipi poſsit, vel fruſtra in auctoritatibus niet perquirendis tempus conterere cogatur: Hic fideliter adducemus particulares locos,in quibus earum ſingula apud grauiſsimos Auctores conſcripta iacet: Quod ab oppoſitum ſuadentibus icci rco prætermiſſum fuiſſe, nec niſi dedita opera exiſtimandum eſt, ne tot ac tan-

Com. 3. in lib. de rat. vict. in morbis acutis cap. 40.

ta

ea dictis authoritatibus interſerta, funditus ſæpe ac ſæpius illorum ſententiam euertentia, ita de facili ijs, qui in indaganda rerum veritate, plurimum induſtriæ ponunt, paterent.

SECVNDA AVCTORITAS, QVAE GALENI EST, EXAMINATVR. CAP. VIIII.

SECVNDO inquiunt Galenum calida ventris intemperie laborantibus, non ſolum frigidam: ſed, & refrigeratam niue aquam exhibuiſſe: Dicimus exhibuiſſe pro vt ipſa habet rationem remedij, non autem potus, potentis conſeruare valetudinem. ſub qua remedij ratione conſiderata, quantum periculi in ſe contineat illius propinatio, tam clare patet ex ijs quæ ex Galeno met iam adducta ſunt, vt nihil clarius: Præterquam quod ipſe etſi ambiguus non fuerit nec in exhibenda expoſcentibus languentibus gelida aqua, nec ea quæ ipſorum vnicuique conueniebat quantitate, ob admirabilem illius tum ingenij tum iudicij præſtantiam: Perplexum attamen, nec mehercule mediocriter, illius dicta legentem, ideò reddunt, quoniam (vti par erat) non omnibus ſe eandem aquæ quantitatem exhibuiſſe ſcribit, nam modo dat, quantum ægro abſolutè bibere libet veluti loco iam citato, Modo quantum vno hauſtu non attrahendo anhelitum æger bibere poteſt, veluti in primo libro de ratione victus acutorum: Modo quantum vno hauſtu, exorbere poteſt febricitans, abſque additione vlla, quemadmodum decimo methodi, & quamuis aliquando certam illius præſcribat quantitatē, variat tamen ipſam nec ſemel immo pluries, nam aliquibus duas heminas, aliquibus duos cyathos ſe propinaſſe, nonnullis, & moderatè dediſſe aſſerit, ita vt arduum ſit Medico circa illius quantitatem non errare, & magis adhuc quoniam non ſolum noxia, & ſumme eſt quibus non conuenit, verum, & vbi copioſa non exhibeatur, copioſa inquam, corporis cui exhibetur habita ratione; Si Aetio fides adhibenda eſt, præcipienti ipſam paulatim iccirco exhibendam

In 7. meth cap. 4.

In 9. meth cap. 5.

9. 53 meth cap. 5.

Com. 42.

Sermone 5. cap. 95.

dam

In 13. 3. tract. 5. cap. 15. dam non eſſe, quoniam ab ampliore in ventre calore vincitur, atque amplius nocet ampliuſquè exurit: Et Auicenna quamuis in ardenti febre atquè in ijs quæ biliosæ admodum ſunt quotieſcunquè nihil obſtet, haud prohibeat; De reliquarum tamen febrium curatione ſermonem habens, frigidam Aquam febrientes conturbare dixit, ac plerumquè cauſam eſſe additionis febris: hinc frigida prorſus omiſſa calidam bibendam eſſe hortatur: (Per calidam autem minimè profectò calidam actu aquam intelligere credendum eſt, quinimmo potius coctam) hæc nimirum moderatè aſſumpta, commoda haud ſanè contemnenda ægrotantibus impartitur; Minoris quippe inflammationis eſt quàm frigida, 2. p. doctrina. 2. ſumma p. cap. 18. & longè velocioris deſcenſus, vti ipſemet inquit, ipſiusquè decoctionem non tenuiorem modò aquam reddere voluit, verum etiam, & ſpiſsitudinem frigoris auferre, atquè eorum In p. lib. cap. 58. quæ ſibi commixta ſunt deſcenſum facere: Et Trallianus de febribus concomitantibus phrenitidem, ac de illarum curatione verba habens quamuis de genere bilioſarum ſint, vbi de

„ potu, hunc in modum ſcripſit, Quamuis enim frigida po-
„ tio mitigare videatur, tamen maiores poſtea, & malignas
„ febres excitat, vt etiam alienatio mentis augeatur, breuiter
„ omnia ad deterius maligniuſquè conuertuntur, quare tutius
„ eſt tepida potius quàm frigida aqua vti. Et quod in re tam ſcitu digna notatu dignisſimum eſt, Diuinus Hippocrates in acutorum morborum curatione, veluti omnibus alijs in rebus maximè admirandus: in recta eorundemmet curatio-

In 3. lib. de rat. vict. a cut. tex. 40.
„ ne vſum illius priuatè vituperat hiſce verbis; Aqua, quæ in
„ acutis bibitur morbis, nullum ſanè aliud habet, quod illi
„ concedam officium: Neque enim in Peripneumonicis tuſ-
„ ſim ſedat nequè ſputum educit, immò coeteris minus ſi quis
„ aquæ potione prorſus vtatur, Verum ſi inter oximel, & mul-
„ ſam parum aquæ inſtilletur, ob qualitates Potionum tran-
„ ſmutantium, ſputum educit. Nempè intus inundationem
„ parit; Alias nequè ſitim ſedat, ſed amareſcit; nempè ei qui
„ ſuapte natura bilioſus exiſtit, èa eſt bilioſa, Hipocundrio
„ præterea eſt infeſta malaquè, atquè etiam peſsima bilioſiſsi-

maquè,

„ maquè, & virium maxima labefactatio, vbi in vacuitatem „ venerit; Adde quòd lienem auget, iecurquè vbi phlegmo- „ ne obſidet, fluctuatquè, & innatat: Tarde ſiquidem meat, „ quòd frigida. & incoctibilis ſit, nequè aluum deijcit, ne- „ què vrinas mouet, atquè ex eo quoquè nocua eſt, quòd „ ſtercoris ſuapte natura expers ſit, quam ſi pedibus frigen- „ tibus aliquando quis biberit, in his omnibus multò magis „ nocebit, ad quoduis eorum venerit. Nec eſt vt quis timeat Hippocratem ibi de optima aqua ſermonem non habere, quoniam præterquam quod hoc in commento Galenus teſtatur, ipſius eſt conſuetudo ſuis in ſermonibus ſemper loqui de eo, quod in tali genere optimum eſt; immo, & illuſtrium Auctorum omnium mos eſt, cum de quibuſcunquè ſimplicibus loquuntur ſemper de optimo in eogenere loqui. Et Galenus qui calidam ventris intemperiem, frigidæ aquæ potu, ſe curaſſe dixit, paulo infra hoc eſt in ſexto eiuſdem libri capite aſsignans cauſam, quamobrem tot vitia ab Hippocrate enumerata, & etiam alia aquæ inſint, Pendent inquit ille ea ex frigiditate eius omnia, cuius culpa, & in præcordijs diutiſsime moratur, & fluctuationes excitat, & in flatum mutatur, & corrumpitur, & ita ventriculi reſoluit robur, vt deterius proinde concoquat, ſed nec digerendo per corpus alimento, aliquid magnoperè conducit: ita vt meritò in commento iam paulo antè citati contextus quadrageſimitertij libri de ratione victus acutorum, grauiſsimè aperteque illius vſum opugnet hiſce verbis, IAM IGITVR OB EAS CAVSAS, NVNQVAM EA QVIS VTATVR. Vbi, & Hippocratem, omnium Medicorum longè minus vſum fuiſſe affirmat, nam in immediatè ſubſequenti quadrageſimoprimo contextu, agens Hippocrates de potu febricitantibus illis exhibendo, qui vehementioribus capitis doloribus correpti delirare iam inchoauerint: Quibus Aquæ potum, vel maximopere neceſſarium eſſe, nihil quodammodo eſt, quod non perſuadeat, vſqueadeò tamen vitioſam illius abhorret naturam, vt vinum prius exhiben-

7. meth. cap. 4.

bendum ſuadeat, poſt cuius potionem exiguum Aquæ ſuperbibendum conſulit, ne fumi, qui à materia febrem faciente agitata, & ebuliente eleuantur, hi & admiſceantur, qui à Vino ſunt, & caput petunt, & calefaciunt, & deſipientias maiores, maioraquè deliria commoueant: Vinum ſiquidem ipſum contemperat, & fumos longè efficacius ſupprimit, contemperat autem quia ipſum diluit, vinum enim meracius aſſumptũ, in vētriculo a ſuper bibita aqua dilui poſſe haud dubium eſt, vbi fortè ob innati caloris actionem præſtantior craſis fit, quam in calice: Qui tamen ſani ſunt id in cyatho ſemper diluere debent, nam ſubinde bibentes aquam vino ineſſe minus perſentiunt, ita vt nonnihil perturbationis, & incommodi euitent, ab illis neceſſario percepti, qui poſt hoc illam bibunt: Vnum autem hic minimè prætereundum eſt Hippocratem ſcilicet Aquam perpetuò dediſſe, vt à fonte apportatur, nulla cum apud ipſum, decoctionis aquæ ſimplicis fiat mentio. Ita vt rediens vnde diſceſsi Tutius vtiliuſquè longè erit in ardentibus, & valdè biliofis febribus poſthabito parum tuto nè dicam periculoſo gelidæ potu, aqua ab endiuia, nymphæaué, aut portulaca, aut cicorea, aut ab omnibus vnà vi feruentis aquæ, alambico vitreo extractam exhibere: minimè autem plumbeo alambico vi ignis, tales nimirum aliquid maligni perpetuo contrahunt, & præcipuè ſi extrahantur non vapore ab aqua ebulliente eleuato veluti malè ſuadet Fuchſius: Quinimmo potius Vas in quo herbæ continentur, in aquam maiori in vaſe bullientem immergatur, ſic enim aquæ eliciuntur, quæ omnes herbarum partes ſecum referunt, veluti optimè vnà cum Mathæolo ſentit Hie- Sectione
ronymus Rubeus Medicus doctiſsimus in ſuo de deſtillatio- p.cap.30.
ne libro: Primo quoniam via hac incedentes, errores ad quantitatem ſpectantes, facile deuitari poterunt: ſecundo quia, cum hæ habeant vim coquendi materiam roborando innati caloris actionem (nam vel hoc ſolo fine frequentiſsime vti conſtat, ægris dantur) cruda illa prorſus, magnaué ex parte exiſtente, non imminet periculum, vt intempeſtiue vnquam exhibeatur, veluti intempeſtiue proculdubio

exhi-

exhibetur elementaris aqua quotieſcunquè materia concocta non eſt, ideò non prius quam in primis partibus ſtatus, veluti, & Animaduertit doctiſsimus Petrus ſalius Diuerſus: Et Galeno oppoſita Auuerrois opinió tanquam periculoſa inſectanda non eſt, nî fortè euidens ſit periculum de hectica; aut de morte, quibus in caſibus, nec præſente inflammatione veretur dare ipſam Galenus. Nam id veluti oraculum eſt ab Hippocrate prius, & ab ipſomet Galeno ſæpius prædicatum, ægritudinem potius eſſe prorogandam, quam ſinendum ægrum mori. Tertio ſi ægrotans fortè ex inflammatione non prorſus detecta febriret, veluti hæ nullum incommodum quinimmo potius maximum commodum afferre poſſunt, ita illa maximum detrimentum neceſſario affert, tum quia inflammationem ipſam denſat, tum quia, & crudos refrigeratione reddit humores, ita teſtante Galeno. Poſtremo quoniam cum præter actualem frigiditatem quam continent, habent, & potentialem, qua tanto magis agunt, quanto magis in corpore incaleſcunt: Harum autem ſtillatitiarum aquarum defectu, parata ex incoctis in ſimplici probata aqua enumeratis iam ſimplicibus decoctio exhiberi poterit, additis etiam ſi placuerit accommodatis vocatis ſyrupis: Nam aquas prout diuerſis viribus imbuuntur ad ſummam perfectionem deuenire poſſe ex eò deprehenditur, quoniam illarum vſu peſsimi morbi ſanantur: Nonnulli dant aquam hordei, & perperam, tum quia aliquo modo nutrit, & ab hoc genere potus ſolam alterationem expetimus, tum quia tardè è ventriculo deſcendit, ipſumquè inflando vexat teſte Auicenna. Nec obſtat Auctorem de morbis ipſam inter frigefacientes potus, in ardenti febre exhibendos recenſere: Nam nec illos, inter alios libros Hippocratis recenſet Galenus & meritò, cum ab Hippocratis maieſtate plurimum deficiant penes ſtylum, & varia contenta. Adde, & nos dum gelidæ elementaris potum in morbis effugimus, aliquodquè iam propoſitarum potionum genus illius loco propinamus, vnà, & ægrotantes elementari potioni non aſſuetos, à manifeſto imminenti mortis periculo egregiè præcuſtodi-

In ſuo de affectibus particulari bus lib. cap. x.

In 7. collectionum cap. 8.

In p. lib de rat. vic. acut. c6.43

In 2. lib. cap. 538.

In lib. de cōſuetudi-nib. cap. 1. ſtodire: ſi Galeno met illius vſum tot in locis laudibus ornanti, fides adhibenda eſt: Narranti Ariſtotelem Mitylenæum virum in ſpeculatione peripatetica primatum tenentem, cum in morbum quendam incidiſset, qui à frigidæ ſanè potione iuuari poterat, quia tamen talem potum nunquam ingeſsiſſet, Medicis eum bibere conſulentibus, repugnabat, manifeſtò ſcire affirmantem, ſe frigida guſtata, ſpaſmo correptum iri: Nam & hoc ipſum aſſerebat ſe vidiſſe in alio, qui ſibi, & corporis habitu, & temperamento erat ſimilis, calidæquè potioni erat aſſuetus, quòd ſi tali potui ſicut nonnulli aſſueuiſſet, maximè quidem nec illius oblationem timuiſſe: Tandem Medicis eum omnino compellentibus frigidam potauiſſe, atquè ita obijſſe.

TERTIA AVCTORITAS QVAE CELSI EST EXAMINATVR. CAP. X.

TErtio dicunt Cornelium Celſum in primo libro, ventriculum imbecillem habentibus inſtituere, vt poſt ſumptum cibum frigidiſſimam in potu aſſumant, quam & exhiberi dicunt in bilioſis alui fluoribus, nec non, & in calidis deſtillationibus gratia prohibendi illarum defluxum. Tria hic dicunt, quæ non minus dictis Celſi repugnant, quàm veritati, Verba apud ipſum leguntur in principio ſecundi capitis primi libri, & hæc ſunt:

" Qui crudum ſine præcordiorum dolore ructat, is ex inter-
" uallo aquam frigidam bibere debet. Horum primum eſt dum dicunt, Virum egregium ventriculo quacunquè cauſa ægre concoquenti, frigidæ aquæ potum inſtituiſſe, cum tamen illud tantumodo faciendum ſuadeat, & rectè, dum cruditas à calida intemperie producitur (nam ſi ab alia cauſa, quæ calida non ſit de qua ratiocinatus eſt alibi) intelligit de potu valde diminuto, hoc eſt qui non excedat quantitatem duarum vnciarum, ſed de hoc infra diximus: Frigidum enim quamuis coctioni propriè aduerſarium ſit, à calida ta-

Ideſt in l.b. 4. cap. 5.

men

men intemperie eandem, & citò poſſe, immò, & à ſicca, & ab humida, etſi non niſi in longiori temporis interuallo Galenus tradidit; Quod ex diuerſis ructuum odoribus, ſaporibuſquè, optime diſcernitur: Nam acidi veluti frigiditatem præ ſe ferunt, ita quotieſcunquè fumoſum quid, vel nidoroſum, vel tamquam putridorum ouorum, cœni, crudorum vè piſcium, vel eiuſmodi alia quæ abominabilem, & ineffabilem ferè qualitatem referunt, quis eructando percipiat, cum hæc omnia à putredine fiant, vel putredinem ſequantur, nec externo abſquè calore fieri poſsit putredo, externo inquam, reſpectu rei putreſcentis, ſtatuendum eſt calidam intemperiem, præter ventriculi naturam, contractum fuiſſe: Quo in caſu ſolum laudaſſe Celſum aquam frigidam, pro vt præſidij habet rationem ex illis verbis conſpicuum fit, (ſine præcordiorum dolore) nam in calido affectu, materia minus angit præcordia, cum ſurſum tendat, in frigido autem vtiquè, quia magis deorſum. Secundo quia dicunt Celſum, probaſſe frigidiſsimam, cum tamen ipſe vti, & de cibo, frigidam ordinauerit, tamquam temperate magis alterantem. Tertio addiderunt poſt ſumptum cibum; ita vt apud Virum hunc idem ſibi velit, ex interuallo, & poſt cibum, quaſi Medicorum primarij, ſcriptum non reliquerint, non inutilem modò, verum, & pernicioſum eſſe illius pòtum (nì valdè perexigua ſit illius quantitas, vti innuimus iam, & infra aperuimus) quacunquè hora aſſumatur, preterquam cum cibo, moderatè, & paulatim, quò illi exactè permiſceatur: veluti Dioſcorides, qui dixit gelidam Aquam, poſt balneum, poſt curſum, immo, & poſt vehementiorem exercitationem hominem ſtrangulare: quam ſtrangulationem deſcribens Galenus dixit ſubitum interitum eſſe ob defectum reſpirationis, facti ex anguſtia alicuius eorum inſtrumentorum reſpirationi met obſeruientium. Et Princeps ipſe qui eam intempeſtiuè ſumptam inter venena reponit inquiens. Ex potù illius in ieiuno, & poſt balneum, aut coitum, timetur corruptio complexionis, & aqua

In 3. lib. de cauſ. ſymp.

In 6. lib. cap. 34.

In 4. lib. aphor. com. 34.

Quarti 6. Summa. 1. cap. 12.

& aqua inter cutem: Vbi, & particularem ſermonem habens de Potu eiuſdem à cibo ait. Poſt cibum ſumpta dum fit digeſtio, non ſecus pertubat eam, ac dum ſuperadditur feruenti ollæ, in qua carnes decoquuntur. An modo pro ventris fluxu curando Celſus ipſam propinandam eſſe ſuadeat, vel potius ſe ancipitem oſtendat, ex hiſce verbis optimè palam fit: Frigidam autem potionem eſſe debere contra priores Auctores, Aſclepiades affirmauit, & quidem quàm frigidiſsimam: Ego experimentis quemquè in ſe credere debere exiſtimo, calida potius, an frigida vtatur. Et profectò ſapientiſsime loquutus, veluti & ſemper, & vbiquè; nam cum non ſemper fluxus ſiſtendi ſint, cum ſcilicet critici ſunt, & ægrotantes ferre poſſunt, teſte Hippocrate, & aqua excellenter frigida, humiditatem in corpore congelet, per congelationem, & frigiditatem aluum ſiſtit. Pro curanda verò deſtillatione, calidæ aquæ, ac frigidæ uſum laudat, dummodo ſecundam, poſt primam adhibeat: ait nempe, Multaquè aqua prius calida, poſt gelida fouendum os caputquè.

In 4. lib. cap. 19.

In p. lib. aphor. 2.

In 4. lib. cap. 2.

QVARTA, ET QVINTA AVCTORITAS, QVAE AVICENNAE SVNT EXAMINANTVR. CAP. XI.

In 2. p. cap. 16.

QVARTO adducit auctoritatem aliam Auicennæ, ſed non verba omnia more ſuo, Nicolaus Monardes Hiſpanus, in Primo capite libri ſui de Niue. Quo omnia, ad preſentem materiam ſpectantia, veluti perturbare nitirtur, ita, & ab eodem, jam examinatas, examinandaſquè Auctoritates, ij omnes perquirere poterunt, qui vel prorogationem abhorrent, vel potius, tam lætali iucunditati, vnà cum veritate, ab omnibus expetendam, corporis valetudinē, preponunt. Dicit ipſe Auicenna aqua temperatè frigida, ſanis melior eſt aquis omnibus: Addidit particulā (temperatè) vt vnà cū tēpore, quē, & ibi naturæ multifariā infensū eſſe oſtendit, excluderet frigiditatem, ſuperantē calorē naturalē, quam

quam ſolam improbamus, & meritò: Vt verò clarius patefaciat illius vſum, non niſi ſanis competere, ſtatim ſubiungit: licet neruos impediat, & Apoſtemata in interioribus habentes lædat, ita vt illius conſilio, & ſuaſione, liceat tantum corporibus inculpatæ valetudinis temperatè frigidam in quotidiano potu aſſumere. Quinto inquit eundem ſcripſiſſe, temperatis corporibus frigidam Aquam conuenire: Conſtantem dicimus eſſe Auicennam, & propterea ibi laudare aquam temperatè frigidam hiſce verbis: Complexionibus temperatis aqua conuenientior eſt, quæ in frigiditatis fortitudine temperata exiſtit. Et quamuis eodem in capite tria tradat illis præcepta, qui valde gelidam potare voluerint, quorum primum eſt, vt antequam id præſtent, inſignem ſatis cibi quantitatem aſſumant: ſecundo vt eam minimè ingurgitando, ſed ſugendo bibant. Tertio quòd illud fiat, vaſe anguſti orificij: Non ſit qui exiſtimet Principem ibi non acriter reprehendere, vſum frigidioris aquæ, ſed poſtquam cum temperatis obſequentibus hominibus, ex arteque inſtituentis Medici habitum retinens, hac de rè tot verba fecit, quot facere tenebatur: Intemperatorum miſertus, Medicique habitum ſuſcipiens, pro viribus errores corrigentis, & futura imminentiá mala repellentis, præter cœtera multa, hæc verba protulit: Si quis ieiunus abſtinere non poterit, quin aquam bibat, & propriè poſt exercitium, bibat prius vinum cum aqua calida temperatum: Tenetur nempè Medicus præcepta aliquando tradere circa res, quas tamquam à proprio ſcopo alienas, hominique nocuas abhorret, cauſa prohibendi non pauca, nec contemnenda, quæ ex illius ſilentio ſequerentur incommoda: Hinc Galenus de tincturis capillorũ ſe velle agere inquit, veluti, & re uera agit, quamuis Medici munus non ſit, de comptorio genere agere, ſed cauſa deuitandi ægritudines, in quas Mulieres varijs, & diuerſis tincturarum generibus, à ſemetipſis excogitatis, vel ab imperitis quibuſcũq; ſint adinuentis, indiſcriminatim vtentes perſepè incurrūt.

In 3. p. doctr. 2. cap. 8.

In p. lib. de compoſ. med. sec. locos.

Adducta

ADDVCTA REGVLA PRO INCOMMODIS GELIDO POTVI SVCCEDENTIBVS EVITANDIS TAMQVAM INEPTA IMPROBATVR. CAP. XII.

ET Dum præſtantem Regulam tanta in re ſe tradere putans, ignaros medicinæ decipit, vnaquè, & apertè à præſtantiſsimis Medicis deſciſcit: Vnumquemquè dum in ſemetipſo periculum facere poſſe ait, ex refrigerato potu, læſionem nec ne perſentiat, quod ſi perſentiat, abſtineat: ſin minus non deſiſtat: Quaſi neceſſe ſit, vt vnaquæquè ſenſibilis inſignis læſio, vnà cum externis ipſam concitare valentibus cauſis, perpetuò gignatur, & non prius perſæpe cauſa ipſa producatur: Quod occaſione erroris de quo loquimur accidere, Galenum in primis abunde teſtatum fuiſſe in calce libri de ſuccorum bonitate, & vitio iam oſtenſum eſt: idemmet teſtatur, & ipſe nec minus

In lib. de affect. Renū dignotione, & curat. cap. 7.

„ perſpicuè, dum inquit, Qui verò iuuenili ſunt ætate, &
„ in rebus ciuilibus verſantur negotioſius, quàm vt exerceri ordinatè, & victitare queant, fontanam ſumant, relicta niuali aqua: Hæc namquè tametſi iuuenilia corpora mox offendere non videatur, noxa videlicet quæ paulatim increſcit non percepta: tempore tamen procedenti, cum ætas declinat, difficulter ſanabiles, aut incurabiles planè morbos, inducere nata eſt, in neruis, articulis, & viſceribus: Nec obſtat librum hunc, inter eos reponi qui Galeno aſcripti ſunt; ſat enim eſt iſtud inter Galeni placita reponendum eſſe, vti ex libro ipſius de ſuccorum bonitate, & vitio iam prodidimus; quinimmo, & inter decreta illuſtrium penè Medicorum omnium: inquit nempè Auicenna in loco paulo ante citato, Quod ſi non

In 3. p. doctr. 2. cap. 8.

illico nocumentum alicui fecerit, ſecundum longitudinem dierum faciet, cum in annis proceſſerit: & Haliabas.

ipſe,

Ipſe, quem gelidam Aquam tantum efferre dicunt, vbi de regimine ſanitatis, per potum aquæ agit, reprobato illius vſu, ſtatim ait, Qui enim perſeuerat in eo, ſuperuenit ei Eruptio ſanguinis, & catarrhus, Rigores, & Artheticæ; cuius nocumentum, ſi non manifeſtatur citius, cum tamen ſenectutis ætas acceſſerit apparent hæ, & aliæ ægritudines, quæ difficulter ſanantur. In p Practicę. cap. 7.

QVOLIBET IN LOCO HABITABILI AQVAM ESSE NVLLA ARTIFICIALI REFRIGERATIONE EGENTEM OSTENDITVR. CAP. XIII.

NEc audiendus eſt, dum inquit, ſi frigida vſque adeò erit aqua, vt noſtræ neceſsitati ſatisfaciat, refrigeranda non erit, ſin minus ipſam refrigerare operę precium eſt: Non enim animaduertit, quemadmodum nullus eſt locus habitabilis, qui prorſus potabili aqua careat, ob eius neceſsitatem, cauſa vitæ, nam meritò dixit Galenus ipſam omnibus hominibus tàm ſanis, quàm ægris, communiſsimam, & ad vitam maximè neceſſariam eſſe: ita vt non inepte forſan aliqui ipſam ideò aquam dictam fuiſſe affirment, quaſi ſine quà nec eſſe, nec viuere poſſumus: Pariter, & eorum nullum inueniri, in quo non ſit Aqua, quæ artificiali refrigeratione indigeat: quod palam fit conſiderantibus, quinque eſſe Aquarum quæ bibuntur, differentias, iuxta Aetij ſententiam: Hæ autem ſunt pluuialis, fontana, putealis, fluuialis, & quæ ex ſtagnis eſt: poſtpoſita poſtrema; ſtagnantes nimirum omnes, & quæ non mouentur, à Galeno prauæ iudicantur; Et quamuis ſtagnantium, aliquæ ſint paludum, aliquæ ſtagnorum, aliquæ lacuum, & omnes currentibus deteriores: inter has tamen paluſtres, cæteris peiores ſunt, vnde Celſus ex lacu grauem vocat, ex Palude verò grauiſsi-

In p. lib. de facult. ſimpl. medic. cap. 4.

In 3. lib. cap. 175.

In 2. lib. cap. 13.

mam, ideò, & peſsimam; Poſthabitis inquam ſtagnantibus omnibus, vt pòtè pluribus de cauſis fugiendis, & potiſsimum quoniam hyemè frigidæ ſunt, & æſtate calidæ: Et omiſſa pluuiali de quâ Aetius loquitur, quam, & cæteris omnibus præfert Diuinus Hippocrates, dicens leuiſsimam, dulciſsimam, tenuiſsimam, & ſplendidiſsimam eſſe: Cuius ſententiam, & Oribaſius, & Paulus inſectati ſunt, quoniam cum omnium celerrimè putreſcat, perſæpe deficit: De ipſa tamen ſermo habendus eſt, quatenus arte conſeruari poteſt; Conſeruatur autem in Ciſternis collecta, quæ cum pluuialis ſit, nec corrupta, nec ab igne immutata, dum colligitur inter optimas connumeranda eſt, & meritò, Non diceremus omnium eſſe optimam, propter ea, quæ de fontana à Galeno ſcripta ſunt: Nec Plinio fides adhibenda eſt, Ciſterninas Aquas reprobanti in tertio capite trigeſimiprimi libri, Primo quoniam tot præſtantiſsimis Medicis aduerſatur, ſed longè minus quoniam, & rationi, immò, & experimento, cui ipſe paſsim ſuffragatur: Cuius hac in rè ſententiam refellere, quia intereſt vitæ, (vt ipſiusmet verbis vtar) ideò examinanda eſt, nè animi motu reprobari videatur: Inquit igitur leuitatem quam nonnulli pluuialibus aquis attribuunt, deprehendi aliter quàm ſenſu vix poſſe, nullo penè momento ponderis aquis inter ſe diſtantibus. Sat eſt Medicis omnibus, Galeni dogmata inſequentibus, ipſam ſenſibus exactè deprehendere, à quibus illi ſenſibus ſi ineſſe fuerit deprehenſum, ergò non poterit non ineſſe: quod ſi quis negare auderet, ſenſus pœna dignus efficeretur: Galenus itaquè in commento illius Aphoriſmi, Aqua quæ citò calet, & citò refrigeratur leuiſsima eſt, inquit non pondere, talem leuiſsimam eſſe dicendum eſt, quoniam, & Hippocrates alioqui aſſuetus magna edocere, nihil magni edocuiſſet? Nec non, & id quod ſtatim inuenire facile erat per quendam circuitum præter ſui conſuetudinem inueniſſet: Tunc igitur leuiorem dixit aquam, quæ ventrem non grauat, & quæ citò permeat: Quæ quidem leuitas præter traditam ab Hippocrate artificioſam Regulam, in hoc aphoriſmo, ſubiungit

Gale-

tũ in calce lib. de vulner. capitis, tum in lib. de aere locis, & aquis. cap. 4

In p. lib. de tuenda valet. cap. 10.

16. 5. quinti libri.

Galenus, & percipi poteſt, ſi nequè turbida ſit, nequè cœnoſa, quæ ad viſum ſpectant: nequè in odoratu, nequè in guſtu aliquam abſurdam qualitatem habeat; At Pluuialis talis, & potiſsimum ſi æſtiua ſit, & tonitruoſa, hanc nimirum procelloſæ Hippocrates præfert: Et quia ſub pluuia, aquæ quodammodo contineri poſſunt, quæ ex niuibus, & glacie eliquantur, dum pluuialem probamus, ab illa duas haſce omnino ſegregamus; Hanc Vitruuius ſalubriores virtutes habere dicit, & eam præ cœteris laudat, illiquè multas dotes condonat. Celſus verò hunc ordinem facit, Aqua leuiſsima pluuialis eſt, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, poſthæc ex niue, aut glacie, grauior his ex lacu, grauiſsima ex Palude: Et dum argumento ab Oribaſio, Aetio, Pauloquè adducto ex Diuino Hippocrate, pluuialem ſcilicet aquam leuiſsimam tenuiſsimamquè ideò eſſe, quoniam quod à ſole trahitur leuiſsimum tenuiſsimumquè maxime ſit Plinius vbi ſupra lepidè ſe iocari exiſtimans pauca immo nulla voluptate legentes perfundit, dum reſpondens inquit: „Nec leuitatis, in pluuia aqua, argumentum eſt, ſubiſſe iam in cœlum, cum etiam lapides ſubire appareat: lapides nec ſponte locum illum ſubiiſſe vnquam, in quo imber generatur, nec vi illa cœleſti, qua imbris materia attollitur deductos fuiſſe nemo ſanè affirmaret, ni fortè incognita quadam philoſophia, & peripateticæ oppoſita imbutus eſſet: lapides immo, & metalla varia aliquando in actu fulminis, cadere, & viſum eſt, & aſſerit Auicenna; quæ quidem etſi de ratione fulminis non ſint, fulminibuſquè omnino accidat, vt talia ſecum cadant, minime tamen attracta, quinimmo potius ad intra nubem, ex diuerſa halituum commixtione genita fuerunt: Nam eorum naturæ, dum proprijs in locis exiſtunt, ita attolli attenuariquè repugnat, veluti, & vtrunquè, ita proprium eſt materiæ imbris, vt inceſſans ſit vtraquè mutatio, intenſior tamen, & remiſsior vtraquè iuxta diuerſitatem diſpoſitionum terræ, quò ad circumfuſum humorem, & iuxta diuerſitatem ſi-

In fine lib. de vulneribus. cap.

8 lib. cap. 11.

lib. 2 cap. 18.

In 31. lib. cap. 3.

tus ſolis in Zodiaco: Et quomodò non poteſt etiam uehementer attenuari, irradiata à ſole, & ab alijs aſtris, idaque ab eo calore, qui ſurſum reflectitur, non niſi rarefacta eleuatur, & quia rarefactionem conſequitur leuitas, & ſummam rarefactionem ſumma leuitas, igitur leuis illa eſt, quantum aqua eſſe poteſt, & quà talis optima: At minimè mirum eſt Plinium Hippocrati contradixiſſe cum, & Ptolomeo, & Aſtronomis omnibus, mathematicis rationibus (quibus firmiores nullæ eſſe poſſunt) lunam multo minorem terra eſſe probantibus apertè contradicat; Hippocrati inquam dum pluuiam aquam damnat: Nam Ciſterninam improbans fortè excuſatione dignus eſt, quoniam Ciſternæ, quæ ſua tempeſtate in vſu erant, pluuijs aquis immediatè implebantur, abſquè quod per ſabula tranſeuntes percolarentur: Quæ duo cum inſint Ciſternis, quæ tempeſtate noſtra vbiquè in morem puteorum extruuntur, harum aquæ bonitate illas longè ſuperant: ita vt Prudentiſsimi Veneti quorum pleriquè virtutis, Reipublicæquè regiminis, æqualem cum valetudine, ducunt rationem, abluendo Medoaci, dapes elixando, vinumquè diluendo ciſternina aqua perpetuo vtentes, dum vires ſenio aduentante, reliquis propemodum omnibus Italiæ hominibus labuntur, ipſi eiſdem valdè, immo maximè firmis, adhuc vigeant; quod abſquè perfectæ aquæ copia nullibi contingere poteſt: Nec vt Aqua hæc Ciſternina terræ halitu inficiatur, vti ipſe aſſerit neceſſe eſt, quotieſcunquè hi qui Ciſternis præſunt illarum curam, vti tenentur, gerere voluerint, quam quidem optimam ſuppono: optima autem erit Ciſterna ſi vetuſta, ideſt per tot temporis ſpatium ante extructa, vt ſubingrediens aqua, vnà cum viroſo ſapore, malignitatem non amplius contrahere valeat; calcem ſiquidem non prorſus venenoſitate carere, & ſcriptum reliquit Dioſcorides, & Galenus manifeſtauit, inquiens ex habitatione Domus ſeruantis calcis qualitatem deſipientiam hominibus aliquando aduenire, aliquando, & mortem: Ad cuius conſtructionem, etiam quam vehementis partes duas, Arenæquè optimæ partes quinquè, additis etiam, & ſibicis fragmentis, argil-

In 2. lib. cap. 11.

lib. 6. c. 29. In p. prorhet. lib. cō. 8. in 7. de vſu part cap. 8.

argilla, & glarea requiri docent; Additæ fuerunt, & à Recentioribus ſpongiæ, vt ſordes in ipſis colligantur: ita vt nonnulli ad abſolutam, alienæ, & infenſæ qualitatis, extirpationem, quadraginta annorum ſpacium requiri contendant: Nos illud ita ad amuſsim præſcribi haud poſſe exiſtimamus, cum experientia pateat Aquas earum eo longè citius inculpabiles euadere, quò in apricioribus locis ſitæ ſunt, & aqua frequentius hauritur, atquè valde grauibus æneis ſitulis vehementius percutitur: crebro enim hauſtu, vel ſuaptè natura culpabiles, probæ multoties efficiuntur, vti & Plinius rectè docuit: Et conſtat de Puteis Cœnobiorum, & Piſtorum, quorum aquæ frequentiſsime exercentur, Qua via recentiores Ciſternæ, ad bonitatem rediguntur, & Veteres egregiè à putredine, & ab ortu paruorum fœdorumquè animalium præcuſtodiuntur, quibus, & carebit ſi candidi piſces in ea nutriantur, duo enim hæc obijcit illis Ioannes Brunerius. Et præter vas, vt omni labe prorſus careat aqua, antequam ciſternam ingrediatur operæpretium eſt: quod apprimè aſſequuntur illi, qui toties, quoties opus fuerit, veterem iam luroſam effectam arenam, ab ore cauitatis ſeu cellæ ciſternam circumambientis (quam conſeruam vocant) amouentes, nouam optimamquè reponunt; optimam autem fluuialem dicimus, quæ carbunculoſa vocatur, cuius videlicet partes tam facile ab inuicem ſeparantur, quam ægre ad inuicem coniunguntur, Pura ſiquidem illa cum ſit, & minimè lutulenta, permeanti per ipſam aquæ temperatam frigiditatem impartitur, vnaquè, & à re quacunquè à natura ipſius aliena, ipſam peroptime purgat: non longè à quo cellæ ore cloacam conſtruunt, cuius os pluuioſo ſeſe oſtendente aere, confeſtim recludunt, aliud cellæ videlicet, & vnà ſedulò claudentes, vtrumquè quorum ſic perſiſtere eò uſquè permittunt, quouſquè, & tecta, & loci omnes, per quos aqua ciſternam ingreſſura effluit, ab ipſa ſuo abluente defluxu, exactè detерſi fuerint, protinuſquè clauſum os reſerantes, recluſum claudunt: Nam quæ imbre inchoante, à tegulis aquæ decidunt, præter ſordidam quandam ſenſibus expoſitam nigredinem,

Lib. 31. cap. 3.

Lib. 36. cap. 23.

in fundo vaſorum in quibus aliquando colligitur reſiden- tem, prauitatem quandam quamuis latentem, tum ab animalium cadaueribus diuerſis, nec non, & à permultis alijs rebus putridis, ſordidis vè, vel alia ratione prauis, de numero quarum eſt glacies, grando, atquè nix eliquata, non rarò ſibi aſciſcunt. Quamobrem non vndequaquè laudibus efferendus videtur, Architectus ille alioqui induſtrius, quem Leo Baptiſta Albertus, magnum lapidem cacumen montis circumcingentem profundè ſatis excauaſſe narrat, in quo Aqua omnis, quæ ſupra nudum montis verticem dum pluebat colligebatur, indequè inculpabilis perpetuò (vti ipſe exiſtimabat) per Euripos, in Ciſternam, quam in Montis met dorſo conſtruxerat defluebat: Nam quin prauæ aquæ è grandine, glacie, niuequè eliquatæ perſæpe defluerent, ſuo illo inuento prohibere minimè poterat: Quarum quidem pluuialium ciſternas ingredientium aquarum bonitati, ſi Hippocrati fides adhibenda eſt, & naturam loci non parum fauere haud ignorandum eſt, à quo vapores formam aquæ ſuſcepturi eleuantur: Nam quæ ex vaporibus ampliſsimorum locorum, optimi, æqualis, & ſalubris aeris colliguntur, perfectiores illis longè ſunt, materia quarum proxima vapores ſunt eleuati a locis in quibus ſeu ſtantes aquę, ſeu Aer quacunquè cauſa culpabilis extiterit, quamuis, & hæ labe ſe ſponte ſua exuant dum per ſabula tranſeuntes percolantur: Et præter iam dictas Ciſternas, ſunt quædam aliæ, in quas fluminum aquæ inijciuntur, vt limpidiores euadant, & diutius ſeruentur, qua de cauſa Conſeruæ dicuntur: Hæ in frequentiſsimo vſu ſunt Romæ, pro depuranda conſeruandaquè aqua Tyberina: A quibus non diſsimillæ admodum ſunt magnæ illæ figlinæ ollæ huic vſui inſeruientes, quæ quamuis à conſeruis iam dictis magnitudine vincantur, non forte bonitate, cum calx earum ſtructuram non ingrediatur, Et quoniam nullus eſt locus in quo Cyſternæ etiam optimæ ædificari non poſsint, ergò vbiquè probata Aqua eſſe poterit, Nam & Venetijs quamuis ſolum ſolidum non ſit, quinimmo vbiquè limoſum, Publicæ probatæquè Ciſternæ aquam vulgò

In decimo ſuæ Archi. lib. cap. 8.

In lib. de aere locis & aquis.

ſuppe-

ſuppeditantes ſunt ferè innumerabiles, multò plures priuatę. Vbi verò fontes adſunt, & probati, ibi, & optimam adeſſe aquam meridiana luce clarius eſt. CAESENAE Patriæ meæ, præter inſignem illam tam celebris Vini copiam nemini ignotam, cæteris bonis omnibus, vnà dempta probatæ aquæ copia affluenti, nè quid deeſſet, ſingulari Dei benignitate, fons nuper extructus eſt, Aqua vſquè adeò abundans, vt in quacunquè, vel diu perdurante ſiccifsima aeris conſtitutione, optimum integrumquè qui ex vberrimo fonte capi poteſt fructum, tota ex illo Ciuitas capiat. Aqua hæc ſedulo hortatore exiſtente GVIDO FERRERIO Vercellenſi Cardinali, Flaminiæ Legato, Viro ſanè admirabili ſtudio, Prouinciæ totius, & commodum, & decus ſpectante, in cuius adminiſtrandis rebus ſummum ius cum eſſet, iuſſu illius in primis explorata fuit, & paulò poſt inuenta, ex pluribus ſcatebris exiliens, in Pago Valeriano nuncupato, bis circiter mille paſſuum ſpacio, ab Vrbe diſtante, & protinus collecta; tantaquè in re ſuam induſtriam exercentibus, operamquè ponentibus, tribus à ſenatu deſtinatis ciuibus, Ludouico Leonardello equite, Vgolino Vgolinio, & in primis Franciſco Maſinio, permultis in egregijs operibus, quæ ingenij præſtantia, vnaquè, & manibus perficiuntur ſpectatiſſimo; Rectà per fictiles aquæductus, à meridie in Septentrionem, vſquè ad Vrbis murum perue cta eſt, quo perforato illiquè ſubſtructo in proximo horto itinere, propè ſacram ædem Diui Ioannis Euangeliſtæ, in forū tandem deducta eſt, pridie nonas iulij anni MDLXXXIII. in qua die Ciuitas Diui Seueri, Epiſcopi, & Patroni ſui feſtiuitatem cælebrat; Qui quidem Aquæductus non ſub arborum vmbra, quinimmo in patentibus aruis, vijſquè ſituati ſunt, nec vſquè adeò à terræ ſuperficie diſtantes, vt Aqua ab excepta in tranſitu, ſolis virtute, non decoquatur, illi vè tam proximi, vt moderata frigiditas, quà illius ſubſtantia conſeruatur, vel in diebus canicularibus remitti poſsit. Hanc de genere probatarum eſſe veluti, & dulcem quamcumquè alteram (dulces vnà cum Galeno vocamus ſaporis expertes, & vt à ſalſis, aut bitumi-

noſis diſtinguuntur) quamuis duæ ſolæ qualitates illis neceſſariæ, fatis præ ſe ferre poſsint, puritas videlicet, & tenuitas, hæ tamen quoniam abſquè magis ſenſibilium adminiculo aſſequi nequeunt iccirco præter locum, à quo, per quem, & & ad quem fluit, de quibus dictum eſt, & præter motum quo perfluit, qui non niſi, quantũ opus eſt, velox eſſe poteſt: locũ quoniam à quo ipſa recedit, quindecim pedum altitudine, locum à quo exit excedere, qui dimenſi fuerunt, atteſtantur: confeſtim deprehenſum fuit, viſu, quoniam (ei dum nihil obiter aduerſatur) ſincera eſt, ac planè pellucida, ita vt cum exponitur luci, nihil in ipſa innatans videatur: Tactu, quoniam quantũ ſat eſt frigida, olfatu, quia cuiuſcunquè odoris expers, guſtu, quia omni ſapore carens, epotaquè palatum corrugat: auditu, quia effuſa ſtridet; Ab efficaci proficuo effectu, quoniam leuiſsima eſt ijs, qui eam bibunt, ex quorum hypochondrijs citò deſcendit; Ponderis nempè paruum inter optimam, & peſsimam, eſſe diſcrimen, factò periculo Magni aliqui Viri inuenerunt, inter quos Seneca aperte negat diſcrimen eſſe manifeſtum ponderis inter dulces aquas: A ſignis artificioſis, & Primo ab Hippocrate tradito. dum inquit; Aqua quæ citò calet, & citò refrigeratur leuiſſima eſt; Tum & quia in ea non modò legumina citò decoquuntur,, verum, & illorum quædam, quæ in quibuſdam alijs alioqui non niſi probatis aquis nunquàm, in hac facile, & breui coquuntur, Panes illius adiumento benè pinſuntur, Carnes in ipſa elixatas, & albas reddit, quarum iura optima fiunt, ex qua decocta nihil ferè remanet ſedimenti, è vaſequè æneo polito eiecta in quo ſteterit, maculam penitus nullam relinquit, nullumquè tandem in laneis, lineiſquè veſtibus, illa prius madefactis, poſtquam ſiccata fuerint veſtigium.

In 5. lib aphor 26.

Vbi igitur Aquæ optimæ ſunt, illas refrigerare non modò inutile eſſet, quinimmo, & ſuperuacaneum, dicentibus Diuino Hippocrate, & Galeno, optimas aquas, æſtate frigidas eſſe, hieme verò calidas, & cum pura, & ſimplex Aqua a Galeno probatur frigida, in primo libro de facultatibus ſimplicium medicamentorum capite quarto, Hippocrateſquè calidas

In l.b. de aere aquis & locis. & in lib. de vuln. cap. in lib. de

calidas omnes damnat in libro de capitis vulneribus: Vtriuſquè dictum intelligendum eſt quòd tunc frigidæ ſint, cum debent eſſe, æſtate ſcilicet. Sed iam ad eas properemus, quę in bonitate medio modo ſe habent, De numero quarum ſunt fluuiales, quarum aliquas, etiam optimas eſſe meritò dicunt, veluti Nili; & fluminis Geon, de quo meminit Auicenna; & Aliorum, ita vt immeritò omnes arguat Aetius, meritòquè magnorum fluminum dulcium laudet Raſis; immo Eulæi fluminis aquam, vſquè adeò perfectam eſſe ferunt, qui per Suſianam è Zagro monte profluit, vt eam Perſarum Reges ſecum in expeditionibus deferre conſueuerint: tantùm illis ad vitam tuendam diligentiæ fuit: ita vt mirum non debeat videri Artoxerſem longimanum tamdiù vixiſſe, cum Perſarum Reges tantam curam, in Aere, & Aqua non præfrigeranda, veluti præſentis ſæculi Principum plerique: ſed in optima potius deligenda impenderent: Et in noſtris Regionibus quia Aquæ limpidæ ſunt, & à proprio fonte multum diſtantes iccirco bonæ, longo ſiquidem curſu aquas nobilitari ideò dixit Auicenna, quoniam, & atenuantur, & depurantur, quamuis per accidens, & caſu, nam per ſe ſunt turbidiores, quies enim vt quies ideò eſt cauſa claritatis in aqua, quia quod limoſum eſt reſidet, & ſic eam permittendo quieſcere repurgamus, Quæ autem verè pura eſt, & munda, illa fluit velociſsimo curſu: quamuis enim in eo quod fluit remaneat turbida, quia partes terreſtres; limoſæ, cœnoſæ, crudæ, pingues, & fila illa alba non poſſunt deſcendere, ſicuti etiam aere ſtante, flocci in eo remanent, hinc homines non ita merguntur in aquis currentibus; ſicuti in quietis: ſed quia in longo curſu aquarum fundus totus repurgatur à dictis iam partibus verè labefactantibus aquas dum quieſcunt, vel ſegniori curſu mouentur, & Alueus ipſe fluminis relinquitur ſolum refertus arena craſſa, nitidaquè, nec non, & lapillis: ideò aqua illa tota quia attenuata, dum quantum opus eſt reſidet, ſplendet, & clariſsima eſt teſte experientia: Quantum itaquè opus eſt, nam quò obſcuriores ſunt, eò diutius, vt reſideant operæ præcium eſt: ita vt reſidentem

boni. aquę cap. 6.

In 2. p. doctr. 2. cap. 16.

Vbi ſupra.

dentem Tiberinam, non citius quam ſex menſium ſpatio
purgari ſcriptum reliquerit egregius præſentis ætatis Medi-
In 2. lib. de victu Romanorum. cap. 6.
cus Alexander Petronius, quæ ſi ſat non purgarentur calcu-
los generarent, præter alia multa detrimenta: Hæ autem in
Conſeruis vocatis, in cellis vinarijs extructis, vel in figlinijs
magnis vaſis vti dictum eſt, cum non niſi in ſubterraneis
cellis aſſeruentur, tantam frigiditatem, cò in tempore quò
exactè purgantur contrahunt, vt nulla artificiali refrigera-
tione egeant: Pro quo animaduertendum eſt, in latitudi-
ne harum optimam, & ſaluberrimam quoquè eſſe, illorum
fluuiorum quorum motus lenis eſt, dumodo eorum alueus
profundus ſit, & non limoſus, quorum, & ortus procul ſit, &
ab oriente, atquè in calida regione, ſic enim optime à ſole
excoquitur. Et quia Nilotica ab omnibus extollitur etiam
ab Aetio, fluuiales reliquas omnes aquas vituperante: Et
In lib. de boni. aquę cap. 3.
Galenus de ipſa ſermonem faciens ait, Nilum ita laudo, vt
paucis admodum fluuijs, in bonitate aque comparandus
videatur, Nam & ventrem ſubducit, mulieribuſquè purga-
tiones citat, & in puerperio bibitur. Difficultas oritur,
quoniam ab initio vbi Nilus oritur, vſquequo mare attingit,
rectà progreditur ab auſtro in boream, initium ſiquidem il-
lius, citra brumalem circulum eſt, ergo ſolem non excipit;
At Aquæ ab auſtro defluentes, ſolemquè non excipientes, ab
In lib. de aere aquis & loc. cap. 3. in lib. de bon. aquæ cap. 3. in p. lib. de tuend. ſanit. cap. 11
Hippocrate non laudantur, & à Galeno improbantur tam-
quam nimis frigidæ, ita vt videatur hac in re à proprijs prin-
cipijs deuiare: quod tantum negotij Senecæ fecit, vt in na-
turæ quæſtionibus dixerit; Pleraquè ſunt, ratio quorum red-
di non poteſt, vt cur Aqua Nilotica fœcundiores faciat fœ-
minas, adeò vt quarundam viſcera, longiore præcluſa ſteri-
litate ad conceptum relaxauerit: Videtur dicendum, ideò
hanc bonitate illas, & longè excedere, quæ ſolem excipiunt,
veluti ab occidente in orientem fluentes, ſolis etſi calore
perpetuo coquantur, quoniam Nilotica, quæ totam perme-
at torridam terræ Zonam, fluitquè leniter, & per terras,
excoquitur, & ipſa perpetuò, & vbiquè, præterquam
iuxta cataractas, ſed longè præſtantiori modo, quia ab aere

obre-

ob regionis caliditatem, cuius inditio eſt, quòd ſola hæc foſsis excepta, quamquàm quieſcens, nec corrumpitur, nec deterior vtentibus ea ſit: Tam grata omnibus propemodum in operibus eſt naturæ moderatio: Hinc inimitabilis illarum ſcrutator Ariſtoteles, poſteaquam fœcundiſsimum Nilum eſſe dixit, & alendi facultate inſignem moderatæ ſolis decoctioni id acceptum retulit. Auicenna, quatuor ex cauſis, Nilo incomparabilem explicitæ bonitatis vini, ſcribit attributam; quarum primam ſtatuit à curſus longitudine, quæ quantum bonitati faueat ex eo deprehenditur, quoniam ab eo nulla (vti ferunt) ſenſibilis aura exhalat, Nam ab aere ſolis calore imbuto, tam longo curſu exercitus humor, ita attenuatur, vt ne ſublatus quidem in aerem, poſsit corpus capere, ita Aer auram exceptam ſibi ſimilem, diffundi in ſeipſum patitur, neque cogit, vt conſiſtat. Secundam adſcribit, præſtantiæ, & puritati terræ, per quam fit Aquarum dilapſus, à qua tantum abeſt, vt vllam impuritatem contrahant, abſente innundatione, de qua paulò infra dicemus, vt aliquam ſi fortè continerent, curſus tum longitudine, tum lenitate deponerent. Tertiam ad unguem putat, quòd à meridie in ſeptentrionem deferantur, incrudari tamen nequeunt, quia per torridam regionem defluunt, quam totam à meridie in ſeptentrionem flumen diſſecat, nec torrefieri boreâ obſiſtente: ſed tam æque attenuari, vt ea ſint ſuauitudine (quemadmodum ſcribit Spartianus) vt militibus ægiptiarum ſtationum, petentibus vinum, reſponderit, Peſcenninus Niger imperator, Nilum habet s, & vinũ petitis: Non ſit qui exiſtimet, alia de ſuauitudine, quam quæ perfectiſsimę aquę congruere poteſt, prudentẽ Virũ illũ intel lexiſſe: Nã de illa, quę Vino congruit ſi fortè intellexiſſet, prę terquã quòd fatua protuliſſet. Aquã ipſam vituperaſſet, ſenſibiles illi qualitates attribuẽs quibus omnino debet carere ſaltẽ quo ad ſenſus, ſecus perfecta eſſe non poteſt. Circa quam Aquam grauiter, peccauit Atheneus, altrueis ipſam eſſe mixtam, dum inquit, illam bibentibus ventrem ſoluere, ob nitroſam admixtionem: Nam quæ tales ſunt tantum abeſt, vt

In 2. p. doctr. 2. cap 16.

In 2. lib. cap. 2.

cuſto-

In p. lib. de ſimpl. medic. facult. cap. 4.

cuſtodiæ valetudinis inſeruiant, vt Galenus à claſſe, vere pro ſanis potabilis aquæ apertè hiſce verbis excludat: » Quæ exactè ſincera aqua eſt, omnis alterius ſubſtantiæ mixtione » vacans, ea ex neceſsitate ex ſua facultate eſt frigida; ſi qua » verò per bituminoſa, ſulphuroſa, nitroſa, aut aluminoſa lo- » ca deſtillans, ſubſtantiæ eius aliquid absterſerit, ſecumquè » traxerit, mixta iam ea eſt, non autem exactè aqua. Propterea cum Galenus, & quicunquè ſit qui iuxta Galeni dogmata ſcribens, illam ventrem ſubducere inquit, non ſit qui opinetur velle nobis inſinuare, quòd ſubducat à qualitate occulta, eo modo quo medicamenta, leniendo ſcilicet, & longè minus ſtrenuè attrahendo, aliena nimis huiuſcemodi cum ſint à corpore tum ſimplici, tum in quotidiano potu aſſumendo: Nec à qualitate manifeſta, quia non detergendo, quæ enim tali facultate prædita ſunt, tenues, & calidas partes continent, veluti mel, & ſaccarum: non lubricando, quoniam vt quæ id efficiunt vnctuoſa, pinguia muccoſa vè ſint opere prætium eſt: Non comprimendo quia cum quę id præſtant, adſtringunt, & per ſè vehiculi alimentum traducentis, rationem habere nullo pacto poſſunt: Abluendo diceret aliquis (nemo enim eſt qui abluendi facultate aquam priuare audeat) at ablutio deterſionis quædam ſpecies eſt, cum itaquè abluat aluum ſubducit, vel quia humectando fæces, & eas liquidas reddit, ita vt poſtea per ſe labantur, & exeant: vel quia trahit ſecum abluendo emollitas ſordes, vel vtraquè via: Dicimus hoc præſtari à qualibet aqua quãtumvis non prorſus probata, ſiue calida ſiue frigida exhibeatur, dumodo in multa quantitate, veluti in laborantibus cauſone Galenus præcipit, quoniam propter ingentem copiam perpetuò deturbat: At de ea Galenus, vel Galeni dogmata inſectans loquitur prout in quotidiano potu aſſumitur; reſpectu cuius quidem vſus conſiderata, quatenus crudæ, contumaci, & ſummæ frigidæ ferè è diametro opponitur, ſingula quarum, & potiſsimum quæ ex niue, & gelu, ab inſito calore humidum diffundi prohibet, quamobrem humidummet in corpore congelat, ventremquè ſua frigiditate, &

con-

congelatione ſiſtit, dumodo tanta in quantitate aſſumatur, vt deturbare non poſsit: qua inquam Nilotica, vt potè optimè excocta illis opponitur Galeni ſectator aluum ſubducere dixit, quia mediocrem cum in aluo moram ducat, ipſum in optima diſpoſitione conſtruans, ſtatutis horis exonerari permittit; pariter, & dum purgationes citare ait, illam in claſſe menſes mouentium recenſere, non eſt vt quis dubitet, ex quo motibus illorum auxiliantia, acria, & tenuis eſſentiæ eſſe ſcriptum reliquit Galenus, qui & affirmauit menſes mouentibus, & vrinas, & lac cientibus commune eſſe calefacere, & in ſexto eiuſdem vbi de Thimo clarius ait, menſes prouocant incidentia, & calefacientia vehementer: Cit igitur menſes, quoniam quatenus ad ipſam ſpectat, cum excocta ſit & optima (vti dictum eſt) digeſtionibus omnibus ita fauet, vt nec vitioſi humores aceruentur, nec obſtructiones fiant, quinimmo ſanguis, & fluxilis, & quantitate temperatus generetur, cuius cum natura abundantem ſuppeditet copiam, menſes nulla in re earum, quas enumerat Hippocrates peccantes, ſed leges naturæ omnino ſeruantes fluunt; ita vt nullum imminet periculum, ea incommoda, vt mulieribus ſuccedant, quæ ab eodem in libro de Mulierum morbis recenſentur: qua ratione, & in puerperio bibitur, non enim artificiali indiget coctione: Poſtremo addit Auicenna, & immenſam fluminis molem ſuffragari, Tertium ſiquidem in latitudine magnorum, locum ſibi vendicat, vti Arrianus ſcribens ait, maximus fluuiorum eſt Ganges, poſt quem Indus, poſt Nilus; quod contingit quia in magno quanto magna ſeu virtus, ſeu magnum vitium reſidere ſolet: Tum & quia in Nilum, fortè nullum nec flumen, nec Riuus influit (de qua re tamen inuicem contendunt magni Viri) vel ſi influunt, & eorum aquæ inculpabiles prorſus ſint, ob dictæ iam ſuæ molis immenſitatem, illas quaſi vertendo in ſui naturam, eo modo quo de vino ſibi admixtam aquam in ſui naturam vertente dictum iam eſt, culpabiles illorum qualitates corrigit, vel potius deſtruit; At nouus adhuc ſubeundus eſt labor, quoniam Galenus ſcribens, aquam Nili, non modo

In 4. de ſimpl. med facult. cap. 19. & in 5. eiuſdem. cap. 11.

In 5. lib. aphor. 36.

In calce 4. cap. p.

lib. de fa- modo quadantenus compoſitam, verum, & vſquè adeò li-
cu't. ſimp. moſam eſſe, vt modum depurandi illam tradiderit, Videa-
medic. tur tot præſtantium Virorum ſummis laudibus eam extol-
lentium vnaquè, & propriam ſententiam ſubuertere, & eò magis quoniam Auicenna vbi ſupra, poſtquam tot laudibus aquam hanc extulit, protinus, & cœteras aquas depuratione egentes malas nuncupat: qua cum egeat Nilotica, non niſi mala eſſe poterit. Pro quo animaduertendum eſt, Nilum non ſemper in eadem diſpoſitione eſſe, ratione illius, cui obnoxius eſt inundationis, cauſam cuius aſsignare non eſt præſentis negotij: ter igitur ſingulo anno mutatur, & Primo à leni placidoquè curſu, ad inundationem: Secundo ab inundatione ad gradariam extenuationem, à qua iterum ad lenem curſum reuertitur: A quarta nempè die ſeptembris, vſque per totam Decimamſextam Iulij, lente quieteque perpetuò fluit, cuius decimaſeptima accedente die, poſtquam ſcilicet Sol Apſidem ſuum ſuperauit, gradatim incipit intumeſcere, exienſquè proprium Alueum Aegypti terram inundat, ac tegit, ſic vt feræ pleræquè intereant, iumenta, & homines altioribus ſe locis tueantur, creſcitquè illius inundatio vſquè ad vigeſimamſextam diem menſis Iulij, donec ſcilicet ſol ipſe ad medium Leonis perueneriт, & eſt per ſpatium quadraginta dierum: Ab ea die ſe in mare exonerare incipiens, totidemquè diebus decreſcens, ad ſua loca redit, Aegiptumquè ſiccam relinquit: Per totum igitur illud temporis ſpatium quod eſt nouem menſium, & dierū viginti, tam lente fluit leniterquè, vt terræ, vel nihil miſceat, vel non in tanta quantitate, vt limus adeſſe poſsit, non effugiens omnem ſenſum: Ergò tunc, vt ad vſus pura eſt, & ſincera, ſic & nulla prorſus depuratione indiget, iuxta regulam traditam à Galeno vbi ſupra, in calce ſcilicet quarti capitis primi libri de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ſtatim vero dum inchoat inundatio, & concomitanter terræ permixtio, vtraquè tamen gradatim, qua non prius priuantur aquæ quàm ad ſua loca redierint, iccirco, & perpetua depuratione octuaginta dierum ſpatio neceſſario indigent, iuxta maiorem

lorem minoremuè terræ permixtionem, quæ cum gradatim conſequatur intenſiorem remiſsioremuè aquarum agitationem, eam aperuit nobis Galenus vbi ſupra dum inquit, „Oportet autem non ſemel, ſed modo bis, modo „ter percolare, quando nè ſic quidem forſan ad amuſsim „puram queas efficere. Hinc mirum non eſt, ſi in Aegypto nati octauo menſe generaliter viuant, quia Cœlum, aer, aqua, & corpora, & alimenta ſunt viuaciſsima. SVCCEDVNT Puteales, quas Celſus in quarto loco ponit, de quibus ſermonem habens Aetius, etſi dicat illas frigidas eſſe, terreſtres, excretu difficiles, vix pertranſeuntes: Quoniam tamen è terra ſcaturiunt, iuxta diuerſitatē terrarū, per quas fluunt, varias diſpoſitiones, tā ſalubres, quā inſalubres habere poſſunt, ita vt nec probari, nec improbari ſimpliciter poſsint. At vnum aliud, & circa ipſas attendendum eſt; Conſenſus videlicet venarum, per quas Aquæ ad Puteos defluunt, nam earum aliquæ ſunt, quæ cum probatis fluminibus conſentiunt, Aliquæ quæ cum locis, in quibus vitioſæ aquę continentur: Et harū primæ bipartitę ſunt, nā ipſarū venarū quædā ſunt latę, & altera ſui extremitate flumini valdè proximæ: nonnullæ remotiores, vnaquè, & anguſtiores; Et veluti aquæ ingredientes puteos, per venas cum locis vitioſis, conſenſum habentes, non poſſunt non eſſe vitioſæ; ita per venas ingredientes quæ cum probatis fluminibus conſenſum habent, non niſi probatæ eſſe poſſunt: Meliores attamen inter has ſunt illæ, quæ per anguſtiores venas, quarumquè ora, remotiora ſint ingrediuntur: Nam tenues limpidæ expurgatæquè perpetuò ſunt: At quæ per latiores, propinquioreſquè venas deferuntur inconſtantes ſunt: quippe quæ turbatis fluminibus turbatiores, quietis autem clariores apparent: Quæ venæ etſi cum probatis locis conſentiant, probatam tamen aquam ad puteos deferre non poterunt, niſi in probata terra, iuxta integram ſui longitudinem, & ipſæ ſitæ fuerint: Probata autem procul dubio erit, ſi ſolida, ita vt cretam, maſculumuè ſabulum, quod ſatis tenax eſt imitetur: Vitioſa

Lib. 3. cap. 175.

cioſa verò ſi cæmentitia, ſoluta, & quaſi carioſa, & ſordida: Inter Puteales autem præſtantiſsimæ illæ ſunt, quarum venæ ſunt inceſſanter deferentes, auferenteſquè aquam: cum enim continuò innouentur, nullam labem poſſunt contrahere, nec à quiete, nec à putei quas contangunt partibus, cũ, & ipſas pro fluendo continuò detergant. Puteales autem Aquæ vbiquè ferè inueniri poſſunt, nam & ferè vbiquè, effodi poſſunt putei, dulces Aquas ſubminiſtrantes, ita vt Venetijs (quod mirum quaſi videtur, cum illius ſolum ſalſum, & limoſum totum ſit, minimequè ſolidum) Puteos, & confici poſſe, & modum conficiendi tradiderit Iulius Cæſar Scaliger in centeſima aduerſus Cardanum exercitatione: Et magis adhuc, quoniam inquit Philoſophus, quò profundius circa mare infodimus, nos aquam magis ſalſam inuenire: Nam hoc opus eſt Dei glorioſi, à certiſsimis periculis homines conſeruare volentis (quamuis tanto errore tot, tantæ beneficentiæ aduerſentur) quod ex vndecimo capite vigeſimi libri Hiſtoriæ Indiarum, vnicuiquè palam fit: Accidiſſe vbi illius narrat Auctor, vt cum dimiſſus quidam Alonſus Zuazius, Dux illuſtris adnauigaſſet, gratia coniungendi reiecto odio, illuſtres duos alios Duces: & obtrito ab impetu ventorum Nauigio quod conſcenderat, cumquè prope infœcundiſsimas, prorſuſquè deſertas Alucranorum (quod lingua noſtra ſcorpionum ſonat) inſulas naufragaſſet; ipſequè vnà cum egregijs nonnullis militibus qui ſecum erant, ibi deperditus fuiſſet: Canoæque cuiuſdam vocatæ, quam in arena ſemiſepultam caſu inuenerant, ad arenoſam, nec minus deſertam paruam quandam procliuitatem perueniſſent, ibiquè per duodecim dies comorari coacti fuiſſent, præ ſumma rerum omnium inopia, nihil aliud edentes quam oua, & crudas quinquè immenſæ molis teſtudinum carnes, & aliud nihil bibentes quam earundem ſanguinem: quibus, & ſat breui omnino deficientibus, etſi nonnulla alia eſculenta, à Dei benignitate ſubminiſtrata fuiſſent: Fruſtra tamen ibi dulcem aquam perquirentes, vel nihil prorſus potantes, vel ſolam Maris aquam, omnino mori cogebantur (qui enim eam bibunt

Diſtinctione 3.

In 31. & 37. probl. 23. ſectionis.

bibunt, non poſſunt non mori, & ſat citò) A Diua Anna monitι, ad illi proximam ſat paruam teretiſquè figuræ inſulam, ſe contulerunt: A qua cum per trigintaquinquè ſupra centum dierum ſpatium, decedere non licuiſſet; ſedulò circumfodientes, & ſi nullam aliam, præter valdè ſalſam aquam inueniſſent, pedibus tamen cum figuraſſent, Primo anguſtam vnam ſemitam, circularem ſummam dictæ iam inſulæ, ſuperficiem in duas æquales partes diuidentem, Alteramquè adhuc, illam ad rectos tum angulos ſecantem, tum æqualiter diuidentem: Manibus vbi ſeſe mutuò ſemitæ interſecabant fodientes, dulcem aquam tandem inuenerunt: qua eò vſquè perfectè vſi ſunt, quoùſquè Simon Conca, & Didacus Ocampus Ferdinandi Corteſij Præfecti, de deterrima omnium, omnibuſquè miſeranda illorum conditione, ea qua ibi exprimitur via ſanè mira, certiores redditi, ad eos liberandos optimè munitum Nauigium illhuc miſiſſent: Tunc enim quia hominnm vſui, in poſterum non amplius inſeruire debebat, (Nam quo Nautæ ab illis perpetuò ſe præcauerent, Prudentiſsimus Alonſus, ſepulchrorum inſulas nominauit) Deo ita permittente ad priſtinam ſalſedinem reuerſa eſt. ita vt fortè nihil vbicumquè, & quandocumquè opus eſt, parenti naturæ, Dei miniſtræ, potabiles ſatquè frigidæ aquæ, tum generatione, tum conſeruatione magis curæ eſſe perſpicuum ſit. Omnibus itaquè in locis, in quibus effodi poſſunt putei, aquæ vſquè adeò frigidæ erunt æſtate, vt nulla nec minima refrigeratione indigeant: Aeſtate diximus quoniam hyemè hæ calidæ ſunt, etſi oppoſitum ſentiat Galenus inquiens, illas ſemper, ideſt in quolibet anni tempore eſſe in eadem diſpoſitione, hoc eſt frigidas ſemper, & in eodem frigiditatis gradu: Et hyeme cum illas calidas eſſe exiſtimamus, hoc prouenire ex deceptione ſenſus tactus, ita, vt illud contingat, quod, & de vrina tacta ab intra vaporarium mingente, quæ frigida iudicatur, calida verò, ſi ab eodem dum extra vaporarium eſt, tangatur: Ex qua Galeni aſſertione, quamuis perſpicuum planè ſit, nullum eſſe habitabilem locum, qui quantum ad Putealem aquam pertinet, vllo in

In 3. lib. de facult. ſimpl. medic. cap. 8.

anni tempore, vllo artificiali refrigerandi genere indigeat: Quoniam tamen tantæ rei diſquiſitio, & vtilis eſt, nec iniucunda, occaſioquè ſeſe hic offert detegendi veritatem, Videtur dicendum, opinionem hanc quamuis ſit tanti Viri, Hippocrati, Ariſtoteli, rationi, & experientiæ aduerſari: Hippocrates namquè apertè inquit, Aquas puteales dum æſtate hauriuntur frigidas eſſe, hyeme verò propter terræ caliditatem calidas, paulò poſt autem, & illas à calido aere calefieri, iſtaſquè à frigido frigefieri. Et Ariſtoteles inquit, flatu Boreæ puteales aquas hyeme effumare, cui ſenſibilis experientia correſpondet, ergò ſignum eſt, in aqua calorem aliquem illi à terra impartitum incluſum eſſe, à quò effumatio producitur, non enim abſquè calore effumatio: Quod & ratione probatur, Nam quantum ad caliditatem pertinet, rés ita ſe habet, de intimis partibus terræ, veluti de corporibus noſtris, quæ intrinſecus ſunt calidiora hyeme quàm æſtate & ob eandem cauſam, quam aſsignans ipſemet Galenus ex

» Ariſtotele dixit. Refugit enim propter circumſtantem, ex-

» trinſecus frigiditatem, ſicut rurſus æſtate, ad ſibi affinem pro-

» tenditur: Nam ſi verum non eſſet, ex obſiſtentia contrarij Aquam puteorum eſſe æſtate frigidam, & hyeme calidam, non poſſet aſsignari Ratio, cur media aeris Regio ſit æſtate frigidior, quàm hyeme: Cum enim æſtate infima aeris Regio ſit longè calidior, quàm hyeme vti conſtat, ideò ſua caliditate vehementius repellens, mediæ aeris regioni frigiditatem ipſam congregando intenſiorem efficit: Et vt ad experimenta deueniamus quærit Ariſtoteles, Quare poſt meridiem puteorum aquæ tepidiuſculæ ſint æſtate: Non enim dicendum eſt tales eſſe noſtri corporis comparatione; Tunc enim ea ratione magis calemus, qua & poſt ſolſtitium, apud nos magis calet aer; Adhuc non ſolum digito manuuè, aut vniuerſa corporis extima ſuperficie, vt potè quę omnia conti nuo ab ambiente alterantur, De tangibilibus obiectis iudicamus, quinimmo, & palato, lingua, orequè deniquè toto, quæ partes cum ad extimum aerem nihil reſpiciant, & ipſis (vti patet) è puteis recenter hauſtam àquam frigidiorem,

hyeme

In lib. de natura fœtus pagina octaua, & nona.

In p. lib. aphor. com. 15.

In 2. prob. 24. ſectionis.

hyeme verò longè minus frigidam eſſe iudicemus: Tales vt re vera ſint, quales ſeſe offerunt neceſſe eſt.

AQVA QVANTVM EX GALENI SENTENTIA FRIGIDA ESSE DEBEAT PRO SANITATE TVENDA. CAP. XIIII.

ET Quamuis præcedens Aſſertio nullam habeat dubitationem, vel ſi apud aliquos aliquam fortè, ea facilè diſſolui non poſsit, tum ex his quæ narrat Auctor iam citatus hiſtoriæ Indiarum: tum ex vno quod ſcriptum eſt, in dictæ hiſtoriæ ſummario, è ſcriptis D. Petri Martiris Mediolanenſis excerpto: Vſquè adeò natura ſollicita eſt in ſubminiſtranda vbiquè locorum inculpabili aqua, vt propè Inſulam Nauazziæ, ab æquinoctiali decem, & octo circiter gradus diſtantem (quod mirum videtur) medio in mari ſcribat, Tubum aquæ dulcis probatæ, humani brachij craſsitiem excedentem, ſupra marismet tantum proſilire, vt à pertranſeuntibus Nautis omnibus commodè ſumi poſsit: Pariter in Prouintia Caizimu dicta, in Regione Guanama nuncupata, aliquos fontes extare, quorum aquæ in ſuperficie, & dulces ſunt,& potui valdè accommodæ,in medio ſalſæ, in fundo admodum amaræ: illos è ſalſa aqua oriri exiſtimant, ſupra quos cum à proximis montibus dulces aquæ confluant, quæ cum infima permiſceri nequeant, iccirco in ſuperficie dulces ſunt: Hinc Indi ipſi, Aquam aliàs adorantes, cum ipſam adorarent interrogati, reſpondebant ideò quoniam, & alimenti materiam generaret, & illos in vita conſeruaret: Omitto DEVM CERVIAE, FLAMINIAE Ciuitati, ob ſalis copiam, tot gentibus deſeruientis inſigni; Probatis tamen,ob depreſsiorem ſitum aquis carenti: fontem ſanè admirandum elargitum fuiſſe, Mari videlicet tam propinquum, vt propinquior quaſi eſſe nequeat, probataquè aquæ, & in

primis æſtate ſat frigida perpetuò abundantem. Etſi inquam vbicunquè homines domicilium habent, inſint, & Aquæ potabiles, ſiue optimæ, ſiue medio modo ſe habentes, quæ æſtate frigidæ ſint: Non tamen conſtat illas vſquè adeò frigidas eſſe, vt artificialem refrigerationem non expoſcant: Immo enodate conſtare non eſt cur dubitetur, non modò ſano homini conuenientes, quinimmo, & frigidiores longè quàm illi opus ſit reperiri: Puteales nimirum, nimis frigidas eſſe nemo ſanè dubitabit, ſciens Equos illas recenter hauſtas æſtate potantes præ nimia illarum frigiditate à torminibus multoties corripi, & quandoquè interire: Fontanæ verò illæ ſunt, quæ ſi inculpabiles ſint, temperatam illam, qua ſani hominis gaudet natura in ſe continent frigiditatem, quod ita dilucidè Galenus hiſce verbis edocet, vt nihil lucidius: Eſto præparata inquit in labro aqua frigida, ea frigiditate quæ nullam euidentem qualitatem, nec prorſus frigidarum, nec tepidarum præferat, ſed qualem ea quæ fontana vocatur, quæ & frigoris quod tanquam ferit, & teporis qui reſoluit, eſt in medio. Quod & in ſecundo de facultatibus ſimplicium medicamentorum libro comprobauit dicens: Porrò ſi nec inſigniter calida, nec frigida admoueatur, ſed veluti quæ fontana dicitur. Ita vt ſiquis hæc firmo vinculo, vnà cum ijs quæ ab ipſomet Galeno ſcriptis tradita ſunt, vbi aquæ vitia in illius frigiditatem reijcit, conſtringere voluerit, velit nolit coactus erit fateri, Omnes frigiditatis aquæ gradus, demptis illis, quos vbiquè, æſtate præcipue aquæ cuiuſcunquè probati fontis ineſſe experimur, vt potè nullum ideò in ſe vitium continentis, quoniam in medio ſit frigoris, quod ferit, & teporis, qui reſoluit deuitandos, vel nulla poſthabita induſtria eſſe, tamquam rem ſummum detrimentum ſaluti, euidentemquè vnà vitæ diuturnitati, iacturam afferentem.

In decimo lib. meth. cap. 11.

In 7. meth cap. 6.

VTRVM AQVA PROBATI FONTIS NON SAT FRIGIDA REFRIGERANDA SIT. CAP. XV.

AT hic variæ Dubitationes inſurgunt, quarum prima eſt, ſi Aqua probati fontis extra ipſum perſiſtens amittat aliquem gradum illius temperatæ, & ſalutaris frigiditatis, quam Galenum illi præſcripſiſſe, iam oſtendimus: Vtrũ refrigeranda ſit, ipſam in vaſe exceptam immergendo, in aliam ipſa frigidiorem aquam. Dicimus pro nunc non eſſe refrigerandam, (De hoc nimirum, & infra ratiocinari cogimur) Nam pro ipſa refrigeranda, vel intendis, earum Aquarum aliqua vti, quas probatas meritò ſtatuimus, frigidiore tamen: Et hoc ſuperuacaneum, cum eandem, tibi laborem hunc fruſtra ſuſcipienti, in potu aſſumere liceat, abſquè quod detrimenti aliquid ſuccedere metuas: Nam probata ſi ſit, quantumuis refrigeranda, ſit frigidior illius tamen frigiditas quoniam excedens eſſe nequit, ſecus vitioſa eſſet, ideò tantum abeſt, vt nocere poſsit: vt maxime conferat: Vel pro hoc præſtando, intendis vti, vel aqua culpabili, aut niue, aut glacie, quorum neutrum vndequaquè tutum eſſe infra oſtendemus. At quid erit agendum tunc, cum in magna Vrbe probata aqua, vſqueadeò ab habitationibus diſtabit, in quibus erit potanda, vt aſportata, in itinere temperata, ſalutariſquè iam dicta ſua frigiditas remittatur: Dum enim hauſta eſt, veluti hyeme promptiſsime, illius paulominus quàm teporem, à frigiditate ambientis remitti, ita & æſtate frigiditatem, ab eiuſdem caliditate, & ſcriptum reliquit Hippocrates, & ipſa edocet experientia. Dicimus hoc haud difficulter deuitari poſſe, ſi Aqua in optimo vaſe figulino excipiatur, ore cuius operculo vndequaquè appoſito, ſedulo clauſo Mappa duplicata optimequè in eadem aqua madefacta, confeſtim, & diligenter obducatur, inquè optima cella vinaria protinus condatur: Optima autem Vaſa figuli- In lib. de natura fœtus.

na erunt, ſi leuiſsima, non facile frangantur, & ignibus reſiſtant, ſed, pro hoc vſu, quæ vitro quamuis non obducta, parum ſorbeant,& nihil exſudent, Nam quæ talia ſunt, cum per poros aerem non admittant, Aquam eo in ſtatu, in quo erat dum hauſta fuit optime conſeruant: Talia ex tenuiſsima argilla, natura leui, & pingui, diu beneque ſubacta conficiuntur; hac illa vè figura prædita ſint parum refert: Quo erunt maiora, craſsiora, & os anguſtius habebunt ideò præſtantiora, Aeris caliditatem quoniam magis repellunt. Vitro autem oblinita haud fore diximus, quoniam à natura terræ, ex qua extructa fuerunt, minus diſtant, ideò veluti, & ipſa ſuo contactu frigidam illam conſeruare peridonea ſunt: Et magis adhuc, quia cum interna illorum ſuperficies, longè poroſior ſit quam ſi vitro oblinita eſſet, promptiſsime aquam vnà cum ſua frigiditate imbibunt ac retinent, tum quia vaſis materia naturali quadã propenſione appetit (eo modo quo entia naturalia quà talia ſunt, appetere poſſunt) ad priſtinam naturam reuerſi,tum quia dum aer à meatibus exit,non enim poteſt non exire, occurſu aquæ, promptiſsime enim illa ab interna propria vi excitata ingreditur poros, quamuis reſpectu ſui haud perpendiculariter, quinimmo potius maiori ex parte lateraliter poſitos, nè vacuum detur: non ſolum enim appetunt ſuum VBI elementa, ſed & extra ipſum eſſe gaudent, nè grauiore vniuerſi iactura, ſpacium illud à teterrimo hoſte occupetur: nihil profectò hoſtile magis enti quam non ens, Vacuum autem non ens: interclusa igitur, nec niſi ibi ſat denſata perſiſtens aqua, idem & reſpectu totius aquæ in vaſe exiſtentis, Poroſa illa interna ſuperficies operatur, quod & in nobis veſtes, quas quamuis valde frigidas induti calefaciamus paulo poſt, ipſęque protinus ſuſceptum à nobis calorem, nobiſmet retribuendo, nos non modo calidos conſeruant, ſed & calidiores efficiunt: quod magis minus uè præſtant, prout recipere ipſum, retinereque magis minus vè aptæ ſunt.

Vtrum

VTRVM AQVAE SATIS FRIGIDAE, QVAE TAMEN SAT PROBATAE NON SVNT VENIANT CORRIGENDAE, ET DE COQVENDI ILLAS ARTE. CAP. XVI.

SECVNDO oritur Dubitatio, vtrum vbi non ſunt Aquæ vndequaquæ probatæ, quæ tamen ſat frigidæ ſint, veniant corrigendæ, veluti putealium pleræquè: Nam inter illas quædam reperiuntur, & præcipue vbi, & ſolum, tum ſui natura vndequaquè probatum eſt, tum libero puroquè aeri expoſitum, quæ & legumina decoquunt, nec æſtate media recenter hauſtæ explicitos iam ex Galeno ſalutaris frigiditatis gradus excedunt: Dicimus inter haſce quæ culpabiles ſunt, perpetuo corrigendas eſſe, ſed non vno modo, nam quæ iuuenibus, & ſanis corporibus pro potu inſeruire debent, ſat corriguntur, ſi grauioribus Vrnis vehementer percuſſæ frequentiſsime hauriantur, vti iam dictum de ciſterninis eſt: Si verò ſenibus, & quauis cauſa imbecillioribus corporibus tutò exhibendæ ſint, correctione non minus præſtanti quàm compendioſa procul dubio corrigendæ erunt; decoctione ſcilicet, ſecus magnas turbas in corpore concitant, ventriculum flatibus agitant, grauant, mordent, vellicant, quin, & in ipſo, tum & in hypocundrijs diutiſsimè hærent, vnaquè, & pernitioſos alios affectus pariunt; Ex aduerſo ex arte coctæ, & præſertim ſi de numero illarum fuerint, quæ omni prorſus in ſe reprehenſione carent, non optimam modò valetudinem conſeruare aptæ ſunt, Verum cum leuiſsimæ, puriſsimæ, & ſaluberrimæ ſint, plures viſcerum morbos, ſolæ quamdiu opus eſt epotæ, diſcutiunt, velut tormina, grauedines, ſcyrrhos, inchoantem podagram non hæreditariam, cachexiam, aliaquè huiuſmodi multa. Quem corrigendi modum, etſi à deſtillatione vincatur, Modus vt potè inter omnes tum diuturnum ſatis tempus nec

Decimo lib. meth. cap. 11.

non, & grauiores ſumptus expoſcens, vſqueadeò extollit Philoſophus, vt dixerit aquam Maris coctam, & refrigeratam vſui eſſe ad potandum: Terreum ſiquidem ipſa decoctio partim ſubſidere facit, partim attenuat: ita vt in corrigenda aqua, poſt diſtillationem balnei mariæ vocati ope peractam, primarium ſibi dum nihil defuerit, vindicet locum: Expoſcit autem, cum multi ponderis operatio ſit nonnulla; Quorum primum eſt, Vaſis materia in quo illa coquenda eſt; Nam non debet coqui niſi in phiala vitrea, vel in lagena terrea vitro oblita: ſunt qui æneis lagenis ipſam decoquant, non abſquè inſigni potantium detrimento: metallum enim omne cum nigrum afferat colorem, præter purum aurum, vnà cum tetro illo colore, & maligni aliquid perpetuò contribuit, & tunc præcipue cum intrinſecus vi feruentis aquæ, vnaquè, & extrinſecus vi ignis, feruorem producentis, ad metallicum illud virus, ac quaſi nidorem euomendum vehementiſsime irritatur: Secundo ex parte figuræ, nam debent habere os anguſtum, quamuis enim tantum abſit, vt aqua dum decoquitur incraſſetur, vt inſigniter attenuetur; Nam toto Cœlo illos errare qui aquam coctam ideò damnant, quoniam illius tenue abire, craſſumquè relinqui ſibimet perſuadent, ex eo patefit, quoniam incraſsatio fieri non poteſt, niſi abeunte humido, & conſtante ſicco iuxta Ariſtotelis ſententiam quarto metheororum, vbi ait ipſe, Aqua ſola humidorum non incraſſatur, nam decocta non ſolum ſub forma Aquæ, quinimmo, & ſub forma perfectioris aquæ remanet, continuato nimirū igne (veluti periculum facienti, acutiuſquè conſideranti patebit) diminuitur eouſquè, quòad tota abeat, ita vt coctione aereſcere potius quam incraſſari fatendum ſit, ideò dicendum non ſolum humidum non receſiſſe, quinimmo, & tenuiorem longequè magis permeabilem redditam fuiſſe: ignis enim, & congelatam Aquam eliquat, & quæcunquè aquæ inſunt, vti ibidem Phyloſophus inquit, diſſoluit: At idem per ſe contrarij cauſam eſſe nequit: Hinc aqua quà vtimur nequaquam ſimplex cum ſit, ſed mixta, iuxta omnium ſapientum ſententiam, & in

In 18. Problem. 23 ſectionis.

Capite de coagulat. & liquatione.

in primis Galeni, mirum non eſt ſi perpetuò in vaſis in quo decoquitur fundo terrei aliquid reſideat, quod veluti feruente aqua ſeparatur, ita, & dum illa ad priſtinum frigus reducitur deſcendit: Dubitandum minimè eſt in actu ebullitionis, tenues aliquas illius partes per os vaſis, eò maiori in copia euaporare, quò illud erit latius: quod & magis adhuc officit, dum pro corrigenda intrinſeca aquæ cruditate, vnà cum ipſa aliquid aromatici veluti cinamomi portiuncula coquitur (quod frequenter fit non abſquè inſigni ventriculi vtilitate) in aqua enim quantumcumquè ſedulò cocta nonnihil cruditatis perpetuò remanet, nì ſecum aliquid incoquatur, quod eam omnino debellare valeat: Ad illam tamen debellandam reſpectu cuiuſcumquè aquæ quantitatis quamcumquè magnam lagenam replentis, perexigua quantumcunquè portio odorati aromatici cuiuſcunquè ſimplicis ſat eſt: Cuius rei cauſa eſt, natura aquæ quà aqua eſt, & ſimplex, vel ſimplicitati eo modo quo eſſe poteſt proxima; quæ cum rerum omnium frigidiſsima ſit, calor nullus actu ab eius forma toleratur, ideò nulla eſt eius ad calorem potentia niſi paſsiua, quæ quidem ad actum non reducitur, niſi extrinſecus admoto peregrino calore, minime autem intrinſeco excitato, quì fuerit in potentia ſicut in pipere: quo euaneſcente nam, & euaneſcere debet ad hoc, vt potui idonea ſit: Et celerrime euaporat, aſſerente Ariſtotele aquam calefactam celerius gelaſcere: ipſa, & ad primæuam ſuam frigiditatem regreditur: A qua iccirco ſeiungi prorſus nequit cruditas, ibi quoniam reſidet, vbi tum actualis tum potentialis prorſus abeſt caliditas: Cruda enim dicuntur illa quæ omnino ad aſsimilationem inalterabilia ſunt, nec non, & quæ ad eam alterabilium alterationem, vel prohibent, vel retardant, ſimplex aqua quamuis ſedulò cocta reſpectu cuiuſcunquè hominis in prima hac ſignificatione cruda eſt, vti conſtat, nec non in ſecunda ſignificatione comparata ad quodcunquè genus potus ſeu naturale ſeu artificiale, quod homini familiare ſit, demptis ſolis Abſtemijs non vi, at naturæ impulſu factis, ob contractam à confirmata conſuetudine

In p. de ſa cult. ſimp. medicam. cap. 4.

In p. lib. metheor.

dine quæ altera quaſi natura eſt familiaritatem: Nam vel oſſa iamdiù à cadaueribus ſeiuncta, & præ vetuſtate iam penè lapidoſa effecta, vel lapides, & multo minus ferrum, nemo profectò erit qui ad viuentium collata generaliter innatum calorem, coctibilia in ſe eſſe dicere audeat; quamuis ea omnia in latitudine animalium omnium Struthiocamelus, & glutiat, & etiam veluti ſapientum multi opinantur, & ferunt, etiam conficiat ob vehementem caliditatem, & ventriculi craſsitudinem: haud enim ab eo ſolo animali alia quam particularis Regula elici poteſt, quod quaſi in natura portentum eſſe ex Philoſopho elicitur ipſum partim auem, partimquè quadrupedem ſtatuente: Cum ipſa verò ſi aliquid potentia calidum incoquatur, cruditate ideò priuatur, & prorſus; quia quæ remanet poſt coctionem valdè pauca cum ſit, facile proſternitur à virtute rei incoctæ, qua aqua imbuta, & alterabilis reddita, eo modo quo alibi declaratum eſt calefacere potis eſt, dum illa ab innato calore excitatur: Hinc dicebat Galenus, res in aqua decoctas ideò proprijs qualitatibus priuari quoniam aquæ impartiuntur: Et magna cum ratione, nam cum ebuliendo ipſa vſqueadeò atenuetur, vt in minimas partes diuidatur, exactiſsime ab incoctis in ipſa rebus iam dictis nullam, vel minimam illius partem non afficientibus alteratur, ita vt ea quæ prius erat, amplius non ſit, ſed alia fiat. Operculo igitur, vt dum feruet ſemper vas tectum ſit neceſſe eſt: Tum vt (quod maxime intereſt) tota aqua æqualiter coquatur, operculo enim abſquè quamuis in ſummo ferueat, in fundo tamen frigida vſqueadeò permanet, vt pleroſquè vaſa in quibus ebullinit fundos ſuſtinentes deportare Ariſtoteles teſtetur, Aquæ nimirum pars quæ caleſit ſummum petit gradatim, ſunt, & partes quæ fundum vaſis non deſerant, ſecus leuiores aquæ partes extrinſecus non impulſæ peterent locum grauiorum quod repugnat ordini naturæ: Cuius rei rationem, & Plinius trigeſimotertio libro innuit dicens, Aqua addita, plumbea vaſa non liqueſcere: At præſente operculo, Aqua quoniam dum feruet atollitur vehementer, ac illum percutiendo cum impetu

in 4. lib. de part. anim. cap. vlt.

in 3. lib. de facult. alimentorum cap. 31.

In 5. vigeſime quartæ ſectionis probl.

retro.

retrocedere cogitur, exagitationequè vſquè ad vaſis fundum concitata, partes aquæ, quæ ibi crudæ vaſe non operculato perſtitiſſent, locum violenter mutantes, cum feruentibus ita permiſcentur, vt nulla pars ſuperſit, quæ non ferueat, & ſic tota vniformiter coquitur. Quouſquè autem aquam coquere expediat, an videlicet quoad vel vigeſima, vel quintadecima, vel decima, vel alia quæcunquè ſtatuta illius pars ebuliendo decreſcat, præterquam quod nec Antiqui, nec recentiores (quod legerim) aliquid de hoc ſcripſerunt, Regula hæc ſi ab hoc fonte deduceretur ſat laborioſa eſſet, reſpectu rei ſuccedentis, quoniam, & aqua ſemel ſaltem eſſet ponderanda, & vas ſignandum, veluti fit dum decoctum aliquod magnum ſeu ligni guaiaci, ſeu ſarza parillæ paratur, & fortè non eſſet tuta, tunc præſertim cum ſimplex abſquè quod aliquid ſecum ferueat decoquitur: Reſpicit nempè illa potius rei incoquendæ duritiem, nec non, & reſultantis decocti intenſiorem remiſsioremvè vigorem, quàm aquæ, vt aqua eſt correctionem: Ideò à Galeno petenda eſt dicente concturam talem fore, vt totam æqualiter aquam fundens, eam ad partium ſeparationem idoneam reddat, idoneam inquam quoniam, quantumuis ab igne ſemota ſit, abſoluta cum dictarum partium ſeparatio, durante calefactione ideò fieri nequeat, quoniam ab actuali calefactione motus non prorſus ſeparatur, & maximè in aqua, tum ex parte impreſſi caloris, tum ex parte aquæ ſat ſtrenue reagentis naturaliter, in ipſum calorem ſibi violenter inexiſtentem, nam eò minus intenſa eſt reactio ex parte liquidorum aliorum corporum in caloremmet, quò minus ille eorum formis naturaliter repugnat, A quo quidem motu corpora aliqua craſſiora in aquamet natantia ſublimiùs efferri neceſſe eſt, eo autem ad caloris receſſum in totum deſinente, terreæ particulæ ingenito pondere deſcendentes, in fundo continentis vaſis reſident, aqua verò ſuper has fluitat: At eſt difficultas circa ſigna, vel ſignum ad minus cuius adiumento liceat exactè dignoſcere, idonea nec nè quæ decoquitur aqua actu reddita ſit ad partium ſeparationem. Dicimus verum, & certum,

quarto in ſextũ Epidemiorum com. 10.

tum, ſignum, eſſe multitudinem ſpumæ, paruas, & ſpiſſas bullas continentis productæ in ſuperficie aquæ; quod vſque adeò efficax eſt, vt nullum efficacius poſsit excogitari: Nam cum ſpuma mixtum quoddam ſit (quamuis præter naturam, quia finali cauſa caret, veluti, & alia omnia quæ præter naturam ſunt) reſſultans ex permixtione aeris cum aqua propter agitationem violentam vtriuſquè ſimul factam, vel ab agitante quolibet, vel à calore non tamen prout calefacit, ſed prout agitat: Galeno teſte calor enim, vt reliquas priuatas agitationes, vt potè ad rem noſtram minus ſpectantes poſtponam, quando materiam ingreditur ideò commiſcet aerem cum aqua; eam quoniam dilatando, & rarefaciendo, ſic diſpoſitam illius in aerem vertit portionem: & quia ob immediatam vnius ex altero productionem, duo ſe maxime illa contangunt elementa: hinc perſeuerante caloris actione, dum maxime rarefacta eſt, aqua ipſa concutitur, & vnà cum ex ea producto aere, agitatur, & naſcitur ſpuma: quæ quidem vti dictum eſt cum non niſi ſummam in feruente aqua præ ſe ferat iam productam eſſe rarefactionem, quà immediatè ad ſeparationem partium idonea redditur: Ea ſeſe oſtentante, haud verendum eſt, aquam exactè decoctam eſſe, & prolixiori ebullitione non indigere: Quotieſcunquè inquam bullæ ipſius ſpumæ, paruæ erunt, & ſpiſſæ, nam cum inter eas, quæ ſpumam neceſſario conſequuntur, aliquæ ſint magnæ, & raræ, aliquæ quales diximus, & nonnullæ vel medio modo ſe habentes, vel alteri ſtatutorum iam extremorum proximiores, primæ, & primis propinquiores, etſi agentis magnitudinem indicent, quia tamen, & vnà actionis breuitatem indicant; non æque, ac illæ quæ, & paruæ, & crebræ ſunt, hac in re nobis ſatisfacere poſſunt, vt potè quæ, & de ipſius agentis tum vigore, vnaquè, & de actionis efficacia nos certiores omnino efficiunt. Duo autem hic minimè prætereunda ſunt, quæ præter adducta iam ſigna, Aquæ bonitatem nobis oſtendentia, eandem, & optimam eſſe nobis pro certo pollicentur: Quorum primum eſt ſpumamet candor, qui cum vtriuſquè ſui materialis principij ſummam

In 1. lib. Aphor. comm. 43.

mam puritatem indicet, meritò cuius mixtum quodlibet plurimum de lumine in ſui ſuperficiem recipit, veluti, & de niue conſtat, quam etſi ab alia differat penes congelationem; ſpumam tamen nuncupare Ariſtoteli placuit: Et cum feruenti aquæ vti dictum eſt, ambo ſpumæ materialia principia inſint, candida quotieſcunquè illa erit, & feruens aqua non niſi optima, & puritati proxima eſſe poterit, Candida inquam nam, vt alba ſit, haud ſat eſſe, ex eò deprehenditur, quoniam ex agitato vino etiam valde nigro ſpumam ſatis albam gigni deprehendimus: Dealbare nempe aeris eſt in quouis corpore introeuntis. Secundum ſignum erit, ſi ſpuma ipſa ebullitione ceſſante, citò facileque diſſoluatur, interclusi propterea quòd ſpiritus, tenuitatem portendit, nec non, & aquæ ex qua produci iam toties dictum eſt: Ex aduerſo ſi ægre diſſoluatur craſsitiem vtriuſquè: Hinc tenebroſo exiſtente aere, & flante auſtro, ſpumæ in mari fiunt, quæ ægerrime diſſoluuntur, è contra borealibus ſpirantibus flatibus, quæ minus tarde: Nec obſtat hoc de maris ſpuma ideò verificari non poſſe, quia craſsities ab illius aqua ob ſalſedinem nunquam ſeiungatur, ex qua productus, & in qua interclusus ſpiritus, cum ratione proximæ ſui materiæ, neceſſariò craſſus ſit; Nullam rationem ſubſiſtere poſſe videtur, ob quam reſſultans ex illis ſpuma, in vna citius quam in altera aeris conſtitutione diſſolui debeat. Dicimus enim non totum ſpiritum, ſpumam maris in eſſe ponentem, ex illius aqua à ventis agitata produci, tum quia cum Mare totum aeri expoſitum ſit, agitatum ſat de illo concipit pro ſpumæ generatione, craſſa enim illius aqua cum ſit, difficulter in aerem tranſit, & minus adhuc quia agens id præſtare maximè potens, ab illa abeſt, calor videlicet, nam vti rectè dicebat Alexander in quæſtionibus naturalibus, Aqua quando incaleſcit vi ſcilicet ignis rarefit, & tendit ad naturam aeris: In eadem igitur quamuis ex parte aquæ ſemper diſpoſitione permaneat: iuxta tamen ſpiritus diuerſitatem ex diuerſo aere producti in mari ſpuma producitur, quæ modò citius, modò tardius vti dictum eſt diſſoluitur: Res ſecus ſe

In 2. de generat. animalium. cap. 2.

habet

habet de aqua coquenda, quæ ſi pura eligatur, vti debet eligi, in aerem ob eam quam cum ipſo ſymboleitatem habet facilè vertitur; & aeri non niſi valdè parum expoſita eſt, cum in operculata Lagena contineatur, etſi non omnino plena, ne diſrumpatur; Et quia agitans cauſa eſt calor, impartitus ab igne, quò nihil eſt efficacius tum ad rarefaciendum, tum

In 6.Epid. tex. 10. ad eam in aerem vertendum: Hoc idem fortè nobis Hippocratem inſinuare voluiſſe dum dixit aqua decoƈta tum quidem, vt aerem admittat, & quæ ſequuntur. Aliquis exiſtimare, atquè affirmare poſſet, ipſe ſi alibi de aqua ſeu decoƈta, ſeu decoquenda aliquid protuliſſet, quod nos iam negauimus, Vel quod Galenus in commento apertè negat citata iam verba, initium vllum clarum haberent, ex illis vè emanans ſermo omnibus alijs imperfeƈtus non eſſet, quamuis ſibi fortè ipſi ad recordationem integer fuerit. At eſt Difficultas quia Regula hæc quamuis efficax ſit pro exaƈta aquæ coƈtione dignoſcenda, Vtrum dum cum eadem aliquid incoquimus nobis inſeruire poſsit: Dicimus ipſam nobis procul dubio tunc inſeruire, & optime cum aliquid incoquimus, gratia corrigendi tantum intrinſecam aquæ cruditatem, qua poſtea, vt minus robuſti, ac de propria valetudine ſolliciti homines, vinum diluant præcipimus: Nam rarefaƈta dum prorſus eſt per ſufficientem ebullitionem aqua, quod ex diƈta iam produƈta copioſa ſpuma, paruas, & ſpiſſas bullas continente optimè deprehendimus; tam exiguam à re incoƈta virtutem contrahere non poteſt, quin pro intrinſeca ſui cruditate pellenda ſat non ſit, vti & iam ſat oſtenſum fuiſſe mihi perſuadeo: Dum verò eo fine moti aliquid incoquimus, vt ægrotantes à nobis curandi vino dereliƈto, eam ſolam in potu aſſumant, Regula hæc haud mehercule ſatisfacit; Qua verò tunc vti, nè decipiamur, expediat, quoniam non ad valetudinis tutelam ſpeƈtat, quam hic nos pro ſcopo habere conſtat, quininmo potius ad morborum profligationem, alias fortè congruam occaſionem naƈti aperiemus.

Vtrum

VTRVM AQVA COCTA SIT SANIS EXHIBENDA. CAP. XVII.

TERTIO oritur Dubitatio Vtrum Aqua cocta ſit ſanis exhibenda: Reſpondet Galenus, inquiens vbi eſt probata aquæ copia, eam non eſſe coquendam pro ſanis: quod, & clarius explicuit dicens. 4. in 6. Epidemiorum cóm. 10. in p. lib. de ſanit. tuéda cap. 11.

» Non ſicuti vino, eſcis, exercitatione, vigilijs, ſomno, ac » venere, alijs alias vti pro ratione ætatis expedit, ita de a» qua quoque ſtatuendum eſt, ſed quam nunc optimam in» dicauimus, hac vti puero, iuueni, ſeni conducet: Et hoc nè in proſpera valetudine, aduerſæ præſidia conſumantur, veluti rectiſsimè monet Celſus: ſed quoniam ſunt quædam aquæ, quæ quamuis nec ſapore, nec odore malo deprauatæ ſint, atquè oculis mundiſsimæ ſeſe offerant, nihilominus ſiue ex corrupti aeris mixtione, ſiue aliud quodpiam ipſis ingenitum ſit, ab ignota cauſa prouenięns, quotieſcunquè in potu aſſumuntur, & aſſumentes in ventriculo diutius commorari aut percellere, aut inflare, aut degrauare ipſum perſenſerint, periculum faciant illud nè ex particulari imbecillitate proueniat, an potius ex occulto aquæ vitio: quod iuxta Hippocratis regulam planum fiet, ſi ipſam citò calefieri refrigerariquè dignouerint; notam ſiquidem hanc optimum iudicandi inſtrumentum eſſe, loco paulò ante citato protulit Galenus, vbi & præcepit inditium aliud eſſe ab oleribus, aut leguminibus, aut fructibus, aut carnibus, aut radicibus, in ipſa aqua decoctis deſumendum, ſiquidem in optima aqua celerrimè, in vitioſa verò atquè indomita tardiſsimè elixantur: quotieſcunquè igitur, aquæ quantumuis ſenſibus omnibus probatæ, hæ dotes non inerunt, decoquenda, & erit pro potu illorum, qui bonæ qua vtuntur valetudini tantum deferunt quantum debent: Decocta verò in frigido

Lib. p. cap. p.

In 5. lib. aphor. 26.

Quarto v: in textum Epidem. com. 10.

gido aliquo loco detinenda erit, quouſquè ad eam de qua toties dictum eſt frigiditatem perueniat, quod ideò cõmodè aſſequi poteſt, quoniã aer ſiue totalis, ſiue partialis, reſpectu totalis partialiſquè aquæ, cum in ſuperiori loco exiſtat, eam
In 4. lib. phyſicorũ. t. 49. in 2. cœli t. 74. & 4. eiuſdẽ t. 23. et 35 continens, illius quaſi Ε'ντελέχεια eſt, ita aſſerente Philoſopho, eapropter tamquam ſuperior forma ipſam conſeruat, eodem teſte, tunc videlicet, cum in naturali diſpoſitione eſt conſtitutus, & ita frigidus veluti æſtate in optimis cellis vinarijs, illius ope ad ſalutarem frigiditatem reuertitur.

Animaduertendum tamen eſt vno in caſu non pro ſanis modò, verum, & robuſtiſsimis hominibus, aquam ipſam aliòqui optimam neceſſariò coquendam eſſe, æſtate videlicet pro nauigantium potu: Nam cum ipſa ob intenſum, & rationẽ temporis anni, nec non, & loci calorem, præſcriptos ſalutaris frigiditatis gradus amittat: Ad quos pro conſeruandis tot hominum viribus, qui ea in arte ſic elaborant, vt eas per id præcipuè tempus penè exhauriant, omnino redigenda eſt; quamuis apud illos duo refrigerandi modi in vſu ſint, Primum quorum eorum nonnulli halynitri in aqua diſſoluti ac circunducti ope abſoluunt: Alterum ſic, cum naues peregrè profecturæ ſunt probata aliqua aqua vaſa quædam replent, ſeduloquè operculis claudunt, funibus nauigijs adligant, atquè per maris aquam ſecum trahunt: quoniam tamen horum primus infeſtus valdè eſt, veluti infra ſumus oſtenſuri: & alter parum efficax: Aqua enim maris quamuis infra extimam ſuperficiem, quò magis ad fundum tenditur, eò minus calida ſit, quoniam, & remiſsior irradiatio: Nam, & pro vero atquè comperto habetur, in fundo maris, aquas eſſe dulces, ſuperficiem non dulcem: Pro vero inquam quoniam id, ſuperioremquè vnà illius partem calidiorem
In 23. ſect. probl. probl. 20. eſſe protulit Phyloſophus, Nam ſequenti problemate, quod videtur aduerſari, Ariſtotelis non eſſe, Iulium Cæſarem Scaligerum, mihi rectè ſenſiſſe videtur, in quinquageſima aduerſus Cardanum exercitatione, quinimmo potius vnam ex reſponſionibus Antiquorum, qui putabant in profundo eſſe ſalſiorem propter ſalis grauitatem, pro comperto autem

quo-

quoniam veluti, & ibidem ipſe aſſerit, illam in vitreis vaſculis vrinatores aliquando extulerunt; quia demiſſus cantharus cum operculo cattiterinus: idquè operculum ſublatum funiculo, ac mox impleto vaſe ori reſtitutum: At quia hoc non ſuccedit niſi in locis profundis, ideò rationi conſonum eſt Aquam à nauigantibus ſic tranſmotam frigiditatem non niſi mediocrem contrahere, Vtinam, & talem etiam cum maximè opus eſt contraheret. diebus videlicet canicularibus: nam cum tunc ideò Piſcium capturas fieri dicat Ariſtoteles, quia ipſi maximè innatant, propterea quod per id tempus mare vſquè adeò euertitur, vt etiam limus in ſumma efferatur, ita vt dictæ iam maris partes in dicta diſpoſitione permanere nequeant. Quò fit vt pro vtroquè dictorum extremorum deuitando, æque compendioſus ac ſalutaris refrigerandi modus illis tradendus ſit, qui talis erit; Occidente ſole aqua prius decocta eo modo, quo in præcedenti capite traditum eſt, & ab igne ſemota confeſtim in optimis vaſculis figlinijs qualia à nobis deſcripta ſunt in decimoquinto præſentis libri capite fundatur, illiſquè detectis manentibus, nauis malo ſuſpendantur, vt ibi per totam noctem refrigeſcat, poſtea reſtitutis operculis ante ſolis ortum in inferiori aliquo nauis loco ponantur, qui nec ſordidus ſit, nec à ſolaribus radijs percuſſus, frigidarumquè herbarum folijs permultis ſedulò madefactis circumuoluantur; Via enim hac frigus id, quod ſufficiens ſub nocturno aere acquiſiuit, ſat diu permanet: Et aqua ad dictam diſpoſitionem redacta à pluribus morbis, quos ſat nota artis illius incommoda Nauarcis etiam ipſis, afferre conſueuerunt, egregiè præſeruare apta eſt, præterquam quòd non abſquè voluptate vino permixta ſolaquè bibitur: Modus autem parum, aut nihil differt ab eo vndequaquè à Galeno probato, quem in Alexandria totaquè Aegypto narrat ſe conſpexiſſe.

in 8 lib. de generat. animal. cap. 15.

4. in ſextũ de morb. vulg. cap. 10.

VTRVM AQVA NON COCTA QVANTVMCVMQVE OPTIMA, SIT AEGROTANTIBVS PROPINANDA. CAP. XVIII.

QVARTO inſurgit Dubitatio, An aqua quamuis omnino inculpabilis ſit, abſquè quòd decoquatur ſit ægrotantibus propinanda. Dicimus primò illorum nemini dandam eſſe, qui longis morbis correpti ſunt: Hi enim cum ob craſſos, lentos, ac frigidos humores fiant, iuxta Galeni ſententiam, immò, & omniũ Medicorũ, qui non facilè concoqui poſſunt, & in patiẽtibus partibus impacti sũt, atquè aglutinati: Et Aqua omnis etſi aliòqui optima ſit, & omni culpa vacet, quoniam tamen auctore ipſo tarde meat, difficulter concoquitur, atquè ægre deſcendit, ſatis conſtat quantum officere poſsit, eorum materialem cauſam multiplicando, & iam aceruatæ coctionem expulſionemquè retardando, & ventriculum nulla poſthabita induſtria iuxta eiuſdem mandatum perpetuò cuſtodiendum, eorundemmet cauſa ſemper ſemetipſo imbecillem magis, imbecilliorem adhuc efficiendo, non ſine virium ſenſibili læſione, quæ aliòqui ſuo ob ſtatus diſtantiam, in robore maximè conſeruandæ ſunt: In acutis verò morbis illius vſum tam rectè. D. Hippòcrates vituperauit, veluti ex adductis iam à nobis, ſuo loco verbis illius, ſatis ſuperquè patet, vt Galenus aliòqui dicere aſſuetus ſe Hippocrati minimè aſſentiri, niſi quatenus dicti ſui firmas affert demonſtrationes in hæc verba hic à nobis non minus vtiliter, quàm libenter repetita, in commento iam citati contextus erumpat. IAM IGITVR OB EAS CAVSAS NVNQVAM EA QVIS VTATVR. Quibus in morbis cum vſus aquæ affatim

In 2. lib. aphor. com. 19.

in 3. lib. de rat. vict. acut. com. 40.

In p. lib. ad Glauc. cap. 14.

in 3. lib. de rat. vic. acutorum textu 40.

eſſe

eſſe poſsit, & vniuerſim, ſeu vnica vice, & pluribus vicibus ideſt in quotidiano potu; de vtroquè intellexiſſe Hippocratem, verba illius planè oſtendunt: Galenum tamen hac in re placitum ipſius inſequi nolentem, ſuiquè fortaſſe dicti immemorem affatim exhibuiſſe, veluti ex illius dictis apertè, ita & ex noſtris ni fallor non obſcurè prorſus conſtat, Tutius eſſe ab illius vſu vnà cum diuino Hippocrate prorſus abſtinere: Doctrinæ cuius ſtudioſus Alexander Aphrodiſæus, dum cauſam adducit, quamobrem tam aqua, quàm vinum, delirium atquè inſaniam faciat, ſi inopportune febrientibus detur, inquit: Aqua ſanè, quoniam obtrudit foramina, & iter claudit, quò putris materia poſsit exhalare, putredinem febreſquè auget, itaquè facit, vt mens de ſuo ſtatu moueatur. Sæpe etiam feruore nimio corporis Aqua iniecta, pro alimento febribus eſt, quemadmodum, & fabri ferrarij nonnihil humoris conſpergere conſueuerunt, vt carbones ardentius candeant. In p. lib. problem. probl. 96.

VTRVM AQVA PRIVS DECOCTA, ET POSTEA CERTA ARTE GELIDA REDDITA ITERVM RECRVDESCAT. CAP. XVIIII.

QVINTO quæritur Vtrum aqua ex arte vti proditum eſt cocta, ſi in vaſe excepta, gelida in aqua immergatur, vel in puteo ſuſpendatur, recrudeſcat: Videtur dicendum ex quò cruditas eſt paſsio, meritò cuius res quælibet coctibilis ægrè concoquitur, etſi aqua in hoc ſenſu fortè non propriè cruda iccirco dici poſsit, quoniam nec concoqui poteſt propriè, nam quæ propriè concoquuntur eadem, & nutrire poſſunt: qua facultate deſtitutam illam eſſe Galenus, & Princeps ſcriptum reliquerunt, quàm concoctionem nihil aliud eſſe, ipſemet in tertio de facultatibus naturalibus libro affirmauit, quàm eius quod aſſumitur ſiue eſculentum, ſiue potulentum ſit, præparatio ad recipiendam alendorum formam: At quia Medici præter hanc, alterationem quamcunque, à calore naturali factam, coctionem vocare conſueuerunt: quo in ſenſu & ipſa ab innato calore concoqui poteſt, ideſt alterari, calefieri, & ad exitum dirigi, maiori minorivè cum negocio, prout ipſa magis minusuè cruda extiterit: Et quia cruditas teſte Auicenna denſitatem conſequitur, quò erit denſior, erit & cruda magis; cuius quidem denſitatis, duæ cum ſint cauſæ, commixtio ſcilicet terreſtrium partium, quæ ob illarum ſenſu imperceptibilem exiguitatem, cum aquam findere nequeant, nec deſcendendo ab ipſa ſe ſponte exuere poſſunt. Altera verò eſt inſignis frigiditas, vel inſita, vel ſibi impartita, à quibus dum feruet vi ignis priuata, priuatur & denſitate, vnàque cruditate, non vſque adeò tamen quin ad priſtinum frigus reuerſa, vi

In 3. lib. de rat. vict. acut. com. 20.

In 2. p. doctr. 2. cap. 16.

Vbi ſupra.

ſola aeris, reliquiæ illius aliquæ non ſuperſint vti oſtenſum eſt: Vtraque verò iccirco vi ignis priuatur, quoniam rarefit: & rarefactio cum ſit in genere motus ſecundum locum, & conſequatur vim caloris, teſte Auerroe tali moto aqua, & frigiditatem deponit quia alteratur, nulla enim alteratio abſquè præexiſtentis alicuius accidentis corruptione, & noui generatione: Vnaquè, & ſuos terminos promouendo præparat deſcenſum terreſtribus partibus, ita vt priuetur cruditate, ſeiungit enim calor ætherogenea vti aſſerit Ariſtoteles in ſecundo libro de generatione, & corruptione: Hæc quamuis poſt coctionem, arte plus quàm opus ſit refrigerata vti dictum eſt, nec terreſtres amiſſas à decoctione ipſa, poſtquam ſat quieuerit partes, nec illis perſimiles, reaſſumere, contrahere vè vllo modo poſsit, & via hac non amplius recrudeſcere: iccirco tamen pro parte recrudeſcit, quoniam ab impartita ſibi noua, & humani corporis conſeruationi non vndequaquè reſpondente frigiditate, Terminos quos dum fuit decocta promouerat, contrahere cogitur, ita vt iterum denſetur: quemadmodum enim rarefactionem vim caloris, ita, & denſationem vim frigoris ſequi aſſerit Auerroes vbi ſupra: Ad quam nouam denſitatem, etſi valdè imparem cruditatem ſequi, aliqualem tamen ex eo conſtat, quoniam teſte experientia non æque facile hypocundria pertranſit, ac dum ſponte refrigeratur, inepto ad eam glaciandam exiſtente aere. Quod ſi quærat aliquis ex quo aqua decocta, & calefacta, quò tutò bibi poſsit, ad talem ſtatum debet reduci, vt iuxta Galeni mandatum in medio frigoris ſit, quod ferit, & teporis qui reſoluit, ſiue vi aeris, ſiue vi gelidæ aquæ id fiat, parum videtur referre, & adhuc minus, quoniam ad ſtatum illum redacta dum ſola feruet à cruditate, vti dictum eſt, non omnino liberatur, quò ſit vt propoſitis iam artibus refrigerari poſsit, abſquè quòd recrudeſcat magis, quàm ſponte aeris vi frigeſieret: Vtiquè fatendum eſt, ſi quis prudentia præſtans, mente

in 7. phyſ. com. 15.

In 10. methodi. cap. 11.

adhibita, aquam in vaſe exceptam, illo in gelida aqua demiſſo, longiorem in ea moram trahere non permitteret, quàm ſat ſit, pro recuperandis perutilibus naturæquè pergratis, iã toties dictis frigiditatis gradibus ad valetudinẽ momenti parũ vel nihil habere: at collimare quamuis hominibus omnibus ſit permiſſum, ſcopum attingere tamen non niſi perpaucis datum eſt, in re præſertim, quæ non tam paruo, vti fortè fortuna negocio videtur, præſtari poteſt: adſunt quoniam obſiſtentiæ nec omnibus perſpicuæ, nec ab ingenio cuiuſcunquè hominis æquè ſuperabiles, & primo ex parte aquæ refrigerandæ, quæ cum rareſacta ſit vi ignis celerrime frigeſit, & eò adhuc celerius quò dum in gelida immergitur eſt calidior, eam ſiquidem non calida, celerius, & gelaſcere ex Phyloſophi ſententia dictum eſt; entia ſiquidem alterata propter generationem accidentis non correſpondentis proprijs formis, oppoſitum illi longè promptius admittunt, quàm à multis exiſtimari poſsit, vt ad ſibi connaturalem diſpoſitionem reuertantur: Qua ratione fortè, vti inquit Fracaſtorius calx, & pannus, & linea, & farina, & oſſa, & ſpongiæ, terrarumquè varia genera, & eiuſmodi ſicca exiſtentia omnia, aquam, & liquidum omne, promptiſsimè admittunt: ſic & aqua quoniam per accidens calida retinet formam ſuam, & naturam vnà cum virtutibus omnibus; meritò quarum propenſa naturaliter eſt ad priſtinum ſibi naturalem ſtatum redire; quò fit, vt cum valdè parum reſiſtat frigefactioni, ſalutares confeſtim moxquè, & immoderatos frigiditatis gradus concipiendo, refrigerantes illam, ni ſolertia ac ſagacitate excellant homines, facillimè decipiat: & eò magis quoniam gelida adiumento cuius frigeſit, non niſi, & ipſa ſat ſtrenue frigefacit, tum quia qualitas qua agit, quamuis inter actiuas primaria non ſit, actiua tamen eſt, cui non parum fauet tum inſita tum aſcititia denſitas, meritò cuius vniuſcuiuſquè ſubiecti illius actiones vigorari ex eo conſtat, quoniam qui in ferro eſt ignis intenſius calefacit

In lib de ſympathia & antipat. cap.10.

lefacit eo, qui eſt in ligno, & qui eſt in ligno quercus, eo qui eſt in ligno ſalicis, denſam autem natura, & valde eſſe aquam oſtendit Auerroes inquiens, in aerem abundare leuitatem magis, in aqua verò magis grauitatem, nam illæ veluti in duobus leuitat, ita hæc in duobus grauitat elementis, at non abſquè ſat inſigni denſitate, ſat inſignis grauitas: Tutius igitur erit permittere ipſam æſtate vi aeris frigidi, ad temperatam frigiditatem quæ nullo modo feriat reuerti: æſtate inquam in loco frigido poſita, nam veluti per id tempus in loco non bene frigido, qualis optima ſubterranea cella vinaria eſt, locata nec eam recuperare poſſet, ita hyeme ferè vbiquè non ad ferientem modo peruenit frigiditatem, verum, & nolentibus etiam nobis, atquè ægre perſæpe ferentibus gelaſcit.

In p. lib. cæli c.6.17

QVIBVS MODIS AQVA PRAETER IGNIS VSVM CORRIGI POSSIT. CAP. XX.

SExto quæritur Vtrum pręter coctionem, qua cruditas ſat mediocri negocio, ab aqua depellitur, & præter deſtillationem qua præſtantiſsima efficitur, at non ſine labore ac ſumptu, nec breui tempore, præcipue balneo Mariæ vocato ſi deſtilletur, Vtrum inquam ſit aliquis breuior, compendioſiorquè modus, quo ipſam extenuando leuioremquè efficiendo, minus crudam reddamus: quamuis enim inculpabilis ſit, dum corporibus tamen non integra omnino valetudine fruentibus exhibetur, modo aliquo cruditas illius emendanda eſt; præterquam quod accidit nonnunquam Medicum tali hora accerſiri, vt nec ægrotantis nutritionem differre, nec aliud præter aquam illi genus potus, exhibere

 liceat:

liceat: ſunt, & qui omninò refugiant coctam, vi morbi antequam decumbant, ita vt nè officiat confeſtim ipſam aliqua in parte emendare cogatur; apta ſiquidem eſt offi-
In 3. p. doctr. v. cap. 7. cere longè magis quàm culpatæ epulæ veluti ex Principe elicitur, nec immeritò, nam cum potus ad cibi particulas in ventriculo permiſcendas, & faciliorem ab eo poſtquam transmutatæ ſunt exitum, ac in iecur venaſquè delationem aſſumatur: aqua ipſa citius, & minori cum refractione propriæ malitiæ ad epar nobileſquè intimas partes peruenit quàm epulæ, intimius ſiquidem penetrat ob maiorem qua illas vincit tenuitatem, Nec per inteſtina deſcendit quæ, & dura, & vilia ſunt, ſicuti epulæ dum naturæ parum proficuæ ſunt: ſecundo cum alendi facultate deſtituta ſit, caret illa, quæ cibis ineſt, cum membris alendis familiaritate, ita vt non ſine aliquali latente naturæ perturbatione mutuò tangantur: & quod deterius eſt, concoctionibus omnibus vnaquè, & innato calori, quo ipſe abſoluuntur
In 14. & 15. probl. primæ ſect. inimica eſt: Hinc rectiſsimè dixit Phyloſophus, ciborum mutationem minus quàm aquæ moleſtam eſſe, quia nos huius plurimum conſumimus, ſiquidem in pane, & obſonijs, & in potu aquæ vſus plurimus eſt, quam ex cibis ipſis non niſi quantum dilutum eſt vim habeat nutriendi, humidum verò ad corporis immutationem, quàm ſiccum valentius eſt; At hic minimè omittendum eſt, qua ratione innato calori aqua inimica ſit, hoc patebit ſi ad memoriam reuocabimus innatummet calorem interire, aut ſecundum quantitatem hoc eſt per viam euaporationis concitatæ ab externo calore, aut ſecundum eſſe, interitus cuius iuxta hoc diuiſionis membrum, ſiue duo tantum illi modi
In 3. ſect. problem. probl. 25. In lib. de cauſ. morb cap. 3. ſint, quos explicuit Ariſtoteles, vnus videlicet qui eſt à contrario, alter qui eſt ex inopia, humidiquè deffectu, ſiue ſint quatuor vti Galeno placuit, extinctio ſcilicet, ſuffocatio, marcor, & prohibita tranſpiratio, quicquid de reliquis ſit, quo ad primum modum vtriuſquè viri ſententiæ concinnunt, nam veluti Galenus vbi ſupra flammæ innatiquè

què caloris eaſdem eſſe corruptionis cauſas modoſquè affirmans, dixit, ſicuti pluribus modis flammam extingui conſpicimus, iiſdem etiam modis calor innatus extinguitur, & euaneſcit, Modos autem explicans inquit calorem innatum inprimis à frigiditate extingui, non ſecus ac flamma à frigiditate extinguitur, nam ſi igni multum nimis, aut multam aquam ſuperinfundas, continuò extinguitur, ita, & eundem corruptionis modum ad vnguem ferè explicuit ipſe Ariſtoteles: ex quorum ſententia conſtat aquam icc irco innato calori maxime aduerſari, quoniam cum frigidiſsima ſit rerum omnium, quæ homini inſeruiunt, ita vt nullus actu calor ab eius forma tolerari poſsit, ni pluſquam moderate aſſumatur, vim habet corrumpendi ipſum per viam extinctionis, qui inter reliquos modos quia perniciofiſsimus eſt, propterea de ipſo primo ratiocinati fuerunt duo illi præſtantiſsimi Viri: corrumpit autem illum tunc, cum præ imbecillitate parum reſiſtere valet, veluti in non aſſuetis illius potui, in ſenibus, neutris corporibus, & in iis quæ iam prima ægritudinum limina ingreſſa fuere: Veluti igitur debet, ita, & paruo negocio earum correctio abſolui poteſt, & triplici via, Primo ſcilicet attritione multa, vehementi, & crebra agitatione, quadam contuſionis, aut comminutionis ſpecie, vt dum fuſtibus aliquandiu exagitatur, aut cæditur: qua arte, & cauere ſolemus, ne potu frigidæ equi torminibus tententur, aliòqui tentari aſſueti (quamuis inter bruta robuſtiſsimi ſint, & bellicorum laborum incommodorumquè admodum patientes) eos ſiquidem vbi ad fluuios potum ducere non licet: atquè icc irco ad eum vſum è puteis hauritur, Aqua multis agitationibus, verſatur in gyrum baculo atquè etiam verberatur: ad hunc enim modum, & attenuatur, & aerem concipit, ſicuti, & in curſu; qui mos apud Gallos frequentiſsimus eſt. Secundo cum in vaſe excepta, quod plenum non ſit, plurimumquè prius percuſſa fractaque, ex eo in aliud vas ex alto transfundatur,

In lib. de iuuentute, & ſenectu te cap. 3.

tur, & ita alternatim pluries: nam motu aquas icirco nobilitari ſcriptum reliquit Princeps, quia attenuantur, at non abſquè cruditatis diminutione attenuatio, vti iam oſtenſum eſt: Et quamuis de curſu illarum ſermonem habeat, minimè dubium eſt, id & percuſſu, & repetita transfuſione præſtari, ſi Plinio fides adhibenda eſt, dicenti veluti curſu, ita & percuſſu extenuantur atquè proficiunt Aquæ: nam illæ veluti quietis ratione quaſi mortuæ ſunt, commotæ ideò quaſi reuiuiſcunt, quoniam dum agitantur ſubiens aer in eas recipitur, & quaſi ſuperior forma perficit: quod, & nouiſſe indicauit Ouidius, dum dixit.

In 1. p. doctr. 2. cap. 16.

In 31. lib. cap. 3.

Et vitium captant ni moueantur Aquæ.

Motui enim ac mutationi pro aquis corrigendis tantùm tribuit Ariſtoteles, vt coniuncta vtriuſquè facultate aquam ſalſam dulciorem fieri ſcripſerit, quia per motum leuior, ſynceriorquè redditur. Sunt qui farinam aut furfur immiſceant, (& eſt tertium auxilium) hæc ſiquidem natiua ſua caliditate potentiali ad actum redacta vi aeris, & aquæmet in qua proijciuntur, quaſi concoquendo illius vtiquè cruditatem, aliqua in parte emendare valent: ſed quoniam ipſam, & viſui, & guſtui, parum iucundam, vel potius ingratam reddunt: eapropter eorum loco longè melius erit, medullæ cibarij panis fruſta immergere: hanc enim præterquam quod naturæ cuiuſquè hominis tanta eſt familiaritate coniuncta, vt nihil ſit coniunctius, aquæ ſaporem nihil, limpitudinem verò parum immutando, fermenti acrimonia illius cruditatem longè efficacius quàm illa, ideò fugat, quoniam, & furfure, & farina calidior longè eſt: quod ex leuitate qua fermentatus panis non fermentatum ſuperat, optimè deprehenditur. Nam à fermenti calido acore, humidum quod ſanè ponderoſum eſt vſquè adeò condoceſit, vt ad ſuperficiem (veluti tumefactio illi contingens oſtendit) effundatur, moxquè ab igne conſumatur; quod nec à furfure, nec à farina, immo nec ab ambobus vnà præſtari poſſe ex eorum pari portione.

In 23. ſectione problemmatũ probl. 20.

con-

confectus non fermentatus panis oſtendit. Sunt, & qui pro ipſis corrigendis, & maximè putealibus, quæ inter cœteras, inſigni, vt plurimum correctione egere videntur, tantam in aqua crudorum aniſorum ſeminum quantitatem, tandiuquè infundunt; quantam, & quamdiu ipſorum odor aquæ exactè impartiatur; qui modus non niſi laudandus eſt, quamuis non tam citò abſolui poſsit. At quoniam nec ſemper, nec vbiquè aquas compendioſe etiam corrigere licet, & longè minus ob temporis breuitatem, periculum facere nec nè quæ ſe offerunt inculpatæ ſint: contingat tamen iter facientibus multas illarum occurrere, quatum aliquam Viator quacumquè ſit diſpoſitione præditus bibere ob ſitim cogitur, Et quia vnam ſpernere alteram verò eligere, ad correctionem quoquo modo ſpectare videtur, nam, & correctio apud Rhetores figura eſt quædam, quæ vnum tollit, & magis idoneum reponit: ideò hic meritò debet quæri, quæ nam in tanta temporis anguſtia, inter reliquas tamquam tutior eligi debeat. Dicimus ſtantem omnium deterrimam eſſe, & ex ſtantibus turbulenta, ac maleolens, ſaporiſquè fœdi: inter has verò omnes peior eſt, quæ peſsimi eſt ſaporis, inde odoris, poſt viridis, & in qua vel putridæ carnes iacent, aut in imo elabuntur Salamandræ, & quæ fuſcæ aut nigræ, ab his omnibus prorſus abſtinere oportet. Peſsimarum minus mala eſt, muſco obſita, & turbulenta, vltima quæ ex riuis montium profluit: Et quamuis aqua temperatè frigida melior ſit in potu, illa quæ tendit ad teporem vti dictum eſt, ſecurior tamen eſt calida immo feruens cum deferbuerit: frigidiſsima ſemper mala eſt, & cruda, & pericuLoſa: nonnunquam verò etiam venenoſa.

Vtrum

VTRVM VINVM NON SAT FRIGIDVM VASE EXCEPTVM IN FRIGIDA AQVA DEMERGENDVM SIT VT FRIGEFIAT. CAP. XXI.

SEPTIMO quæritur ex quo vinum quò ad actuales actiuas primas qualitates, eademmet prorſus diſpoſitione affectū eſſe debet, quam, & aquæ ineſſe debere ex Galeni ſen-
In 10. meth. cap. 11. tentia iā aperuimus, quò in potu aſſumptū non officiat, ita vt & ipſum in medio frigoris conſtitutum ſit, quod ferit, & teporis qui reſoluit: quotieſcunquè quantum opus eſt frigidum non fuerit, Vtrum vaſe exceptum ac in aqua demerſum debeat refrigerari: Dicimus minime oportere quotieſcunquè cella vinaria talis fuerit qualem fore in primo huius libri capite ſcripſimus: Nec obſtat vbiquè omnino tales iccirco non poſſe extrui, quoniam reluctante ſoli redundante humiditate excauari nequeunt, Vrbes nempè eſſe, & magnas, & opulentiſsimas notum eſt, à ſolo quarum vbiquè cum quis fodere tentat aqua emergit: Nam quantumcunquè dempta hac conditione, reliquæ omnes quotieſcunquè aderunt, periculum haud imminet, vinum in ipſis dicta iam naturæ periucunda perutiliquè diſpoſitione affectum conſeruari poſſe, ita vt quantum ſat eſt, frigidum non ſit recenter hauſtum; Et reclamantes non omnibus, vel tales etiam quales modò diximus cellas vinarias habere datum eſſe, longè plures cum ſint abſquè comparatione inopes quàm ab opibus firmi homines: ſciant medicinalia præcepta, & leges quamuis concinant, quia vtraquè obſeruatione digna ſunt, Diſſentiunt tamen, quoniam illis tantumodo hæc tradita ſunt, qui ipſa exequi, & volunt, & poſſunt: ille verò om-

nibus

nibus indiſcriminatim, ita vt vnuſquiſquè etiam inſcius non obtemperans damnatione afficiatur: At nè inopes ſeu impotentes officium in nobis requirant, Vinum quotieſcunquè quauis de cauſa quantum opus eſt frigidum non fuerit, gelidæ aquæ auxilio, ad toties ex Galeni ſententia probatam diſpoſitionem redigendum permittimus: monitos attamen illos volentes perdifficile eſſe, ne longius in refrigerando progrediantur quàm traditæ regulæ ratio præſcribit, nec ſanè minus quàm aquam (vti oſtenſum eſt) ad inculpabilem diſpoſitionem traducere. Et nè quis exiſtimet, hoc prauitate ipſius aquæ contingere poſſe, ſciat Vinum cum ſatis frigidum eſt, ſi vaſe exceptum in probatiſsima aqua immergatur, vitium aliquod contrahere; dato quòd eademmet ſit qua ipſum inculpatè, ac omnino innoxiè diluendum eſſe, vnà cum Galeno Medici propemodum omnes aſtruxerunt. Cauſa autem quamobrem vitium contrahat, eſt quoniam vinum collatum ad aquam, qua ipſum refrigerare, quicunquè procurat, paucum vt ſit neceſſe eſt, illa verò multa: nam non niſi in magno quanto magna virtus reſidere poteſt, & vt magna ſit operepratium eſt, ſecus actio, quæ à valentiore perpetuò debet fieri, nequaquam fieret: Vitium autem quod contrahit eſt cruditas: nam dum frigeſit denſatur, cruditatem autem denſitatem conſequi, & oſtenſum iam eſt, pariter, & denſitatem frigiditatem: hac nimirum præcipue ratione plus oneris deuehunt hyeme nauigia, per flumina commeantia, quàm reliquis anni temporibus, denſior tunc quoniam magis eſt aqua, eapropter, & obſiſtit renititurquè magis. & crudum cum reddatur tum ratione ſui, tum quia non bene permiſcetur cum aqua, quamuis probata, ratione acquiſitæ denſitatis, & nocet aſſumenti corpori, & eſt in cauſa vt ipſa non ſat correcta exactæ permixtionis defectu noceat: Vinum ſiquidem veluti vaſe exceptum, & in aqua demerſum vitiatur, ità aquæ admixtum, vitia illius emendat ſemper, vti Paulus, &

In p.lib.de ſanit.tuen. cap.11.

Aui-

In p. p. doctr. v. cap. 7. Auicenna inquiunt, & longè efficacius ſi exactè inuicem miſceantur: cauſa cuius quidem permixtionis tamquam de re non parui momenti, inuicem contendunt magni Viri, Hyeroninius Cardanus, & Iulius Cæſar Scaliger, Primus quorum præſtare ait vinum aquæ infundere: ſecundus è contra. In centeſimaprima exercitat. diſtinct. 4. Nam ſi aqua vino infundatur veluti eſt communis vſus, vt præſtantiori quo inuicem modo commiſceri poſſunt, commiſcentur; nam craſis hæc vt exacta ſit, mutuum minimorum contactum expoſcit, qui apprimè aſſequitur dum aqua ex alto quadantenus à manu quaſi debita opera vacillante proiecta, Vinum iam in calice poſitum hinc inde percutit, ita nimirum ima petit natura ſua neceſſariò, & quia non paruo impetu, ideo, & atolli cogitur, ita vt anfractuoſus inde motus producatur, à quo optata craſis emergit: Sed minime prætereundum eſt, tunc vinum aquæ permixtum ipſam emendare dum pro ſanis permiſcetur: nam alja debet eſſe vini ſymmetria ad aquam quando gratia voluptatis accipitur veluti in ægris: alia quando ad opem ferendam, & ad vires robuſtiores reddendas, veluti in ſanis: in ægris nimirum veluti Galenus edocet, aqua vini guſtum vincere debet: in ſanis enim quantitas vini quantumcumquè vinoſi, aquæ quantitatem perpetuò excedere debet, magis tamen, & minus iuxta intenſiorem remiſsioremquè vinoſitatem, præter temperaturam ætatemquè potantis, nec non, & regionem, & tempus anni, iuxta præcepta à Polybo tradita: ni enim vini quantitas, aquæ quantitatem ſuperaret, Aqua Vinum nequaquam fieret, veluti pro ægrotantibus permixta fieri, nec poſſe, nec debere inquit Galenus vbi ſupra: in ſanis verò, & poſſe aſſerit, & debere præcipit: non ita tamen vt aqua acquirat formam vini, hoc enim fieri nequaquam poteſt vlla arte, ſed naturaliter tantum, dum ſcilicet per vitis corpus humor tranſit, atquè ab eiuſdem calore vnàquè, & ſolis excitatur: Cum itaquè Aquam Vinum fieri dicit, nihil aliud profectò ſibi vult, quàm A-

In 3. lib. de rat. vict. acut. com. 40.

In lib. de ſalubri diæ.

quam Vino adeò miſceri, vt id ſuas, & qualitates, ſuumque guſtum ita contineat, vt ea in deguſtanda compoſitione aqua non ſentiatur, quamuis Vini vigorem hebetatum fuiſſe, vel ab aliquo qui illud impermixtum prægustauerit, vel in inſitis, vnaque, & aſcititijs vinorum conditionibus dignoſcendis, valde peritus extiterit, iudicetur: Aegrotantium verò potus, quoniam ſanorum potui debet eſſe oppoſitus, ideò, & aqua debet ſentiri, modicum igitur vini inſtillandum erit, tantum videlicet, quantum, & ad ipſius aquæ ſinceritatem auferendam, adquè eam ad diſtributionem trahendam ſat ſit: Et tunc quia ob vini exiguitatem, Aqua vinum fieri nequit, iccirco pro illorum potu crudam nunquam, ſed perpetuò coctam permiſcendam eſſe aſtruximus. Cauſſa verò quamobrem vinum, & aqua VNVM fiant, eſt quoniam, & liquida ſunt, nec de numero liquidorum, quorum vnum ita naturæ lege alteri ſubſtat, vt ſuperſtare nequeat (veluti de aqua ipſa oleo aſſociata conſtat) Horum igitur duorum ratio, qua liquida ſunt cum ſit alieno termino finiri, & natura talia, vt ſe ſe debite contingere poſsint, cum ſeſe contingere inchoant, ab anfractuoſo præcipue dicto iam motu adiuta, fit crama illud, quod vnum vtiquè eſt, non tamen forma, ſed continuatione ſola, cuius corporis partes tot ſunt ſimul quot erant in ſuis totis priuſquam miſcerentur: vnaquæquè ſcilicet ſub priſtina forma ſua; vt aquæ pars aqua ſit, vini vinum: Vbi enim coiere, rurſus diſſolui, ac diſsita eſſe poſſunt, ſeparantur namquè Ederæ vaſis apud Plinium, & apud alios Panno: Cauſſam autem cur ab inuicem exacte ſeparentur, etſi vini aquæ mixti forma vbiquè per ſua viſibilia accidentia conſpiciatur, ſeu quis grauitatem eſſe dicat, qua aqua vinum ſuperat, ſeu vini leuitatem qua ab ipſo meritò vincitur, grauitatem poſtquam leuitatis priuationem eſſe enunciat Ariſtoteles, ſeu vtriuſquè vtrumquè habitum, minimè profectò aberrabit, ex quo grauia, & leuia vti ex Auerroe elicitur, habent intrinſecum principium

In 2. cœli lib. tex. 19
In p. cœli com. 12. & 81.

plum actiuum reſpectu motus: quò fit vt cum mutuò ſeſe effugiant naturaliter, ad id impulſa, ſat expeditè ſeparantibus obediunt: Quod ſingulari artificio expreſsit Vir quidam doctus, quem Franciſci Galliæ Regis ſtudioſorum omnium munificentiſsimi Obſeruatoris, Aulæ ſectatorem extitiſſe ferunt: Extrui ſiquidem ille inſtituit, vaſa vitrea duo, magni Piri ſimilitudinem referentia, ambo in infima latioris ſui parte perforata impari tamen foramine, eorum alterum cum parui oui gallinacei æquet circumferentiam, aliud vix ſummum minimi digiti apicem admittat: Et primi vino repleti, cuſpide deorſum, vitreo ſic in actu extructionis pedi aptata, vt perſiſtat, Baſis alterius anguſtioris foraminis, aqua repleti, ſuper prædicti iam Baſim, ita aptatur, vt & duo illorum foramina, non oppoſita modo ſint, ſed & anguſtius latum magis ingrediatur & prorſus, conuexaquè ſuperioris ſuperficies, illius foramen immediatè circumambiens, inferioris concauam aliquatenus vel prorſus depreſſam propè foramen ſuum ſuperficiem contangit. Hiſce ſic conſtitutis, dum Aqua ſuæ grauitatis vi deſcendit, vinum ad aſcendendum impellit cooperante compreſsione illatæ Vino à ſuperiori vaſe: cuius infima pars admota vino in calice communi quantumcumquè latiſsimi oris eundemmet effectum producit, inepta inferioris vaſis cauitate exiſtente, ad duo vnà corpora illa continenda: Et tum quia exitus vino per os foraminis dicti vaſis ſui difficilis eſt, ob dictarum iam ſuperficierũ contactum, tum quia præter ſubleuantem vinum ipſum inſitam illi leuitatem, natura aliòqui timida de vacui aduentu in ſuprema ſuperioris vaſis parte, illud quaſi attollit: qui motus tandiu perſeuerant, non ſine magna inſciorum admiratione, ſapientumquè voluptate, videntium per contiguos quaſi calles, æqualibus gradibus aquam ita deſcendere ac vinum ita aſcendere, vt inter ſe quodammodo certatim concurrere videantur, quamdiù Vas infimum, vino prius repletum, aqua tandem, & ſupremum

ptemum aqua prius repletum vino deniquè repleatur. Cuius Iconem Apponere hic ideo nobis placuit, vt elegantiorum inuentionum ſtudioſi, illius ſtructuram melius aſſequi valeant, Hæc non, vt hominum quidam, qui in rebus animo conceptis, firmiter nimis perſiſtunt; ex vngue quaſi leonem cognoſcentes in poſterum deſinant (Quod vitium vnicuiquè ferè Aetati commune fuit) Antiqua illa ſæcula, veluti efferre nimis, ita & nimis proprium dejjcere; Vti multi hoc; in quo Nos, vna cum Auis, & Parentibus noſtris orti ſumus, verè aureum; immeritò deprimunt. Eo poſtquam Totus Orbis innotuit, Totquè admiratione digna inuenta ſunt, inter quæ Pixis nautica eſt, Tormentaquè bellica eſſent, niſi ad damna humani generis, potius quàm ad vtilitatem inuenta viderentur, Atſquè mira illa Typis excudendorum librorum. His nempè tribus, tota Antiquitas nihil Par habet. Mitto in artibus, quæ ſummam perſpicaciam expoſcunt, quales ſunt ſculptura, Pictura, & Plaſtices, Antiquos illos à Recentioribus victos fuiſſe, veluti patet, ſi ſtatuæ Michaelisangeli cum ſtatuis illorum conferantur, Non excludendo Lyſippum Phidiam, Praxitelem, Policletum, Alcamenemquè quos omnes eo in genere claruiſſe aſſerit Plinius. Videntur ſiquidem illarum pleraſquè neſcio quid gracilitatis habere, quod Natura in abſoluta humani corporis fabrica, nullatenus impedita cum ſummè abhorreat; ſedulo refugit; Totum oppoſitum in ſignis Bonaroti intuentes deprehendunt. Ab Antiquis de Aurifabri arte Orbem condecorante nihil proditum fuiſſe legimus, illam, quia veluti nos cognitam, procul dubio non habuerunt: Præclara tamen de ipſa à Benuenuto Cellino Florentino ſculptore, Aurificequè inſigni litterarum monumentis nuper egregie conſignata legimus. Scribunt nonnullas Antiquorum Picturas Aues decepiſſe, Paucum id eſt, cum apud me extet viri cuiuſdam ad viuum, vt aiunt expreſſa imago, Ab Andrea Sartio Florentino, quam ſat propè

In lib. 34 cap. 7.

 etiam

etiam, intuentes Viri, & acuta oculorum acie, vnaquè & acri ingenio præditi, Non pictam ab homine hominis imaginem, ſed viuentis veram faciem perſepè pro certo habuerunt.

Mitto incrementa diſciplinis addita veluti anathomicę adminiſtrationi à Veſſalio, & ſimplicium medicamentorum facultati à Matheolo immo toti medicinali facultati à tot Egregijs Viris.

Mitto reliqua huius ætatis inuenta mira, quæ ſi velim enumerare, præterquam quòd, ab intento nimis deuiarem (hæc enim hic obiter dicta ſunt) totus liber non ſufficeret.

A igitur ſit Vas, in quo primò reponitur Vinum.
B latum illius foramen per quod ingreditur, egrediturq;.
C depreſſa ſuperficies foramen ipſum circumambiens.
D Vas in quo primò reponitur Aqua.
E Anguſtum illius foramen per quod ipſa ingreditur, egrediturquè.
F Conuexa illud circumcingens ſuperficies.
G Tertium vas, quaſi ex duobus primis integratum, quorum baſes ita herent vt foramina ſuperioris, aqua primò pleni, vna cum portione circumambientis illud ſuperficiei in foramen inferioris vino primò repleti inditum ſit.
H Aqua ſua grauitate primò deſcendens.
I Vinum aſcendens, ab aqua deſcendente, qua leuius eſt impulſum, tum ad prohibendum vacuum in ſublimiori parte ſupremi vaſis.

LIBRI PRIMI FINIS.


C
B
A
D
F
E
H
G
I

NICOLAI MASINII CAESENATIS PHILOSOPHI, ET MEDICI, DE GELIDI POTVS ABVSV.

LIBER SECVNDVS.

DE MODIS REFRIGERANDI POTVLENTAM MATERIAM AERIS ADIVMENTO. CAP. I.

IAM de ſingularibus modis agendum eſt, quibus Potulenta materia, quæ magis communis eſt, poteſt, ſoletquè præfrigerari, Aqua ſcilicet, & Vinum, Potuum ſiquidem præcipui ſunt, vnaquè, & quotquot factitiæ Potiones reperiuntur, veluti Sidra, Zitum, Ceruiſia toti ſeptentrionali Plagæ conſueta, atquè etiam gentibus vltra Oceanum apud quos cum vitium cultura ob frigus ceſſauerit, artificiali refrigeratione veluti omnium minus indigere conſtat, ita & omnium minus perquirere credendum, Primum autem de modis ipſam minus vitiantibus agemus, gradatim progrediendo, ad eos qui ſummè vitioſam eandem reddere valent, vt nemo non animaduertere poſsit, ſe probè tenere dum refrigerato potu vtitur, detrimenti ad amuſsim quantum propriæ incolumitati vitæquè diuturnitati inferat: Primus itaquè refrigerandi modus vſu auxilioquè aeris abſoluitur; & multifariam: Nam vel aer refrigeratur, quo materia Potulenta poteſt refrigerari, ita vt vno eodemquè tempore, quo à nobis arte frigeſit, ipſe & aquam frigefaciat, Vel aeri ſuapte natura

frigido aquam exponimus: Horum itaquè modorum primum aggredientes dicimus, adhuc ipſum bipartitum eſſe, nam vel aqua in vaſe excepta cuius os magnum ſit, & reclusum, eoquè in opaco loco ſituato, poteſt tandiu circumfuſus aer flabello ventilari, vt aqua frigida reddatur, eo modo quo, & hominis faciem, imò, & corpus vniuerſum via hac, dum ſummè calet aer, frigeſieri, non eſt qui non viderit pluries, ac expertus fuerit: Et motus iſte vti conſtat ab aere inchoat, flabello vt potè moto, & in aquam refrigeratam terminatur: Poteſt, & ab aqua refrigeranda inchoare, & in aerem receptus, in aquam et finiri: qui modus à Plinio traditur, dum inquit, Vt tactu gelida ſit aqua, etiam arte contingit, ſi in altum expreſſa, aut è ſublimi deiecta, verberatu corripiat aera, nam ſiue ſurſum, ſiue deorſum mota, ventilando aerem ipſum refrigerat, à quo, & protinus refrigeratur. At hic tria meritò quæri poſſunt, & Primo quomodo motus refrigeret aerem, ex quo Philoſophus in primo libro metheorologicorum de ipſo loquens ait, natum eſſe ignire ligna lapides & ferrum. Secundo Vtrum aqua iſtis modis refrigerata, bonam valetudinem offendere poſſit. Tertio qui nam explicitorum modorum alteri ſit præferendus: Ad Primum dicimus Philoſophum met ſuam propoſitionem illam limitaſſe, dum dixit, Non omne mouendi genus calefacere, ſed & eſſe quod refrigeret, quod in ollis feruentibus patet, quoties eas afflamus, aut verſamus: id autem fit, quoniam calor in æſtiuo aere potiſſimum receptus, per ſolis acceſsionem diſcutitur, dum aer ipſe, flabello motus diſturbatuſquè rareſit, ita vt per auerſionem calidarum partium frigeſiat. Ad ſecundum dicimus nec ſuboffendere poſſe, quoniam illorum neuter ad eam quæ ferit frigiditatem aquam deducere vllo modo poteſt. Ad tertium dicimus, primum dictorum modorum, ſecundo penes id eſſe præferendum, quia aer ad hoc vt frigefaciendo agat in aquam Purus vt ſit neceſſe eſt, dum enim

In 31. lib. cap. 3.

Et in 2. cœli tex. 42.

In v. problematum ſectione probl. 34.

frige-

frigeſit, quia flabellis ventilatur, ideo & depuratur: nam vbi ventilationis motus eſt, ibi & aeris puritatem eſſe oſtendunt homines iuga montium habitantes, qui quamuis rerum propemodum omnium egentiſsimi ſint, diu tamen viuunt, quoniam cum ibi exactiſsime inceſſanterquè moueatur, vix fieri poteſt quin purus ea qua eſſe poteſt puritate conſeruetur. Penes id autem ſecundus modus primo videtur præponendus, quoniam non quemadmodum in primo aqua quieſcit, ſed mouetur, & vehementer, quamuis inmota, & plures parumquè puras reſpectiue ſaltem aeris partes contangat, Motus attamen aquæ veluti vita eſt. At ſi omnium aquarum natura eſt, commotione agitatuquè frigeſcere, vnde eſt, quòd vndabundo Mari idem non contingat, quo magis enim ab vndis agitatur, magis & incaleſcit. Illud ideò incaleſcit, quoniam cum caliditas ſibi ingenita ſit, & domeſtica, à ventis excitatur, qui verò elementari aquæ ineſt, quia aduentitia peregrinaquè eſt, propterea eam motus facilè digerit: Aeri autem frigido expoſita poteſt refrigerari tribus modis, quorum primus talis eſt, Reponitur Aqua in teſtaceo vaſe, quod occidente ſole, in feneſtris vento aduerſis, ſublime ſuſpenditur, vt ibi per totam noctem refrigeſcat, Ante ſolis ortum, vas humi depoſitum, frigida aqua circumfunditur, frigidis uè lactucæ, aut vitium folijs, aut aliorum id genus circumcingitur, vt ea, quam ſub nocturno aere acquiſiuit, diu perduret frigiditas. Quem refrigerandi modum ſe in Alexandria, totaquè Aegipto conſpexiſſe refert Galenus, qui & duo addit, illos videlicet, & aquam prius calefacere conſueuiſſe antequam in feneſtris ſuſpenderent, Et ad huiuſmodi apparatum homines deueniſſe, cum optimæ aquæ facultas ipſis non eſſet, nam calefacta prius longè intenſius refrigeratur, quoniam cum per calefactionem ſeipſa tenuior euadat, aeremquè ebullitione recipiat, tandem ad frigidum facilius mutatur, hinc fit vt ignibus attenuata factaquè ſolutior, concreſcat celerius

4. in ſextũ de morbis vulg. com. 10.

lerius multò, quandoquidem meatibus longè amplioribus factis penetrare vehementius frigiditas poteſt: At etiam ſic præfrigerare, quotieſcunquè probatæ aquæ adeſt copia, ſuperuacaneum eſt, Primò quoniam cum temperatæ frigiditatis limites excedere non intendis, iam illos poſsides, ſi probatam aquam habes; Vel illos pertranſire intendis, & hoc malum, veluti, & oſtenſum eſt aliqua in parte, & efficacius adhuc oſtendetur: quamuis temperatæ frigiditatis limites via hac excedere ſi intendis, voti tui compos, vt efficiaris, perdificile erit, quoniam tunc cum ſummè calet aer, ad refrigerationem potiſsimùm, ſtudia ſua homines maximè conferunt, At ob ſolis acceſſum, cùm tunc noctes breuiſsimæ ſint, aerquè diurno calore vſquè adeo imbutus ſit, vt excedentem noctu frigiditatem non poſsit contrahere: Modus tamen in ſe haud reprehenſione dignus eſt, propterea nec Galenus ipſum improbat; Et nos nauigantium incommodis tutò pro viribus obuiam ire volentibus, non niſi laudem ei, & meritò tanta in neceſsitate contribuere potuimus: Nec timendum eſt aquam poſſe labefactari ab aere non vndequaquè puro, quotieſcunquè vas aliqua ex parte inane ſit ſeduloquè opertum antequam ſuſpendatur, Nam aer inter operculum, & aquam contentus quamuis à nocturno aere refrigeretur, ita vt attactu aquam ipſe refrigeret, quia tamen interclusus infici, vel ſecunda aliqua mala illius qualitate affici non poteſt: infectio ſiquidem intercluſo aeri aduenire vlla ex parte nequit, niſi à loco met in quo ille eſt intercluſus: Hinc Principes vagante peſte, quia intercluſum aerem non deſerunt, ſeruantur, Plebs, cui non licet, moritur. Adde extrinſecum aerem quamuis impurum refrigerare, non tamen inquinare poſſe. Primò quoniam abſquè quòd ingrediatur extimam vaſis ſuperficiem in quo Aqua continetur, tangendo ipſam refrigerat, & quamuis tunc illius pars aliqua ingrederetur, cum ſolis abſentia frigidus effectus eſt, haud mehercule niſi parum offi-

In 17. cap. præceden tis libri.

officere poſſet; hebetat quoniam, & ſtrenuè frigiditas concepta; opus agentis nocere potentis in ipſo contenti, vnaque, & patientis ſubſtantiam denſando longè minus ad recipiendum habilem reddit, qua ratione longè grauiorem æſtate quàm hyeme, & auſtrina tempeſtate quàm aquilonia peſtilentiam inuadere ſcriptum reliquit Fernelius, culpæ tamen valdè affines illi ſunt, qui in media hyeme ſuper feneſtrasmet, oenophora vino plena extrinſeco frigidiſsimo aeri exponentes, illud ad ſummè ferientis perniciofos frigoris gradus inconſultè redigunt. Secundus modus eſt cum in ſpeluncis, aut cellis vinarijs aqua in vaſis figlinijs ſedulò tectis reponitur, quæ cum probata eſt, nec malam qualitatem acquirere ob aſsignatam rationem poteſt, nec plus iuſto refrigerari. Vini enim conſeruationi, Vinariæ cellæ dicatæ ſunt, & illum quæ optimæ ſunt cum conſeruent; quantum in ipſis eſt, materiam quamcumquè potulentam conſeruare aptæ ſunt, dumodo in opertis vaſis (quod, & vino feruore ceſſante neceſſarium eſt) illa contineatur: idemmet, & de ſpeluncis verificatur, quæ penes aliud nihil à cellis vinarijs differre videtur, niſi quia illæ parietibus arte factis, iſtæ quia in montibus ſæpiſsimè excauantur ſaxeis ab ipſa natura conditis, circumdatæ ſunt, qua ratione, & illis quandoquè frigidiores ſunt, ni ſitus oris obſiſtat. Horum poſtremus eſt dum aqua vaſe excepta, in puteo ita ſuſpenditur, vt illius aquam non contangat: qui modus cum plures habeat differentias, omnes veniunt expendendæ: Earũ verò aliquę attendendæ ſunt, penes puteos in quibus ſuſpenduntur, aliquæ penes partes puteorum, ad quas vaſa ſuſpenſa perueniunt: aliquæ penes tempus quo ſuſpenſa permanent. Quantum ad puteos ſpectat, quoniam eorum aliqui lati ſunt, aliqui anguſti, aliqui medio modo ſe habentes, ita & quidam maxime profundi, quidam & parum, vel medio modo, quidam tecti, nonnulli, & detecti; ſunt & qui in angulo locati ſunt, quidam nullis adhærent parietibus. quo fit vt

In 2. lib. de abditis rerũ cauſis cap. 12.

reliquis puteanæ aquæ poſthabitis conditionibus de quibus abundè dictum eſt; ſtatuendum ſit, Puteos eò præſtantiores eſſe quò latiores, & minus profundi erunt, veluti, & tectis detecti, parietibuſquè adhærentibus non adhærentes: qui enim tales ſunt, quamuis radij ſolares aquam eorum attingere nequeant, circumfuſum tamen aerem depurare longè magis poſſunt, iccirco veluti aquam, ita & vapores ab aqua eleuatos longè minus noxios continent, qui & eò puriores erunt, quò ori putei proximiores: quam partem quotieſcunquè vaſa materia potulenta plena non pertranſeunt, & per ſat breue temporis interuallum ibi detineantur; parum & ipſa viciari poterit: ita vt quò propinquiora erunt aquæ diuturnioremquè moram trahent, puteuſquè à prædicta iam ſtructura erit remotior, eò & magis vitioſa reddetur potulenta materia; nam & valdè cruda, & innato calori admodum inimica, & magis adhuc ſi vaſa tecta non fuerint, inſignem quoniam cum inſigni denſitate cruditatem contrahere poſſunt; conſpirantibus in vnum cauſsis, denſitatem etiam maximam producere valentibus, quarum vna eſt frigiditas ſubterranei loci, humiditati aſſociata, quæ eò intenſior eſt quò aeris calor eſt intenſior, vti probatum iam fuit. Altera eſt vaporum terreſtrium eleuatio ab aqua puteana, quæ & terroſa plurimum eſt, Cui, ſi Auicennæ fides adhibenda eſt, fieri non poteſt quin, & aliquid inſit putreſcentis materiæ, niſi forte puteus ipſe omnino perfectus ſit.

In 13. cap. primi lib.

In 2. p. doctr. 2. cap. 16.

DE MODIS REFRIGERANDI EANDEM HVMIDORVM AVXILIO.

CAP. II.

INTERDVM & humidorum vſu, potulenta ipſa materia præfrigeratur, multiſquè modis, & primo cum calices aqua valdè frigida obruuntur, via enim hac refrigerati, ſat breui temporis interuallo in ipſis poſitam materiam potulentam intenſè ſatis refrigerant, præcipuè ſi argentei aut vitrei fuerint, metalla nempè, adhucque magis lapides frigidi cum ſint, contactu & frigefieri, & frigefacere apti maxime ſunt: Argentei autem ſymboleitatis cauſa, frigiditatem promptiſsimè concipiunt, & retinent; Argentum ſiquidem vti paſsim ſcribitur, frigidum eſt atque humidum: Vitreique pariter, qui adhuc, & in longè frequentiori vſu ſunt, quoniam vitri natura media quodammodo eſt inter metallicam, & lapideam; eſt enim ſemiminerale, ſuum eſſe ab arte ſuſcipiens, pulcherrimum ſanè, nam gemmarum diaphaneitatem, nitoremquè imitatur, ita vt aureum vincat hac in re: quod ſi non fragile effici poſſet, veluti Tyberij Imperatoris tempore repertum fuiſſe ferunt, auro ipſo non minus nobile fortè eſſet, nam & præter dictas iam Dotes ſuaptè natura valdè purum eſt, & ferè incorruptibile: Tum quia illius humidum aqueum eſt, minime enim ductile: Adde ipſum (vt ferunt) hyemis tempore ſub niuibus diu manens aquam concipere; quinimmo, & dum ſummè calet aer ipſam, vel potius tenuiores illius partes, & concipere, & remittere, vti rorida frequentiſsimè euadens phialarum extima ſuperficies optimè indicat. Iſte autem modus refrigerandi ſatis mitis eſt, mitior verò quotieſcunquè ciathi breuem in aqua contrahunt moram; Mitiſsimus, ſi de-

demerſi protinus extrahantur: ſalubritati autem plus minus ue infeſtus erit, iuxtà diuerſitatem aquarum in quibus merguntur, tum penes malitiæ, nec non, & frigiditatis moderantiam excedentes gradus: Horum modorum ſecundus ille eſt, quo dum vaſa materia potulenta plena quicumquè ſit, in gelidam aquam demittendo ipſam refrigerat: Cuius tres extant differentiæ, Prima quarum eſt, cum dicta iam vaſa, in ea aquæ quantitate demittuntur, quam abſquè quòd permutetur, frigeratorium continere valet, quod quantum ad primas aeris ſpectat qualitates, in loco temperato, vel temperiei proximo perſiſtat: quò enim frequentius frigeratorij aqua innouatur, idquè frigidiori in loco continetur, gradus & frigiditatis in potulenta materia ipſa intendi non eſt cur aliquis dubitet; veluti enim aqua facilius quàm omnia terrena corpora calet, atquè frigeſcit, quippe cum, & illa omnia partium tenuitate ſuperet, ſic & aer ipſe, ea tanto facilius quanto dos

Quarto in 6. de morb vulg. com. 10. hæc in eo præſtantior exiſtit Galeno teſte: ſecunda ad modum hunc ſpectans differentia eſt, dum ſeu Phialam ſeu earum plures, in Refrigeratorio aptant modò aqua prorſus vacuo, vel fundo illius vix tecto, & copioſam aquam è frigidiſsimo puteo recenter hauſtam, pluriès ac pluries ſuper ipſas ex alto effundunt ac veluti Torrentis ritu illidunt, qui modus refrigerandi iccirco validiſsimus eſt, quoniam virtus refrigerans penitus intro compellitur, ſtrenuè à motu illo adiuta: Hinc Medici ſtillicidia excogitarunt à Barbaris Duciæ, à Græcis embrochi, & epimurochi vocata, vt Thermalium aquarum facultates ad abditas cauitates peruenirent, ad quas ſecluſis intro compellentibus ictibus nequaquàm peruenire poſſent, veluti & Galenus locupletiſsimus teſtis eſt iubens medicamenta ca-

In 13. meth. cap. vlt. piti, quibuſdam in caſibus, applicanda, & humida eſſe debere, & ex alto effundenda, ſecus illorum vires in cerebri cauitates minimè peruenire, ob cutis vnaquè, & oſsis tum craſsitiem, tum duritiem. Tertia differentia eſt,

dum

dum fluuio rapidè labenti imponuntur, quæ aliqua ex parte inania ſint, tecta tamen; quę differentia cum prima affinitatem, etſi habeat, quoniam motu abſoluitur, quia tamen fluminum aquæ minus frigidæ ſunt putealibus, tum quia fluunt, tum quia ſolaribus radijs expoſitæ ſunt, iſtæ remiſsiores quàm illæ frigiditatis gradus potulentæ materiæ contribuunt: Quarta differentia eſt, dum vaſa ea plena, puteis imponuntur, ita vt Aquam tantummodo attingant abſquè quod demergantur detectaquè derelinquuntur, ſic enim afficitur mediate, ab aqua, & aere, vaſa afficientibus, mediateque ab aere afficiente ſupremam ſui partem, ad intenſius ſiquidem refrigerandum non parum refert, vaſa aut nullo tegmine tegere, vel ſi tegantur aliqua ex parte inania derelinquere: quotieſcumquè loci aer, in quo ponuntur, vel frigidus ſuaptè natura ſit, veluti imæ puteorum aquis proximæ partes, vel ex accidenti veluti fluminum Aluei: puteorum enim aquis, extimus à ſolaribus radijs alteratus aer, haud permiſceri poteſt, & minus adhuc quò puteus ipſe erit profundior, quo fit vt frigidus ſemper maneat, & neceſſario: Hinc meritò damnanda eſt Vulgi opinio, puteos altitudine commendans, nam cum fontana improbetur, quæ ſolem auerſum habet, quis eam probare prorſus audebit, quam ſol nunquam videre poteſt? ex accidenti verò aer, fluminum alueis circumfuſus, etſi à radijs ſolaribus percutiatur, quin frigidus aliquatenus ſemper ſit, vix fieri poteſt, ob aſsiduam à proxima aqua vaporum eleuationem, à qua cum perpetuò moueatur facilè eleuantur: flumina ſiquidem, eo quoniam ſemper fluant, dicuntur, ad Torrentium differentiam, quæ è fonte cum minimè naſcantur, ſed è pluuia niuibuſquè eliquatis, hyeme quamuis magno impetu ferantur, æſtate tamen vt potè refrigerationi dicata vt plurimum ſiccantur, ſiue igitur vaſa potulenta materia plena, quæ operta ſint, & aliqua ex parte inania, in labente amne dimittantur, ſiue in putei aqua plena, & detecta, vel tecta

nec

nec plena prorſus, vel etiam plena tectaquè ſimul impo-nantur: intenſè refrigerabitur proculdubio; quoniam à duplici Agente ab aqua ſcilicet, & ab aere, eò autem intenſius, quò mora erit diuturnior: (cæteris tamen paribus refrigeratio impartita ab aqua putei, æſtiuo potiſsimum tempore præfrigerationi dicato, veluti altera intenſior erit, ita tum hac ſola cauſa ſaluti infeſta longè magis, tum ob alias de quibus iam abundè dictum eſt. Poſtremus modus refrigerandi auxilio humidorum eſt, conſtruere vaſa vitrea, aut ferrea craſsiora, illaquè hinc inde in actu extructionis ſuffodere, & cauitates illas hydrargyrio replere: Vel vnum Vas ex altera dictarum materierum, vel etiam ex ære conficere in quo aliud vas contineatur, ita tamen vt inter extimam interioris ſuperficiem atquè intimam continentis, ſpacium ſit, in quo hydrargyrij quantitas quæ placuerit immitti poſsit: quæ vaſa elegantiora erunt, ſi in infima ſui parte inuicem agglutinata fuerint, ita vt non duo ſed vnum potius videantur: habet ſiquidem Argentum viuum non intenſam modò, verum & intenſiſsimam vim refrigerandi, quomodo enim poteſt non ſtrenuè frigefacere, cum à prædominio aqueum ſit? fluit enim more aquæ, immo alienum terminum magis quàm illa quærere videtur; nil enim aliud profectò eſt quàm aqua quædam denſata, non calore, nam non cogitur; nec frigore eſſet enim lapis, vel metallum, ſed tenuiſsima parte ac puriſsima terrea, quò ſit vt grauiſsimum ſit, ſplendens, liquidum, & (vti dictum eſt) frigidiſsimum: nam & tale eſſe, præter quam quòd Galenus, & Auicenna aſſerunt, frigidas ægritudines infert, Epilepſiam, ſoporem, tremorem, & reſolutionem: Et quamuis Ariſtoteles calidi eſſe temperamenti ſentire videatur, dum illud plus aeris habere inquit: quem etſi cum Medicis conciliare procuret Conciliator differentia centeſima quinquageſima prima, cum Medicis inquam prædictis; Nam Halyabas, & Raſis oppoſitum tenere videntur: ait namquè ille

In 5. lib. de facult. ſim pl. medi. cap. 19.
In 4. meteororū tex. 43.

illę Argentum viuum habere partem nobis manifeſtam quæ aquea eſt, fluit enim modo aquæ vti patet, ratione cuius partis eſt frigidi, & humidi temperamenti, habet, & aliam partem ſulphuream, & exuſtam, ratione cuius eſt calidi, & ſicci: At modus ille conciliandi non excludit dubitationem, quia neceſſe eſt, vt in quolibet mixto ſit vnum elementum prædominans, ſi enim duo elementa ex æquo in aliquo mixto dominarentur, illud & duos locos naturales, & duos motus locales haberet: ideo videtur dicendum ex quo ſunt quatuor Argenti viui genera apud Auctores, vnum ſcilicet ſcaturiens, ſicuti ex fontibus aquæ quod à Plinio perpetua vomica dicitur: aliud quod inter metalla reperitur: tertium quod ex minio fit, & quomodo fiat modum Dioſcorides, & Plinius oſtendunt: quartum quod ex lapide Antrace fit Vitruuio etiam teſte, in ſeptimo ſuæ Architecturæ libro capite octauo: ita vt duo genera factitia ſint, duo & naturalia: Et quamuis Falopius dicat, factitium argentum viuum nullum reperiri, Oppoſitum tamen quia concorditer aſſerunt Dioſcorides, Teophraſtus, Plinius, & Galenus ipſe, illius opinio valdè in ſuſpitionem adducitur, nec obſtat Galenum fateri, ſe nihil de facultatibus, & vſu Argenti viui ſcire, affirmat tamen omne hydrargyron à ſe cognitum eſſe arte factum, ita vt conſtet ex dicto illius, eum notitiam habuiſſe alicuius argenti viui factitij: qui itaquè aſſerunt illud frigidi eſſe temperamenti de naturali, & præcipuè de Primo vomica dicto intellexiſſe viſi ſunt: qui verò oppoſitum tenent, de factitio, & præcipuè ex Minio, quod ſcilicet fit vi ignis, eſt enim calidum, & ſiccum, & quando eſt ſublimatum adhuc eſt calidius: Ea propter Auicenna, qui minerale frigidum, & humidum in ſecundo gradu conſtituit, de factitio ſermonem habens, dixit eſſe interficiens, ob vehementem inciſionem, calidum ſiquidem, & ſiccum in quarto gradu eſſe nonnulli aſſerunt: Minerale autem quod ſolum artificiali refrigerationi inſeruire ſupponimus,

In 33. lib. cap. 6.

In 5. lib. cap. 59.

vbi ſupra. cap. 8.

In ſuo de foſsilibus lib. cap. 37

In 9. de facult. ſimpl. medi.

In 2. Canone cap. proprio.

præ-

præter Auicennæ ſententiam, Antiqui referunt, Hermet. Chymiſtarum primum, inter frigida, & humida illud poſuiſſe, quam opinionem, & inſectatus eſt Gulielmus Placentinus præſtans Medicus, Plateariuſquè non modò frigidum eſſe, ſed & in quarto gradu apertè fatetur, Cuius opinioni acer naturæ indagator Fernelius ſubſcribit: idem & ante ipſum ſenſiſſe NICOLAVM MASINIVM Auum meum, elicio ego ex pauxillulo Reliquiarum quarundam ſcriptorum, quæ & ſibi ad ſolam recordationem adnotauerat, & ſolæ nobis reſtiterunt: Nam monumenta litteris prodita, nec pauca, nec niſi poſteritati, ſapientum ſenſus illius egregiè tenentium iudicio, emolumenti plurimum allatura, Typis iam cum eſſent depromenda, aduerſa, nè dicam euerſa, familiæ noſtræ fortuna, Peſte ante diem cadente illo, Bononiæ, paulò ante quàm Ioannes Bentiuolus munificentiſsimus illius dominus, à Iulio ſecundo ſummo Pontifice fuiſſet depulſus, ope cuius eo in Gymnaſio, ſummo in loco, Medicinam ſumma cum laude profitebatur, à domeſticis illius Diſcipulis, abrepta fuiſſe, qui ipſum omnino cognitum, reſquè ſuas omnes habuere, planè affirmarunt: Via itaquè hac non Medici modo inuicem conciliari poſſunt, ſed & cum ipſis Ariſtoteles, immo & ipſemet cum ſemetipſo, ſibi enim ipſi diſſentire videtur, dum inquit aerem in argento viuo prædominari: & tum in calce tertij libri metheororum, & in ſecundo libro Phyſicorum textu octauo ait materiam omnium metallorum eſſe aqueam, ibi enim de factitio ſermonem habet, veluti in hiſce poſtremis duobus locis de eo, de quo & nos loquimur: Metalla ſiquidem omnia, ex argento viuo tanquam ex Matre, & ex ſulphure tanquam ex patre, vti Chymiſtæ inquiunt, & fortè verè generantur, nam ex diuerſa ſulphuris quod eſt valdè ſiccum, cum humido argenti viui cōmixtum, varia metalla fieri poſſunt: Nec obſtat Galenum ſe ancipitem hac in re oſtendere vbi ſupra, ex quo illud ſummè frigidum eſſe experimur, ergò in poten-

In 4. lib. cap. 6.

In 2. de abditis rerū cauſis lib. cap. 14.

In 4. lib. metheororū tex. 43.

In 9. ſcilicet de ſacul. ſimpl. medi. cap. proprio.

tia

tia frigidiſsimum eſſe ſtatuendum eſt, aliòqui talis actus non potuiſſet deduci, ſi ad ipſum in argento viuo potentia non præextitiſſet; Nec obſtat talem actum in ipſo eſſe poſſe per accidens, quia diu non poſſet perdurare, at illum tamdiu perdurare quamdiu, & argentum ipſum perdurat ſenſu percipimus, & talis actus cum ex potentia deductus ſit, & ipſum hydrargyron (Argentum liquidem viuum idem eſt apud latinos, quod apud græcos hydrargyron, dicat quicquid vult Plinius) in potentia valdè frigidum eſt, immo & ferro, & marmore longè frigidius eſſe, Mos optimè docet, quem apud Mauritanos eſſe ferunt, qui quotieſcunquè ob maximum calidiſsimæ illius regionis æſtum, in ſtratis dormire nequeunt, ſolent intrà vtres certam argenti viui quantitatem ponere, meritò cuius illos valdè frigidos reddi experiuntur, & ſic in ipſis cubantes quieſcunt: Et vbi illud oritur, ſunt, tum aquarum ſcaturigines, tum plantæ, & arbores ſemper virentes, quæ fructus non faciunt, ita teſtante Vannutio Beringutio; At vbi aquarum copia, & plantæ ſemper virentes, ibi & inſignis tùm frigiditas, tùm humiditas adeſt: quicquid igitur ibi generatur, frigidum atque humidum vt ſit neceſſe eſt; propterea ſanguinis eruptiones, bilis ardores, excſioneſquè retundit, immò Narcoticum cum ſit, dolores quoſcunquè lenit ac ſopit, materiamquè repellit, & ſtrenuè, à partibus parum nobilibus ad partes valdè nobiles, fruſtra reluctante natura; nam quicquid in iuncturis eſt, ad pulmonem repercutit ſua excedenti frigiditate, humiditate verò corruptiones tùm dentium, tum gingiuarum, vlceraquè oris maligna atquè ipſius fœtorem infert; quæ omnia quotidie, paſsimquè illis accidere conſpiciuntur, qui à gallica iam confirmata lue detenti, propriam ſalutem circulatoribus temerè concredunt: Adde & illud ignem refugere: quod inimicitiam, & ſummam eorum contrarietatem indicat frigidum igitur atquè humidum in ſummo. Et quamuis per os exhibitum in valdè tamen per-

In 33. lib. cap. 6.

In 2. lib. Pirotech. cap. 1.

exigua quantitate aliquando ſuccurrere viſum fuerit, veluti Braſauolus ſe infantibus vi vermium ſemimortuis exhibuiſſe, illicoquè ſanatos fuiſſe teſtatur: quod & ſe fœlici cum ſucceſſu eiſdem quantitate duorum, vel trium granorum milij exhibuiſſe affirmat Falopius: Nec certè mirum cum viuentia illa animalia, quæ necem afferre parata ſunt de ſui velociſsima occiſione expulſionequè indicent, quæ cum ferro abſolui nequeant, periculo imminente, nulla re fortè efficacius, celeriusuè abſolui poſſunt quàm veneno frigefaciente, vnaquè, & deorſum præ grauitate pellente, minimè tamen corpori aſſumenti præ exiguitate nocere potente: Nec non, & in Goritia obſtetrices ad partum facilitandum, mulieribus ad ſcrupuli quantitatem dare aſſuetas eſſe aſſerit Matheolus: in maiori tamen quantitate aſſumptum, cum principalibus membris occurrit, & præcipuè cordi ſua excedenti humiditate, innatum illius humidum corrumpendo, excedentiquè frigiditate ſpiritus, ſanguinemquè vnà cum ipſius cordis ſubſtantia, congelando interficit: veluti patuit in Pharmacopola, quem noctu cum admodum ſitiret, ſtillatitiæ aquæ loco vas argento viuo plenum hauſiſſe narrat Conciliator: & mane cum mortuus repertus fuiſſet, hydrargyron per anum exire videntes, diſſecto illius cadauere, cor eius, & circa illud ſanguinem coagulatum inuenerunt: ita vt non ſuo tantum pondere ex Dioſcoridis Plinijquè ſententia, ſed & lætali qualitate interficere poſsit; eo fortè fœtus exitui opitulatur quaſi producta vi comprimente in inteſtinis vtero ſubſtratis: Hiſce enucleatis, meritò quærendum eſt, An propoſitus iam vſus illius Potulentæ materiæ, veneficam aliquam qualitatem contribuere poſsit: Dicimus nullam vtiquè poſſe, cum ipſam non poſsit afficere, niſi contactu, extimæ vaſis ſuperficiei in quo ipſa continetur, inſenſiſsimam tamen illam reddit humano corpori immoderatè refrigerando, ſi Galeno fidem (vti tenemur) adhibere volumus, omnia aquæ vitia, in excedentem

In examine ſimplicium medic. cap. de metallis. In lib. de foſſilibus. cap. 37.

In 69. cō. quinti lib. Dioſcoridis.

In ſuo de Venenis lib. cap. 2.

In 7. lib. methód. cap. 6.

tem illius frigiditatem reijcienti, meritò cuius hominem ad necem deducere ſat ſuperquè infra à nobis oſtenſum eſt.

QVOMODO IPSA SOLIDORVM DIVERSORVM OPE REFRIGERARI POSSIT, ET PRIMO QVOMODO GLAREIS, ET MARMOREIS RAMENTIS. CAP. III.

ET Quia ſolidorum etiam vſu, Aquæ in quotidiano potu aſſumendæ frigidiores effici poſſunt, iccirco de illis agendum eſt, initium ſumentes à glareis, de quibus ſermonem habens Plutarchus dixit, Glareas in aquis iniectas eas frigidiores efficere, nec certè mirum ſi per glaream intelligere velimus non terram lapidoſam, à qua vini refrigerandi auferre minime intendimus, intenſiorem tamen cæteris paribus habebit procul dubio refrigerandi virtutem ſi ipſa ex ſolis lapillis, abſquè vlla terræ admixtione conſtabit: Præterquam quòd enim abſente terra cuiuſcunquè naturæ illa fuerit, limpidiorem aquam conſeruabit, malam nullã qualitatem contribuere poterit: nam lapides glaream conſtituentes, malis qualitatibus deſtitutos eſſe ex eo patet, quoniam glarea ipſa vel in fluuiorum ripis, vel maris litoribus, ex arenarum coagmentatione oritur, à quibus quidem arenis, Aquas non modò conſeruari, quinimmò, & depurari ex Ciſternis clarè patet; fluuialem verò longè præſtantiorem eſſe haud dubitandum eſt, de illis nimirum Alexandri ſententia prorſus verificatur, ſcribentis lapides ſapore odoreque carere: fieri enim vix poteſt, vt marina vt potè ex ſalſa arena genita, & cum ea aſſeruata, & infinities ſalſa aqua irrigata imbibitaquè, aliqualem ſalſedinem non retineat; idemmet, &

In 6. Sympoſiacon. queſt. v.

In p. lib. de Anima. cap. de Olfatu.

præſtare poterunt marmoris ramenta in ipſamet iniecta, patet hoc ex medicatis Thermalibus aquis, marmorea ramenta continentibus ratione quarum vna, & frigefaciendi virtutem continent, talis eſt aqua balnei Corſenæ, de Agnano, de Bora vulgo nuncupata in agro Florentino, & Brandulæ, quæ omnes ad potandum aptæ ſunt: At oritur Difficultas; Vtrum in qualibet marmoris ſpecie æqualis virtus refrigerandi reſideat: Dicimus ex quo materia lapidum opacorum (de numero quorum eſt quaelibet marmoris ſpecies) eſt ſicca exhalatio cum humido conglutinante iuxtà Platonis in Thimeo ſententiam, cui & Ariſtoteles ſubſcribere videtur, à quibus Theophraſtus non recedit, qui quidem lapides iuxtà eorundem opinionem, & præcipuè Ariſtotelis, modò à calore, modò & à frigore concreſcunt, tanquam à cauſa efficiente: apertè enim Empedoclem redarguit, lapides a ſolo calore confici aſſerentem, vbi & à frigore etiam illos concreſcere aſſerit: quam efficientem cauſam Auicenna, virtutem mineralem, & Albertus Magnus ipſum inſequutus, magis ſpeciali vocabulo lapidificam facultatem apellare voluit: Videtur dicendum alterum altero habere intenſiorem, vel remiſsiorem vim præfrigerandi, prout ad generationem vnius plus, vel minus tum de materia fuliginoſa, tùm de conglutinante humido concurrit: magisuè caliditas, vel frigiditas in illius productione operatur: modò enim vna, modò altera dictarum qualitatum operatur, nonnunquam, & ambo, ſed veluti tunc vna poſt alteram, ita vna altera validius, vel remiſsius: At quæ ſingulo in lapide, vel gradualis refrigerandi facultas reſideat, ſenſibus deprehendi poteſt: Et primo viſu, inſpiciendo colores lapidum, color enim quamuis per ſe non indicet, nec dominium caliditatis, nec frigiditatis in corporibus naturalibus mixtis perfectis potiſsimùm, quorum nullum eſt, quod verum colorem non habeat, & multò minus gradus, iſtius, illiusuè qualitatis, indicat tamen vtrumquè per accidens, nam color

In calce 3. lib. methe.

In 11. problem. 24. ſectio.

lor niger in humana cute exiſtens, indicat caliditatem per accidens, quia exuſtionem factam fuiſſe præ ſe fert: pariter cum color nihil aliud ſit, quàm proportio diaphani cum opaco illuſtrati ab ipſo lumine, ſcilicet per actum ſecundum: veluti marmor qui albus erit, vel albo proximior procul dubio plurimum continebit de diaphano, & parum de opaco, ita illius color veluti per ſe nobis indicabit partialem cauſam illius materialem, vt potè exhalationem non fuiſſe admodum ſiccam (particulares ſiquidem exhalationes ad inuicem in gradu diferre haud eſt dubitandum) ſic color marmoris, quo magis ab albo recedit, & ad album ſibi priuatiuè oppoſitum teſte Phyloſopho, plurimumquè de opaco continentem tendit, remiſsiorem marmori ipſo ineſſe frigefaciendi virtutem nobis indicabit: Hinc Thermales aquas, quæ ſeu à marmoreis ramentis, ſeu à marmoreo ſucco, frigefaciendi virtutem contraxere, de quibus dictum eſt, non aliud genus marmoris præter album continere, tanquam illum qui in frigefaciendo efficax magis eſt, clarè elicitur ex modis inueſtigandi contenta in dictis aquis, qui à ſapientibus traditi ſunt veluti à Falopio, natura enim de poſsibilibus quod melius eſt perpetuò facit, veluti repetit Phyloſophus: & ne quis hoc, de numero illarum rerum eſſe, quæ latent in profundiſsima caligine inſcitiæ humanæ forte exiſtimet, propter dictum Auerrois aſſerentis vnum, & eundem colorem in calidis, & frigidis inueniri, veluti de albedine conſtat, qui & in ſale, & in camphora reſidet: Hoc tactu ipſo experiri poteſt. (& erat ſecundum medium) veluti enim inter lapides prætioſos alter altero actu eſt frigidior, veluti patet de adamante, quo nullum corpus actu frigidius reperitur, glaciem ſiquidem ipſam ſuperare nonnulli contendunt, ſic & in latitudine opacorum, qui magis ſunt albi, & frigidiores actu ſunt; nam veluti cauſa quamobrem gemmæ tam frigidæ ſunt, frigus eſt, à quo illæ concretæ ſunt, ita & in opacis albis, vel albis proximioribus

In 10. meth. tex. 7.

In lib. de thermalib. aquis cap. 9.

2. cœli tex 34. 8. phyſ. tex. 56. in 2. de part. anim. cap. 14.

In v. lib. collectaneorum cap. 29.

eſt, ſi non frigiditas ipſa, ſaltem frigiditas valde remiſſa.
Adhuc & quæritur ex quo quilibet Marmor habet vim re-
frigerandi, Vtrum Ramenta in aqua proiecta, præter fri-
giditatem, poſsint illi impartiri aliquam aliam qualita-
tem, vel vtilem, vel nocuam. Dicimus quando poſsit
aliquam contribuere, & contribuat, illam nullo pacto v-
tilem eſſe poſſe, quoniam vt via hac ſimplicitatis gradus
diminuantur neceſſe eſt, & ſic minus perfecta efficiatur:
Nam veluti bonitas, & perfectio aquarum Thermalium ex
multiplicitate rerum, quæ in ipſis ſunt, iudicatur, ita vt ea
præſtantior cenſeatur, quæ mixta magis eſt, & longè plura
ſecum habet vel metalla, vel res perſimiles, quas natura eis
admiſcere oblectatur, tanto plures, & varios morbos pro-
fligare poterunt; ita quoque bonitas, & perfectio Aquæ
potabilis, ex ſimplicitate, ac puritate iudicatur (quanto
enim eſt ſincerior ac ſimplicior, ita vt rem nullam habeat
commixtam tanto eſt melior) ſed & præter frigiditatem
alias qualitates corporibus quæ contangunt lapides im-
In v. lib. à cap. 99. per totum 120. pendere poſſe, & Dioſcorides, & Plinius ſcriptum re-
liquerunt: quapropter dubitandum non videtur, &
aquis in quibus demerguntur earum aliquas impar-
In 36. lib. cap. 16. & 17. tire poſſe: At animaduertendum eſt, id abſquè caloris
alicuius auxilio nequaquam fieri poſſe, iccirco & ipſi iux-
tà *Dioſcoridis* ſententiam in viuente homine operantur,
quoniam illorum ab innato calore vires actuantur; De-
functorum vero corpora in ſarcophago condita, intra qua
drageſimum diem dentibus exceptis vti Plinius inquit, ab-
ſumuntur, fortè quoniam putredinalis aſſociatus eſt ca-
lor: ſic & magnes ferrum trahit ſeiunctis ab aere circum-
ambiente, ratione proprij temperamenti, partibus qui-
buſdam, & in eodem receptis, quæ ſunt inſtrumenta for-
mæ: hinc magnetis portio quæ alacriter trahere conſue-
uerat, temporis ſucceſſu trahere ceſſat, dictis partibus pror-
ſus ſolutis, nec niſi ab ambientis calore: eam nempè ſi quis
frangat, in eius interioribus partibus, eandem quæ prius

in

in extimis extitit, virtutem ad trahendum efficacem inueniet, ſtatuto tamen temporis interuallo durantem: ità vt conſtet dictæ iam lapidum operationes non abſque alicuius adiuuantis caloris præſentia abſolui: At aqua veluti dum eſt in ſui naturali diſpoſitione non caleſcit ita inquiente Auerroe, calor enim eſt accidens haud reſpondens formæ illius, dum igitur parum diſtat à ſua naturali diſpoſitione parum caleſcit, & ſic inſtrumentali cauſa caret, qua lapidum virtutes ab ipſis poſſunt auferri, & in ipſamet aqua recipi: Nec obſtat aliquid caloris aquæ ineſſe, ſecus ſuperuacaneam eſſe marmoreorum ramentorum demerſionem, pro ea abigenda, & frigiditate vigoranda: Nam inefficacem illam ad aliquid à lapidibus extrahendum procul dubio reddit, pauculum illum longè ſuperans aquæ frigiditas, & in ea breuis admodum marmoris mora: Aqua nimirum æſtate arte refrigeranda, diu ſi extra, vel proprium fontem, vel à quocunquè multò ſuo quanto, ſeiunctam ſteterit, inſitæ non parum bonitatis amittit, quod & Vino quoquè contingere nemo eſt, qui ſenſu non deprehendat: Ad miſcendas enim rerum miſcibiles cum aquis facultates, & validum vnà cum opportuna hoc eſt diuturna ſatis mora calorem requiri Sapientes de Thermalibus aquis ſcribentes aſtruxerunt: Et longè magis ſi ſatis compacta, & denſa ſint corpora in ipſis aquis demerſa: ratione cuius ſummæ denſitatis, & poroſitatum anguſtiæ, ideò quidam lapis, Pyrimachus dictus eſt, ab igne quoniam vti Olimpiodorus affirmat non abſumitur: qua ratione, & carbunculos, vel non ſentire ignes, vel non niſi ægrè, & in ſat longo temporis ſpatio Ariſtoteles ſcriptum reliquit, A nonnullis propterea vti Plinius inquit Apyroti vocati ſunt: videmus tamen gemmas paleſcere, nec niſi quoniam exſuctis partibus tenuioribus abit color, quod ab aeris vel tepore, vel magis à calore illis accidit: à quo quidem pallore quicunquè ſint, qui eas præſeruare voluerint, cum eunt dormitum eas in frigida aqua quoniam

In 2. lib. de anima. com. 115.

In 4. meteor. tex. 47.

In 37. lib. cap. 7.

reponunt, ſatis ſuperquè conſtat, frigidam aquam prohibere potius; quin aliquid à lapidibus exeat, quàm exitum iuuare: Gemmarum nitorem poſtquam conſeruare aliud nihil eſt, quàm prorſus impedire, ne ab ipſis aliquid abſumatur: tantum igitur abeſt, vt marmor in frigida aqua proiectus aliquam aliam illi præter frigiditatem impertiat qualitatem; vt potius ſi quæ inſint in lapidibus ipſis, etſi vnà cum tenuioribus partibus exire aliòqui ſuaptè natura paratæ eſſent, vi aquæ omnino contineantur, & eò magis quò marmoris ſubſtantia erit denſior, in quorum latitudine cum denſiſsimum ſit Alabaſtrum; qua præcipuè de cauſa ex illo pyxides pro odoratis vnguentis conficiuntur, (parum enim vel nihil combibit remittitve) vnaquè, & perſpicuum ſit, aquæ immerſum duce experientia, maiorem adhuc perſpicuitatem adipiſcitur. Quòd ſi aliquis quærat, an refrigeratio hæc aquis à lapidibus impartita

In 6. Sympoſiacon. queſt. v.

intenſa ſit; Dicimus vnà cum Plutarcho vtiquè intenſam ſatis eſſe, triplici de cauſa, Primo quoniam lapides, in quorum anguſtis meatibus continetur aer, nec niſi frigidus valdè, ob contactum ſuperficierum valdè frigidarum, dum aquis immerguntur, non tam cito vti aerea, fictiliaquè vaſa elabi ſinunt; ſed ſua denſitate cohibentes, à ſe in aquam repellunt; ita vt dum foras ille erumpit, valida fiat refrigeratio: Secundo quoniam lapilli diſponunt aquas ad ſuſcipiendam frigiditatem, eas nimirum attenuant trahentes ad ſe quicquid illis admixtum eſt, turbidi, & & terreſtris, nam quælibet ſubſtantia quo tenuior eſt citius faciliuſquè alteratur: Poſtremo quia cum frigidi illi actu ſint, ſuo contactu ipſas frigefaciunt, magis autem, aut minus prout lapides ipſi maiores minoreſuè ſunt, plures, aut pauciores, denſiores aut minus denſi, magis minuſuè albi, detentiquè antequam in aquis proijciantur in loco frigidiori minuſuè frigido fuerint, longiorem deniquè, aut breuiorem in aquis ipſis moram traxerint; ita vt Aquæ via hac præfrigeratæ, dato quod non ſemper,

ali-

aliquando tamen ad ferientis frigiditatis limites perueniré poſsint.

QVOMODO PLVMBEARVM LAMINVM VSV REFRIGERARI POSSIT. CAP. IIII.

LAMINAE etiam plumbeæ, ſi in aquam iniiciantur, eam frigidiorem efficiunt, veluti ſcriptum reliquit Plutarchus, de natura enim frigidi eſt, vt quòd cum aceto tritum, *In 6. Sympoſiacon. queſt. v.* ceruſſam læthalium venenorum frigidiſsimum edat. Hinc Galenus tum in nocturnis pollutionibus; tum in gonnorrhea ex ſupercalefactione vaſorum ſe- *in 9. lib. de fac. ſimpl. medi. & in 6. lib. de tuen. valetud. cap. vlt.* minalium orta, ideò iubet plumbeam laminam lumbis admoueri, ſua quoniam frigiditate ſiſtit fluxum ſeminis: qua frequenter vſum fuiſſe ferunt Caluum oratorem, ad cohibendas libidinum imaginationes in ſomno: quam & ad voces alendas, quotieſcunque pectori imponitur, efficacem eſſe ſcripſit Plinius. Necnon, & Neronem pro *In 34. lib. cap. 18.* ipſamet voce conſeruanda augendaque uſum fuiſſe, quod & Suetonius Tranquillus in vita ipſius Neronis affirmat: quod iccircò à plumbo præſtari credendum eſt, quoniam frigiditate ſua vitales ſpiritus congregat, ita vt thoracis motibus, ſinè quibus vox haud congruè formari poteſt, optimè inſeruiant. Tum quia, & ſua humectante facultate, lenire quodammodo aptum eſt: illud ſiquidem non frigidum modo, ſed & humidum in ſecundo gradu eſſe aſſerit Auicenna: quod & Galenus ex eo probat, quoniam non modò citò eliquatur, verum & antequam accendatur *In 2. Can. cap. 12.* vel igniatur (quod in reliquis metallis non accidit, flagrant ſiquidem prius reliqua alia omnia, quàm eliquentur) Nec Auerroes omnino eſt audiendus qui quamuis *In v. colle ctaneorum*

Plumbum ſua natura frigidum atque humidum conſtituat, reſpectu tamen humani habitus, ſiccantem illi iccircò contribuit facultatem quia Ganglijs probè alligatum, illos diſsipat, veluti & Galenus docet: Diſcutit autem non vi ſiccante, quinimmo potius ſua humiditate, qua remollita materia nodi, partim diſſoluitur à m mbri in quo reſidet calore, & eſt pars tenuior, quæ verò minus tenuis eſt repulſa ad robuſtiores ipſiusmet membri partes diſsipatur & ipſa, ita vt à frigiditate humiditateque reſpectiua diſcutiantur, humiditas nempè illius præcipuè eſt reſpectiua, hoc eſt qua diſcutit: quantumcunquè enim longè plures partes terreas habeat quam aqueas, & in ſe frigidi atquè ſicci temperamenti ſit, nam metallum eſt, & in eorum quolibet dominatur terra, humectat tamen ratione partis cuiuſdam vaporoſæ, quam in ſe habet, quæ facile alterata à calore humano, educitur ex meatibus ipſius: ſed ad refrigerantem illius facultatem redeuntes, ſi forte eſſet qui intenſam, & valde in eo non eſſe dubitaret, poſito quouis frigido liquore in mortario plumbi, ſi cum Piſtillio plumbeo tam diu agitetur vt illius colorem contrahat, ſeipſo longe in frigefaciendo efficaciorem effectum fuiſſe deprehendere poterit periculum faciens: qua de cauſa mortario piſtillioque plumbeis, Galenum vſum fuiſſe legimus: Quod ſi quærat aliquis vtrum iſte refrigerandi modus, quotieſcunque Aqua illius ope temperatæ frigiditatis limites non excedat, innoxius ſit: Dicimus culpa etiam ſatis graui non carere, quoniam potabiles aquæ à plumbo vitium contrahunt: Et quamuis Thermales aquæ plumbeæ in Italia non ſint, referunt tamen nonnulli in Germania Plumbeum Balneum inueniri, cuius aquæ quamuis præſtantiſsimæ ſint ad externos quoſdam fugandos morbos contumaces non modò, verum aliorum medicamentorum ope penè inſanabiles, quales ſunt cancri, & potiſſimum profundi ſi diuino Hippocrati fides adhibenda eſt, Tantum tamen abeſt vt in potu aſſumptæ conferant, vt immine-

In 9. lib. de facult. ſimpl. medi.

In 6. Sym. ... icione. ... cap. v.

In 9. lib. de ſrc. ſimpl. medi. & in 6. lib. de tuen. va. cuo. cap. ...

In 14. lib. in p. lib. de compoſ. medi. ſec. loc. cap. p. 4. & 8.

In 1. Can. cap. 13.

In 6. lib. aphor. aph. 38.

mineat periculum, ne plumbi natura in Lythargirium, vel aliud ſimile, vt ſolet conuerſa, potantes ipſam homines enecet: plus vel minus, citius vel tardius, iuxtà varias potantium diſpoſitiones: Et quamuis talis malignitas aquis potabilibus, in quibus plumbum arte immergitur accidere nullo pacto poſsit, quoniam nec calor nec mora ad exactè permiſcendum efficax adeſt: qualitates tamen ſuas, & facillimè impendere poſſe, ex eo patefit, quoniam vel leniter manibus attrectatum eas tetro colore inficit: quod optimè conſiderans Galenus, veluti in Pyxidem plumbeam recondit, tum medicamentum præſeruans à defluuio capillorum, nec non, & affectus narium quoſdam depellens, ita & antidota plumbeis vaſis imponi omnino prohibet. aquam verò à plumbo tactam, nec mundam prorſus, nec noxiæ mixturæ expertem eſſe, ipſemet nobis indicauit, dum dixit, ea, quæ per plumbeos canales deriuatur aqua, fugienda erit, limus quoniam ex plumbo quidam in ea continetur, vnde etiam qui aquæ eiuſmodi fæcem combibunt diſenterici euadunt, idemmet affirmauit Auicenna: Et Vitruuius de aquis differens oſtendit plumbo vitium ineſſe, proptereaquè fiſtulis eius aquas infici: Hinc colligitur aquas illius lambiccis vocatis inſtillatas deuitandas omnino eſſe; Plumbum autem cum frigidi, & humidi ſit temperamenti haud ſanè dyſenteriam efficit, quia humores mordaces per ſe gignat, à quibus dyſenteriam concitari ſcripſit Galenus, ſed quia limum in aquis derelinquens, illæ obſtructiones pariunt, ex quibus excrementa acria reddita efficiunt dyſenteriam: obſtructiones autem cum multarum ægritudinum etiam pernitioſarum radicis rationem apertè ſubeant, nec potabiles aquæ, vi plumbea etſi parum imbutæ ſint, obſtruendi virtute prorſus careant, præter quam quòd metallicum quodcunquè Virus, naturæ humanæ infenſum eſſe iam ſupra fuit oſtenſum, iccirco illarum vſus omnino erit fugiendus. Sed inſurgit dubitatio, ex quo antiqui diſtinxere plumbum

In p. de cõ poſ. medi. ſec. loc. cap. 2. & in 3. eiuſdem cap. 3. in p. lib. de antid. cap. 8. in 7. de cõ poſ. medi. ſec. loc. cap. 2.

In 2. p. doctr. 2. cap. 16.

In 8. lib. ad calcem.

In p. lib. de loc. affect. cap. 2

In 34. lib. cap. 16. in duo genera vti Plinius teſtatur in plumbum videlicet nigrum, de quo iam dictum eſt, & plumbum album, quod ſtannum apud nos vocatur; vtrum ſtannum ipſum habeat eandem vim refrigerandi, quam nigrum plumbum habet, quod ſi habet, vtrum veluti, & illud aquas quibus immergitur vitiare poſsit. Dicimus eo modo, ſi non forte intenſiori refrigerare vtique poſſe, minime verò vitiare: Nam qua plumbum eſt refrigerare poteſt, qua verò purum, & veluti illud eſt minime ſordidum, aquam vitiare non poteſt: purum ſiquidem id eſſe præſe ferunt inſignis candor, quo argento ſimillimum eſt, perceptus ſtridor dum dentibus flectitur, & internæ illius recenter effractæ partes, ſi effracti calybis inſtar, granoſæ ſeſe oculis offerant: Hoc quanquam metalla omnia abominetur, vno dempto nigro plumbo, ob quandam quæ inter ipſa extat ſympathiam, ita vt auro atquè argento nobiliſsimis metallorum, vel ex centeſima additum fragilia reddat, nullam attamen inditis in vaſis ex illo extructis medicamentis malarum quę nigro plumbo inſunt qualitatum impartitur, ſi Galeno fides adhibenda eſt approbanti ſtomachicum ex beſaſa, hoc eſt ſemine rutæ ſylueſtris Heræ medicamentum Dyſentericis etiam ipſis ſummè conueniens in ſtanneo vaſe adſeruari: qui & in virtute conſeruandi parum, immo nullum diſcrimen ponere videtur inter ipſum, & vitrum; dum ex Aſclepiade de Acopo pertractans inquit, Poſtea in Vitreo, vel ſtanneo vaſe illud repones: Et longè clarius de Paſtillorum ex viperis compoſitione ſermonem habens, Debent ait donec Theriacam conficere volueris, in vaſe ſtanneo, aut vitreo, aut etiam aureo recondi: vellenſquè differentiam, quæ inter ipſum, & plumbum eſt detegere, in hæc verba prorumpit Vitro ſiquidem, & auro nihil fraudolenter admiſceri poteſt: ſtannum autem plumbo adulteratur, quod vitare conueniet, non ſolum in hac antidoto, ſed, & in qui-

[Margin notes: In 6. lib. de comp. medi. ſec. loc. cap. 9. — In 7. de comp. medi. per genera cap. 12. — in 1. lib. de antidotis. cap. 8.]

" quibuſcunquè alijs medicinis: Ex quo loco elicitur Stannifabris, lucri vt potè amore ductis, fidem minimè eſſe adhibendam, dum puriſsimo ſtanno, abſolutis illud verbis præferre conantur, cui nigri plumbi aliqua admixta ſit portio (illis anteponere, icc irco tantum permittatur, fortè quoniam eo in elaborando minus laborant) videmus nempè illud, quod ex Britannia aduehitur, ſiue laboratum, ſiue rude, quodcunquè aliud quia puritate, ideò & nitore, & perfectione ſuperare: Hinc, & conſtat epulas præcipue actu calidas parum ſalutariter locari in Patinis ex illo extructis, quod Venetijs elaboratur, ſolent nimirum vaſa conficientes cum ipſo, & aliquid cinerulenti, & nigri plumbi commiſcere: Nec hiſce obſtat, ſtannum Antiquorum fuiſſe diuerſum à noſtro, nam non modò diuerſum, verum, & duplex illud fuiſſe vnà cum Plinio fatemur, artificiale ſcilicet, & naturale, quorum primum, quoniam ex plumbo albo (à nobis ſtanno vocato) & plumbo nigro inuicem permixtis, modò vna modò altera, vtriuſquè ſeruata proportione conficiebatur, ſatis conſtat de eo, loco iam citato Galenum nequaquam intellexiſſe, vbi de vaſis loquitur, in quibus Paſtilli Theriacales debent recondi, apertè cum dicat id plumbo poſſe adulterari, igitur in ſe eo adulteratum non eſſe ſupponit: ita vt remaneat concludendum Galeni dictum de ſtanno naturali eſſe intelligendum: Quid autem per ſtannum naturale ſibi velit, valdè dubito, & eo maximè, quoniam eſſe nullo pacto poteſt id, quod ſtannum Antiquorum fuiſſe narrat Plinius, dum inquit Plumbi nigri origo du- plex eſt: aut enim ſua prouenit vena, nec quicquam aliud ex ſe parit; aut cum argento naſcitur, mixtiſquè venis conflatur. Eius qui primus in fornacibus fluit liquor ſtannum appellatur. Pro quo ſciendum eſt, aliquos lapides reperiri, qui in ſe plumbum habent cum argento ſimul, à quibus in fornace ab Antiquis poſitis,

In 34. lib. cap. 17.

in p. lib. de antidotis. cap. 8.

In 34. lib. cap. 16.

quod

quod eliquatum primo egrediebatur; apud ipſos ſtannum erat, ita vt ſtannum (veluti recitat Plinius) nihil erat aliud niſi plumbum cum portione argenti aliqua commixta; At illud non eſſe de quo Galenus loquitur, ipſe lucidè oſtendit, dum ab illius natura plumbum excludit prorſus: quo fit vt credam Galeni ſtannum haud rem eſſe, quam nos deſpiciamus (vti nonnulli fortè exiſtimarunt) fatuum ſiquidem eſſet illud deſpicere, cui Galenum plurimum tribuiſſe, ex allatis iam planè perſpicuum eſt, quinimmò potius, vel rem quandam eſſe, qua nos caremus, vel ſi veritatis habenda eſt ratio, nil aliud fuiſſe, quam ſtannum noſtrate, ex quo in hoc, dum ſincerum eſt prorſus, & nullatenus adulteratum, egregias illas contenta conſeruandi dotes, quas ſuo Galenus attribuit, excellere Medicorum vnuſquiſquè potuit animaduertiſſe. At vnum hic minimè eſt prætereundum, ex quo Plutarchus ſermonem faciens de hoc modo refrigerandi, mentionem fecit de plumbo in laminas redacto, de quibus quidem laminis loquens Ariſtoteles dixit illas ſuper aquam natare, & plumbum in globos figuratum vt Acus ſubmergi, ita vt laminæ ſubmerſionem, quã ſine frigiditas non aſſequitur, aliquando refugiant: quod mirum videtur, & præcipue ſi eadem prorſus plumbi quantitas, quæ prius laminæ figura inſignita erat, in globum cogatur, ita vt nullo ſuper accidente penès pondus diſcrimine, res tota in figura ſita ſit: Dicimus huiuſce rei cauſam eſſe, quoniam globi ſuperficies in punctum vergit, quadrati planities in plura puncta diffuſa eſt, quapropter cuilibet laminæ parti, quælibet aquæ pars, & ſubiecta loco, & obiecta eſt poteſtate, igitur nec lamina aquam abſcindere, nec aqua à lamina abſcindi poteſt: quotieſcunquè ipſa, & tenuis valdè ſit, æqualiſquè ſuperficiei, meritò cuius tangat, & tangatur æqualiter: nam quæ tales non ſunt de facili merguntur: legimus enim apud Phyloſophum, continuorum corporum veluti quædam eſſe, quæ citò, & quæ tardè abſciſſionem recipiunt.

Vbi ſupra.

In 4. Cœli tex. 42.

In 4. Cœli tex. 44.

unt, ita & aliqua eſſe, quæ cito, & aliqua quæ tardè abſcindunt. Sed oritur Difficultas ex quo lamina plumbea, ob aſsignatam rationem, aquam non poteſt abſcindere, vnde ſit, quòd aqua abſcindatur à cubo, qui eiuſdem prorſus planitiei cum lamina ipſam abſcindere non valente, ita vt ſubmergatur: Cauſa eſt, quia per dimenſionem profunditatis ad perpendiculum multæ plumbi partes incumbunt ſingulis aquæ partibus, quibus paucæ laminæ partes incumbebant propter eius tenuitatem.

QVOMODO IDEMMET PRAESTARI POSSIT OPE HALINITRI.

CAP. V.

IAM modus differendus non eſt, quo halinitri ope calorem ab aqua multi abigunt: quem à Nautis ſiue Nauicularijs, cœteris vt potè refrigerandi hucuſquè ferè modis carentibus, adinuentum fuiſſe ferunt; qui ita abſoluitur, in centum aquæ libris, halinitri puri viginti quatuor libras, hoc ſeruato ad amuſsim ordine infundunt; Primo ſcilicet ex tribus dictæ iam quantitatis partibus, duas hoc eſt libras ſexdecim, & ſenſim Piſtillio ligneo vertunt, lente primò, inde paulò concitatius, donec creſcente frigiditate celerrimè vertatur, ſemperquè ad eandem partem, & cum ad inſignem frigiditatem peruenerit (quòd digito deprehenditur) Addunt dimidium reſidui halinitri, ideſt libras quatuor, ac denuo vertunt, Vltimo quatuor alias libras ſuperaddunt, circumaguntquè tandiu, quandiu ad ſummum frigiditatis aqua peruenerit: in qua quidem hoc modo diſpoſita oenophora ſeu vino, ſeù aqua, quam præfrigerare intendunt, plena, modò immergunt, modò hinc inde per ipſammet halinitroſam

aquam circumducunt, & via vtraquè intenſiſsimam frigiditatem potulenta materia concipit: quinimmo in eadē ſi vitrei calices: vel pateræ argenteæ demerſæ ſteterint, vſquè adeò frigeſiunt, vt potulentam ipſammet materiam, in ipſis immediatè extractis poſitam, ad ſummum frigiditatis reducant: quod non abſquè inſigni interturbatione primò expertus fui, dum in Caſtro Sancti Archangeli ægrotaurem Vxorem D. Antonij Carafæ, Pauli quarti Summi Pontificis Nepotis, viſere mihi accideret: Circa quem præfrigerandi modum dubitationes oriuntur, quarum nonnullæ doctiſsimis vndequaquè viris non leue negotium fecerunt: Prima quarum eſt, qua ratione effectum hunc, infuſum in aqua producat halinitrum, ex quo calidum eſt, & ſiccum, nam inter genera ſalis tenuiſsimum eſt; non niſi enim tenuibus, & ſicciſsimis partibus conſtare poteſt, cum ex putredine quadam coaleſcat, in coementis ſiquidem vetuſtis exoritur, & vbi iumentorum excrementa in terra computruerunt: & quamuis differat à Nitro Antiquorum, quo nos carere, & Braſauolus, & Mathæolus aſſerunt, quod tamen haud interijſſe contendit Iulius Cæſar Scaliger, in centeſima quarta aduerſus Cardanum exercitatione, diſtinctione quintadecima: Perſimile tamen quoniam illi eſt veluti apertè ipſemet Mathæolus fatetur, igitur calidum, & ſiccum eſſe minimè dubium eſt, nam & tale nitrum ipſum eſſe Galenus edocet: Et Ioannes Meſue limitans gradus vtriuſquè qualitatis, in Nitro dominantis, in 17. Capite ſecundi libri inquit, calidum eſſe initio tertij, & ſiccum tertio, ita vt ex his pateat, toto Cœlo illos errare qui actualem frigefaciendi facultatem halinitro attribuunt, veluti infrà patebit. Quo autem particulari modo ipſam producat, non benè perſpicuum eſt, immo circa rem hanc tres extant opiniones. quarum prima ſtatuit Aquæ frigiditatem ex halinitri permixtione iccirco intendi, quoniam ob illius corpulentiam denſitatem acquirit, At in denſiori ſubiecto intenſiorem frigi-

In examine ſalium.

In p. lib. Dioſcoridis cō. 89.

Vbi ſupra.

in p. lib. de facult. ſim pl. medic cap. 4. & 24 & in 4. eiuſdem. cap. 21. tum, & in 9. lib.

dita-

ditatem fundari videtur, veluti patet de aqua ipſa, quæ quò magis tendit ad naturam glaciei, intenſiores gradus frigiditatis concipit: quod quamuis verum ſit, quotieſcunquè Aqua ipſa acquirit denſitatem, via congelationis, nec non & via permixtionis alicuius rei denſare potentis, cuius tamen temperamentum frigidum ſit, veluti ſi albus marmor in tenuiſsimum puluerem redactus permiſceretur: ſtatutæ nempè ſubiecti denſitatis eſt illius actionem vigorare: ſtatutæ inquam, at non à permixto quocunque ſubiecto indiſcriminatim producta: nam hoc de ſubiecto denſante, calido tamen, quale halinitrum eſt, non poſſe verificari ex Galeno didicimus inquienti, ſi pauco aceto, quod quidem plus frigidum eſt, quàm mel calidum, mellis multum miſceatur, calorem, & frigus ſtatim manifeſtè ſentiri: ita vt pateat mellis mixtionem vnà cum denſitate ſenſum caloris, non frigoris in tali cramate producere: immò clarius ex ipſomet Galeno elicitur, dum inquit, quòd cineres inter quos, & calcem ipſam recenſet, ſi aqua macerentur, in ipſam calidam facultatem deponere, at meridiana luce clarius eſt, non poſſe talem calidam vim contribuere niſi, & denſitatem vnà impendant: Nec obſtat Galenum ibi loqui de potentiali tùm frigiditate, tùm caliditate, de quibus homo altioribus animæ potentijs præbet iudicium ex oppoſitis diuerſiſuè paſsionibus illatis ab eo, ſeu à perſimili cramate pro vt habet rationem obiecti guſtabilis organo ſenſus guſtus: quoniam ſi introſpicere volumus, vnà & verificatur, quamuis non æquè perſpicuè de dictis qualitatibus actualibus, pro vt habent rationem obiecti tangibilis: Nec valet Galenicum illud crama, eſſe obiectum guſtabile, quoniam ſi guſtabile, igitur & tangibile eſt, etiam reſpectu eiuſdemmet organi: nam præterquamquòd dixit Phyloſophus guſtum eſſe quendam tactum, Themiſtius guſtum, & tactum in vna eademquèmet parte linguæ eſſe aperuit, immò, & in ſingulo organo cuiuslibet ſingularis ſen-

in 4. lib. de fac. ſimpl. medi. cap. 12.

in 8. lib. de facult. ſimpl. medi. cap. de cinere.

in 2. lib. de anima tex. 94. in eod. lib. cap. 39

ſenſus, ſubſtratus neceſſariò: reſidet ſenſus tactus, quamuis in reliquis particulares ſenſationes, ideo ſeiunctæ ſint, quoniam ab illis perceptæ ſpecies, vel abſquè materia, vel minus materiales ſunt: ergo magis immediatè, actiuæ duæ illæ primæ qualitates prout actuales percipiuntur, vt verò potentiales immediatè minus: Cauſa verò quamobrē in eodē cramate ſenſus maioris minoriſuè, ſeu caliditatis ſeu frigiditatis actualis ſentiatur, eſt, quia partes illud integrantes retinent, vti alibi dictum eſt, vnà cum proprijs formis illas concomitantia, de numero quorum eſt temperamentum, meritò cuius non quoduis ens corporeum inanimatum ad quodcunque tale collatum, in æquali eſt potentia paſsiua cœteris paribus, ad concipiendum eoſdemmet gradus extraneæ dicamus nunc frigiditatis, nam lignum, calx viua, cinis, carbo, & pellis gelido aeri expoſita non tantam frigiditatem concipient quantam alabaſtrum, vel argentum: Et nè à fluxibilibus recedamus, ſi aqua ardente plenum vas in niue ſepeliatur, nihilò ſecius vret guttur atquè etiam puſtulas ciet: vel vt in cramatibus perſiſtamus, dictæ ardentis aquæ vncia aſſumatur totidem, & ſtillatitiæ aquæ ſolani ſomniferi, poſtquam illius loco habere non licet aquæ fontis alicuius, Aethiopiæ Trogloditicæ, quas omnes tàm gelidas ſuaptè natura eſſe ſcribunt Luſitani, vt incolarum dentibus vitium faciant, peregrinos torminibus necent: inuicem permixtæ quandiu libuerit, aliquo in loco perſiſtant, ipſas alterare potente, & crama illud, quod viſu vndequaquè homogeneum iudicatur, ab vtroquè enim permixtorum indiſcriminatim aquæ faciem contrahit, & conſiſtentiam; ſi in ore detineatur (quo toto, non palato modo, & lingua, de tangibilibus iudicamus) oppoſita procul dubio, quò ad primas actiuas qualitates, in ipſo tactiua fiet ſenſatio, oppoſita inquam, non conſpicua illa vnicuique oppoſitione, dum iam actuata ſunt, ſed illis tantum nota qui rimulas quaſque naturæ perquirere non dedignantur; & quomodo fieri non

In poſtremo. 5. capite p. lib.

ri non poteſt? cum aqua ipſa ardens ignis quodamodo ſit, non illatus ab igne fornacis, ſed qui à multis contrarijs partibus vini, illius opera liberatus, aliquatenus actu ignis factus eſt: Propterea ſapientiſsimè præcipit Plato in Phædro, & in Philebo apertius, & iuxtà diuini Hippocratis ſententiam, pro rei cuiuslibet natura exactè dignoſcenda, operepretium eſſe quid illarum vnaquæque apta ſit agere, vel pati expendere: Ex hiſce cōſtat neque obſtare diuerſam eſſe proportionem à Galeno aſsignatam inter acetum, & mel ab ea quam inter aquam, & halinitrum iam nos aſsignauimus, hoc enim conſpicuum eſt: At ex allata aſſertione, denſitas maior qualiſcunque illa ſit intenſiori frigiditati magis fauere videbatur: in dicto tamem Galenico cramate, in quo maior abſquè comparatione eſt denſitas, & caloris ſenſus, qui veluti abſquè illa non inerat, ſic non niſi illius adiumento percipitur: ergò denſitas aquæ ex halinitro acquiſita, quæ ſatis pauca eſt quantumcunquè illud oppoſiti è diametro eſſet temperamenti, non poteſt eſſe cauſa producens tantæ frigiditatis, quanta debitis circumductionibus abſolutis in ipſamet aqua ſenſu depræhenditur. ALII dicunt effectum hunc produci per viam Antiperiſtaſis, qua contrarium à contrario ſolet intendi, quoniam ſcilicet frigiditas aquæ congregata à contrario calore halinitri cum ea permixti, efficiat ipſammet aquam in qua reſidet longè frigidiorem, quàm ſit ante halinitri permixtionem: idemmet ſentire conſueuerat aliàs Marcus Antonius Zimara, vti ipſemet teſtatur: At duas poſtea ad memoriam reuocans Ariſtotelis Propoſitiones, Prima quarum in primo de generatione, & corruptione, nos edocet actionem meritò contrarietatis fieri: Secunda qua tùm in tertio phyſicorum, tùm in nono metaphyſices, omne quod agit agere inquantum eſt in actu, & non inquantum eſt in potentia, Halinitrum autem, vt potè calidum in potentia tantum, per viam antiperiſtaſis aquam refrigerare non poſſe dixit: Et ſic reiecit ſuam pri-

Opinio ſecunda.

In ſuo lib. Problem. probl. 10.

primariam hac in re multorumquè aliorum opinionem? Quæ quamuis meritò explodenda ſit, tanquàm veritati minimè conſona: In hoc tamen Problemate enodando, multifariam peccaſſe viſus eſt tantus Phyloſophus: Primò quia non aſsignauit veram cauſam quamobrem halinitrum non poſsit refrigerare per viam antiperiſtaſis: non enim eſt, quia careat actuali caliditate, vti ipſe aſſerit: quantumcunque enim calidum eſſet etiam in intenſiſsimo gradu, ea tamen via refrigerare haud poſſe ſenſibili experimento nemo eſt, qui exactè comprehendere non poſsit: Nam ſi quis plures ignitos lapides in gelidam aquam proijciat, & inde eam non calefieri, ſed frigefieri contendat, nemo hercle non clamabit eum ſenſus pœna dignum eſſe; Cauſa igitur eſt permixtio frigefacientis halinitri; & adnexa permixtioni, de quibus dicendum modò erit, vnà cum aqua frigefienda: De ratione ſiquidem actionum quæ per antiperiſtaſim fiunt, eſt, vt Ens Agens non permiſceatur cum ente illam ſuſcipiente: Requiritur enim motus propulſionis, qui permixtioni iccircò repugnare videtur, quoniam cum Propellens, à ſe quaſi reijciat, & Propulſum cum ſeſe ſubtrahat, inuicem nequeunt permiſceri: Ita vt Actio, quæ per viam Antiperiſtaſis fit, veluti permixtionem excludit, ita & circumſiſtentiam expoſcit: Propterea Ariſtoteles in quarto libro Metheorologicorum; Vbi de Grandinis generatione agit, calidum ſupremæ, infimæquè Regionis aerem, non miſcet cum aere mediæ Regionis, ſed illi circumponit. Secundò quia ab Halinitro dum actu frigefacit aquam, actualem caliditatem excludit prorſus: Poterat vtiquè, & iuremeritò, eam ab ipſo excludere, dum in aquam immediatè immergitur: Quam tamen fortè non excluſiſſet, poſt ſufficientem illius cum aqua circumductionem, ſi non ſufficere exploraſſet: Ad hoc vt tanta aquæ quantitas ad ſummum frigiditatis reducatur, tanta tantùmodo, & Halinitri quantitas imponatur: ſed & inſimul neceſſe

eſſe,

eſſe, vt per tantum temporis ſpacium, vnà circumducantur, & vehementiſsimè, vti dictum iam eſt; Quo motu Halinitri potentialis caliditas ita acuetur, vt Aquam eo prorſus modo, quo nunc aperiemus, refrigerare valeat: Nec obſtat, vnico dum motu duo entia mouentur, vnum calefieri, aliud frigefieri: Nam preterquamquòd ſol eadem irradiatione lutum indurat, & ceram emollit, Hominemquè nigrum reddit, & linteum candidum facit; Quorum cauſſam reddit Alexander: Et quod minus cognitum eſt; Rota lapidea dum circumducitur, quæ vnicum corpus eſt, à pluribus integratum partibus, illa dum vnico motu mouetur, illius aſcendentes, violenter veluti mouentur partes, ita & deſcendentes naturaliter: ſed ad traditam ab Ariſtotele notam propoſitionem accedentes; Qua aſſerit: Entia habentia contrarias qualitates, dum miſcentur, neceſſe eſſe, vt in dictis qualitatibus remittantur, per actionem exiſtentem in eis meritò contrarietatis. Igitur Halinitrum quantumcunquè actu calidum eſſet, dum cum aqua actu frigida permiſcetur, veluti ab aquæ frigiditate, ſua caliditas remitteretur, iuxtà traditam iam regulam, ita & illud frigiditatem aquæ remitteret; Minimè verò (Quod illud præſtare, nos docet experientia) illam vehementiſsimè intenderet. Res autem aliter ſe habet, dum concurſus, atquè circumſiſtentia fit, veluti in Antiperiſtaſi: Non ergo conuincit, Halinitrum non eſt actu calidum, dum aquæ permiſcetur, igitur per viam Antiperiſtaſis non frigefacit: Nam eſto, quod non calidum modò, ſed & calidiſsimum ſit, non poſſet hac via frigefacere, quæ (vti iam dictum eſt) ſicuti permixtionem neceſſario excludit, ita & circumſiſtentiam requirit.

In p. libro Problem. Probl. 89.

In 5. Phyſ. tex. 9. & 2. Cœli tex. 37.

Dvm poſtea ſuam nouam in medium affert opinionem, mihi in eadem culpa eſſe videtur, cauſa cuius contrà Illuſtres in aliqua ſcientia Viros, quaſi excandeſcens, inquit, illos quotieſcunquè in aliquo errant, minus Illuſtribus, errare longè grauius, veluti Auicenna, qui Phyloſophi-

In eodem lib. Probl. Probl. 11.

am, vnaquè, & Medicinam, quamuis tantum nouerit, quantum Docti ſciunt, dixit hominem perfectiſſimum omnium animalium, ex terra naturaliter poſſe produci, veluti & Murem, & imperfecta alia huiuſcemodi anima-
In 2. Metaphyſ. com. 15. & in 8. phyſ. com. 46. lia: Et Auerroes, qui hæc deridens de ipſo enarrauit, fatuumquè illius ſermonem nuncupauit, cum nulla vnquam à lege, quantumcunquè validiſsima perſuaſione conuerti potuerit, cuidam tamen Mulierculæ, inique toleranti ſuam dignitatem violari, ſe citrà viri vſum in balneo calidæ aquæ, in quo ſceleſti quidam homines ſemen eiaculauerant, confeſtim concepiſſe iuranti: Non modò illud verum eſſe ſibi perſuaſit, ſed & Auemcladis auctoritate comprobare ſtuduit. NOVA autem hæc opinio ſuadet nobis, ex quo aqua, qua vinum intendimus refrigerare, etiam ab halinitro non tacta, perpetuò vino refrigerando vt ſit frigidior; ex admixto ſibi halinitro, ipſam adhuc, & frigidiorem iccirco effici; Quoniam cum Halinitrum ſit actu frigidum, ſua actuali frigiditate, aquam contangendo, eam, & frigidiorem adhuc efficit, ita vt à duabus ſimul iunctis frigiditatibus, vinum in tali aqua demiſſum frigidius efficiatur. Vnum & addit, Medicos ſcilicet adſcribere cauſam potentiali caliditati halinitri; Quorum ſententiam conatur refellere, inquiens caliditatem hanc non eſſe abſolutam, ſed reſpectiuam tantum, hoc eſt ad corpus humanum collatam. Opinio hæc peccat, & multipliciter. Primò quoniam ſupponit vinum refrigerandum, actu perpetuò frigidum minus eſſe aqua, halinitro non adhuc permixta, qua debet refrigerari: Quod falſum eſt: Nam cum quælibet aqua etiam tepida, halinitri permixtione, ad ſummum frigiditatis redigi poſsit (veluti experientia docet) ſtat, quòd refrigerare volentes, vt potè rei huiuſce optimè gnari, aquam vino refrigerando non perpetuò frigidiorem eligant. Secundò, quia ſi dictæ aquæ frigiditatis gradus intenderentur, ab actuali frigiditate reſidente in halinitro ipſam

contangente; Refrigeratoriæ arti dediti homines, conuicijs ab omnibus carpendi profectò eſſent, multa negligentes, quorum adiumento, via hac longè intenſius halinitro, longeque tùm breuiori temporis interuallo, tùm minori diſpendio, & labore refrigerare ipſam poſſent; Nam vt multa ſilentio inuoluam, remquè nemini prorſus ignotam proponam; ſaxa fluminum actu longè halinitro frigidiora eſſe, non eſt, qui adducta paulò ante ratione depræhendere, immò tactu ipſo experiri non poſsit. Poſtremò dum damnat Medicos, parum ſe oſtendit in Medicina proceſsiſſe: Nam cum verè Medicus non ſit, qui non eſt & Phyloſophus, id integro libello probante Galeno; Qui verè Medici ſunt, nullo pacto poterunt, tanti effectus cauſam adſcribere potentiali caliditati halinitri, optimè vt pote ſcientes, Actiones ab Agentibus nonniſi prout actu ſunt emanare poſſe; Quod vel teſte ipſo, Principium eſt per ſe notum, & ab omnibus conceſſum: Ni fortè eorum aliquis dixerit (quod mihi hucuſquè videre non licuit) tanti effectus cauſam eam eſſe halinitri caliditatem, quæ aliàs in ipſo in potentia erat, ad actum aliqua ſaltem ex parte redactam: ſic enim veritati conſona proferret, vti infrà patebit: Et dum inquit halinitrum non eſſe abſolutè, & ſimpliciter calidum, ſi per ſimpliciter intelligat tale eſſe, vt ſcilicet nihil eo ſit calidius, hoc tàm verum eſt, quàm manifeſtum: Nullum enim mixtum in hoc ſenſu poteſt eſſe abſolutè, & ſimpliciter calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, id cum elementis tantumodò in latitudine entium competere poſſit: Immò mixta, talia eſſe dicuntur magis, vel minus, prout magis, vel minus participant naturam iſtius, vel illius elementi iuxtà Galeni ſententiam: Si verò per non calidum ſimpliciter, intelligat illud non eſſe aptum immutare ad caliditatem, niſi corpus humanum, vti videtur innuere, dum inquit, id calidum eſſe reſpectu corporis humani: Hoc non eſſe ad mentem Medicorum ex ad-

In p. & 3. de Temp. lib. cap. p.

am, vnaquè, & Medicinam; quamuis tantum nouerit, quantum Docti ſciunt, dixit hominem perfectiſsimum omnium animalium, ex terra naturaliter poſſe produci, veluti & Murem, & imperfecta alia huiuſcemodi animalia: Et Auerroes, qui hæc deridens de ipſo enarrauit, fatuumquè illius ſermonem nuncupauit, cum nulla vnquam à lege, quantumcunquè validiſsima perſuaſione conuerti potuerit, cuidam tamen Mulierculæ, iniquè toleranti ſuam dignitatem violari, ſe citrà viri vſum in balneo calidæ aquæ, in quo ſcelesti quidam homines ſemen eiaculauerant, confeſtim concepiſſe iuranti: Non modò illud verum eſſe ſibi perſuaſit, ſed & Auencladis auctoritate comprobare ſtuduit. NOVA autem hæc opinio ſuadet nobis, ex quo aqua, qua vinum intendimus refrigerare, etiam ab halinitro non tacta, perpetuò vino refrigerando vt ſit frigidior; ex admixto ſibi halinitro, ipſam adhuc, & frigidiorem iccirco effici; Quoniam cum Halinitrum ſit actu frigidum, ſua actuali frigiditate, aquam contangendo, eam, & frigidiorem adhuc efficit, ita vt à duabus ſimul iunctis frigiditatibus, vinum in tali aqua demiſſum frigidius efficiatur. Vnum & addit, Medicos ſcilicet adſcribere cauſam potentiali caliditati halinitri; Quorum ſententiam conatur refellere, inquiens caliditatem hanc non eſſe abſolutam, ſed reſpectiuam tantum, hoc eſt ad corpus humanum collatam. Opinio hæc peccat, & multipliciter. Primò quoniam ſupponit vinum refrigerandum, actu perpetuò frigidum minus eſſe aqua, halinitro non adhuc permixta, qua debet refrigerari: Quod falſum eſt: Nam cum quælibet aqua etiam tepida, halinitri permixtione, ad ſummum frigiditatis redigi poſsit (veluti experientia docet) ſtat, quòd refrigerare volentes, vt potè rei huiuſce optimè gnari, aquam vino refrigerando non perpetuò frigidiorem eligant. Secundò, quia ſi dictæ aquæ frigiditatis gradus intenderentur, ab actuali frigiditate reſidente in halinitro ipſam con-

In 2. Methaphys. com. 15. & in 8. phyſ. com. 46.

contangente; Refrigeratoriæ arti dediti homines, conuicijs ab omnibus carpendi profectò eſſent, multa negligentes, quorum adiumento, via hac longè intenſius halinitro, longequè tùm breuiori temporis interuallo, tùm minori diſpendio, & labore refrigerare ipſam poſſent; Nam vt multa ſilentio inuoluam, remquè nemini prorſus ignotam proponam; ſaxa fluminum actu longè halinitro frigidiora eſſe, non eſt, qui adducta paulò ante ratione depræhendere, immò tactu ipſo experiri non poſſit. Poſtremò dum damnat Medicos, parum ſe oſtendit in Medicina proceſſiſſe: Nam cum verè Medicus non ſit, qui non eſt & Phyloſophus, id integro libello probante Galeno; Qui verè Medici ſunt, nullo pacto poterunt, tanti effectus cauſam adſcribere potentiali caliditati halinitri, optimè vt potè ſcientes, Actiones ab Agentibus nonniſi prout actu ſunt emanare poſſe; Quod vel teſte ipſo, Principium eſt per ſe notum, & ab omnibus conceſſum: Ni fortè eorum aliquis dixerit (quod mihi hucuſquè videre non licuit) tanti effectus cauſam eam eſſe halinitri caliditatem, quæ aliàs in ipſo in potentia erat, ad actum aliqua ſaltem ex parte redactam: ſic enim veritati conſona proferret, vti infrà patebit: Et dum inquit halinitrum non eſſe abſolutè, & ſimpliciter calidum, ſi per ſimpliciter intelligat tale eſſe, vt ſcilicet nihil eo ſit calidius, hoc tàm verum eſt, quàm manifeſtum: Nullum enim mixtum in hoc ſenſu poteſt eſſe abſolutè, & ſimpliciter calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, id cum elementis tantumodò in latitudine entium competere poſſit: Immò mixta, talia eſſe dicuntur magis, vel minus, prout magis, vel minus participant naturam iſtius, vel illius elementi iuxtà Galeni ſententiam: Si verò per non calidum ſimpliciter, intelligat illud non eſſe aptum immutare ad caliditatem, niſi corpus humanum, vti videtur innuere, dum inquit, id calidum eſſe reſpectu corporis humani: Hoc non eſſe ad mentem Medicorum ex adducto

In p. & 3. de Temp. lib. cap. p.

In 8. lib. de facult. ſimpl. medic.

ducto paulò ſuperius Galeni dicto conſtat; quo aſſerit calcem, & cinerem aqua macerata, in ipſam calidam facultatem deponere. Nec obſtat talia calefacere vtiquè aquam, ſed non actu: Dico quòd actu aquam calefaciunt dũ in ipſam calidã facultatẽ deponunt, quamuis caliditas illa, ſeu facultas calida actu recepta in aqua, reſpectu aquæ potentialis ſit: At inſtare poſſet aliquis dicens, vel idemmet accidit aquæ ex permixtione halinitri, quod ex permixtione calcis, & cineris, vel non; ſi non, igitur halinitrum non erit aptum immutare niſi corpus humanum, ex quo non immutat aquam, entium omnium maximè mutabilem; Ab omnibus ſiquidem mixtorum paſsionibus immutare valentibus, facillimè immutari eam videmus, veluti ab odoribus, coloribus, & ſaporibus; Si verò ipſam immutare poteſt, vel ad caliditatem, vel ad frigiditatem, ſi ad caliditatem, igitur non producit illum effectum, immediata cuius cauſſa nunc inquiritur: ſi ad frigiditatem; Queritur cur maior ſit ratio de vno ſimplici calido, quàm de alio, ex quo cinis, atquè calx, calefaciunt, halinitrum verò frigefacit: Dicimus halinitrum in aquam, cui permiſcetur, calidam facultatem deponere eo modo, quo, & reliqua ſimplicia, de quibus dictum eſt, quantum tamen illius competit naturæ, vnaquè, & ad actualem frigiditatem omnimodam ipſam deducere ea via, quam paulo infrà manifeſtabimus; Quod tamen, nec illa duo, nec aliud vllum præſtare valet in latitudine ſimplicium omnium, & cauſſa infrà patebit; ita vt coeant in aqua caliditas potentialis quædam, & frigiditas actualis ſumma: Nec obſtat nos dixiſſe, quæ calida ſunt potentia, præſentibus exiſtentibus Agentibus, actu frigefacere potentibus, minus de actuali caliditate concipere his, quæ talia non ſunt: At de duobus effectibus ab halinitro aquæ impertitis, ſuſceptio potentialis caliditatis præcedit tempore regreſſionem ad tàm intenſam frigiditatem, veluti notum eſt, quo fit vt ſtantibus his quæ dicta ſunt, præcedens ſuſceptio po-

potentialis caliditatis videtur habere rationem cauſæ prohibentis pro parte ſaltem aduentum tàm intenſæ actualis frigiditatis: Dicimus dictum noſtrum verificari de ijs, quæ talia ſunt ſuaptè natura, minimè verò de his, quæ talia extrinſecus effecta ſunt, qualis eſt ipſa aqua, cui caliditas, qualiſcunquè ſit extranea eſt, & violenta: Peccat etiam dum deſumens exemplum à Rhabarbaro ait, illud infrigidare Equum, & calefacere Hominem: Immò illorum vtrumquè calefacit, & infrigidat, calefacit autem, cum ab innato vtriuſquè calore ad actum redactum eſt, & per ſe; infrigidat autem per accidens purgando præcipuè bilem humorum calidiſsimam, qua Equi maximè abundant: Ac cauſa tanti effectus non magis à Medicis perquirenda eſt, quàm cur ſol æſtuantem ſub cane, & ante canem reddat hunc aerem; id munus cum ſit naturalis ſeu Aſtrologi, ſeu Phyloſophi, cui Auerroes tàntum tribuit (Doctrinam cuius paulominus, quam ſolam ipſe Zimara profiteri videtur) vt dicat Medicum condecere, Membrorum complexionem à naturali phyloſopho deſumere: Tenetur Medicus, & æſtuantem aerem, & ab halinitro immodicè frigidam redditam aquam conſiderare, prout ille, & hæc maximè habet rationem validiſsimæ cauſſæ primitiuæ, tot, ac tales morbos producentis, quot, ac quales, à nobis quantum præſens exigit tractatio in tertio libro oſtenſum eſt: Sed iam deueniamus ad poſtremam opinionem, quæ eſt Baldaſſaris Piſanelli Bononienſis Medici: Qui primò apertè negat, Aquam via hac ſtrenuè frigefieri, vnaquè, & cauſſam diminutæ, vel debilis frigefactionis ſtatuit, violentum circumductionis motum, à quo cum frigidiores aquæ partes ab intimis ſtatutæ illius quantitatis partibus ad extimas traduntur, circumambientem illæ calidum alioqui aerem vſqueadeo frigefaciunt, vt ab ipſius contactu aqua non amplius incaleſcere poſsit, & ſic frigida permaneat. Opinio hæc non poteſt admitti. Primò quoniam ſi ſolo violento agitationis

In 2. lib. colliget.

Tertia opinio.

In calce libri de natura ciborum, & potus.

nis motu frigida magis (dato quòd in ſe parum) efficeretur, quàm humana expoſcat natura; nec curſu nobilitaretur (vti inquit Princeps) neque percuſſa proficeret, veluti ſcriptum reliquit Plinius: Secundò, quia repugnat ſenſibilibus experimentis; Nam quò ad impartitam frigiditatem, ſi manus quantumcunque in ipſis tactiua vigeat facultas, aſſuetæ aliòqui tamen, & maximè in latitudine omnium membrorum extrinſecus quibuſcunque alterantibus, ſi vel per breue temporis ſpacium demerſæ ſteterint in aqua, in qua eo modo, & tamdiu, quamdiu dictum eſt, halinitrum circumuolutum fuerit, ferè obſtupeſcunt: Quo verò ad cauſſam frigefactionis, ſi Aqua ſolo motu poſſet frigefieri, halinitrum addere ſuperuacaneum eſſet: Quo non addito effectus minimè ſubſequitur: Et Equi æſtate media potantes aquas è puteis recenter hauſtas, & non agitatas, minus torminibus tentarentur, quàm ſi eaſdem agitatas potarent: At quia de hoc abunde dictum eſt ſuprà, vbi de compendioſa aquarum correctione pertractauimus. IDEO Dicamus halinitrum, quamuis potentia calidum ſit, initio tertij, & ſiccum tertio, vti iam proditum eſt, aquam ad ſummum frigiditatis deducere poſſe: ſed audi qua ratione, & qua via; Non refrigerat per ſe, quia tantam actualem frigiditatem non habet, vt id præſtare poſsit: Nec refrigerat per ſe, quia poteſtate refrigerans Medicamentum non eſt: Quod non ſecundo modo admittit Zimara ſuponens illud calidum eſſe in potentia reſpectu corporis humani: Quod non primo modo probatur. Quia ſi lapilli actu frigidiores halinitro, illudquè vel mole, vel pondere, vel vtraquè via longè vincentes permiſceantur (vti iam tactum eſt) cum eadem aquæ quantitate, experientia conſtabit, aquam ad eos frigiditatis gradus nunquam peruenire poſſe; Ita vt concludendum ſit, illud per accidens refrigerare: Diuiſio hæc Galeni eſt inquientis, Aliqua refrigerant per ſe ipſa, nec intercedente alio, veluti frigidæ aquæ po-

In 2. p. Doct. 2. cap. 16.

In 31. lib. cap. 3.

In 20. cap. p. lib.

Opinio propria.

In 10. lib. methodi. cap. 10.

potio: nam actu refrigerans eſt: Succus vuæ immaturæ refrigerat, & per ſe, quia & poteſtate refrigerans medicamentum eſt: Sanguinis verò miſsio non primùm, ſed ex accidenti corpus humanum refrigerat, quia remouet cauſſam calefacientem: ſic & halinitrum, quia facit exhalare vapores, qui in Aqua ſunt, ideo ipſam frigefacit, ita vt circumductionis motus duo efficiat ſimul, diſponat ſcilicet aquam, ad vapores deponendos, ipſam attenuando, Et halinitrum ad eoſdem depellendos, potentialem illius caliditatem ad ſufficientem actualem deducendo: Idem, & preſtat ignis lebeti aquæ pleno ſubiectus, veluti in fumo abeunte compræhendimus intellectione, atquè etiam ſenſu; Abit autem promptiſsimè ille calor, quia contrario ſuo mixtus eſt; frigidiſsimam ſiquidem rerum omnium elementarem ſuapte natura aquam eſſe, iam dictum eſt; ſed extat diſcrimen quoniam ab halinitro vapores inexiſtentes depelluntur, noui non generantur, tùm quia calor illius potentialis eſt, qui & ſi per circumductionis motum actuetur, ita vt preſentes poſsit depellere, non vſqueadeò tamen, vt nouos producere valeat, & eò minus, quia aquę permixtum, ſua naturali frigiditate reſiſtit illa generationi ipſorum, quoniam naturæ ſuæ contrarij ſunt: Conſtat ſiquidem Entium nonnulla, inſita vi quadam, ita fauere depulſioni ſibi repugnantium, veluti & eorumdem productioni obſiſtere: Ignis autem, qui ſummæ actiuitatis eſt, agens in aquam, & ſummè; paucam ob reſiſtentiam, quia lebete medio plures longè vapores gignit, quàm exhalare faciat: Propterea in feruente aqua eſt qualitas, quæ vrit, teſte etiam Galeno, quamuis non quamlibet rem vſtibilem; non enim lignum, immò nec Pyrium puluerem; ſed cutim, quia in hac eſt proportio; in illis minimè; Immò Ariſtoteles dixit feruentem aquam eſſe exiguo igne calidiorem: & Hippocrates in libello de humidorum vſu, dixit, eiuſdem aſperſione cutim exulcerari: & cum vſtio corruptio quædam ſit ad igneitatem, omnem

in p. lib. de fac. ſimpl. med. cap. 4

In 2. de partibus animal. cap. 20.

vſtio-

vſtionem, vel ſimul cum flamma, vel à flamma fieri non eſt neceſſe: Quòd autem Præfrigeratio vaporum exhalationem conſequatur ex eo patefit, quoniam ſi aqua ad eandem partem non vertatur, antequam ad ſummum frigiditatis perueniat, illius Aduentum, multum prorogatur, egreſſu dum contrario motu agitur, vaporibus intercepto; à præſentia quorum frigida minus ſeruabatur: Quod cum ad frigiditatis ſummum peruenit, non amplius officere depræhenditur, quia exhalabiles, nec amplius ſuperſunt vapores. AT duæ hic inſurgunt difficultates, Prima quarum eſt, qua via circumductionis motus, ad actum redigat potentialem caliditatem halinitri: Secunda quomodo ab halinitri actuata iam dicta caliditate, quę habet rationem cauſſæ poſitiuæ, poſsit produci frigiditas, conſequens exhalationem vaporum, quæ habet rationem effectus priuatiui: Ad primam videtur dicendum, ex quo, ob vehementem motum circumductionis, aqua multum aeris neceſſariò concipit, tùm quia cum ipſa attenuetur, ſpontè, prompteque fluit circumfuſus aer, quamuis non vndequaquè ad proprium VBI, ne detur vacuum, & eò facilius, quia cum ad eandem partem aqua vertatur, per patentem quaſi viam pauca cum obſiſtentia ingreditur, dumquè ingreſſus eſt, attenuatur, & calefit: qui effectus quamuis à ſolidis corporibus, celerius, frequentiuſquè manare videamus, veluti in ſagittarum traiectione, iterataquè aliorum ſolidorum corporum confricatione; inter quæ, qui intercedit aer, atquè is fortaſſe, qui in eorum ſuperficie eſt, paruo momento, non modò calefit, ſed & igneſcit, idem & à fluidis corporibus quoquè fit, cuiuſmodi Nubes ſunt, à quarum motu veluti eliſio fit, ita & à motu aquæ, quamuis ideo tam intenſa non ſit, quoniam illa nubibus longè ſit tenuior: Ab ingreſſo itaquè aere, eliſoquè vi motus, tùm aquæ, tùm & permixti halinitri, ipſamet aqua attenuatur, vnaquè, & halinitri calor, qui in potentia erat, vſqueadeò actuatur,

vt ab eo inexiſtentes aquæ calidi vapores eo modo, quo dictum eſt depellantur; & ſic ad priſtinam frigiditatem vertatur Aqua: Cui cum violenta ſit, illa quantumcunque perexigua caliditas, quia tamen contraria frigiditas naturalis eſt, ideo naturali propenſione quadam ducta, redeundi ad ſibi dictam iam connaturalem frigiditatem, dictorum vaporum depulſioni maximè fauet: NEC inconuenit Agens poſitiuum producere effectum priuatiuum in Paſſo, illud quotieſcunquè intrinſeca naturali propenſione tantùm fauet depulſioni paſsionis ſibi violenter inhærentis; Aquam quantùm depulſioni caloris fauere proditum eſt: Nam ſapientes, veluti apud Auerroem videre eſt, Actionis præſtantiam, in congruam potius Paſsi diſpoſitionem, quàm in Agentis efficaciam reijciunt. DVAE & hic aliæ ſuboriuntur ex hac aſſertione manantes difficultates: Quarum prima eſt cur halinitrum in aqua circumductum incaleſcat: Aqua verò ipſa minimè, quinimmò præfrigeretur, & intensè, immò intenſiſsimè; cum tamen, & ipſa calefactionis ſit capax, vt conſtat. Secunda, & longè magis laborioſa, quam propoſuit ADOVARDVS GVALANDVS Reuerendiſsimus Cæſenæ Epiſcopus, Vir & generis nobilitate, linguarum, Bonarum Artium omnium, DEI què cognitione Illuſtris, Cur ſcilicet aqua ipſa, via hac ſibi connaturalem frigiditatem recuperans, non prohibeat potentialem halinitri caliditatem ad actum redigi; Nam eſto, quòd calidorum vaporum depulſioni faueat cauſa propriæ conſeruationis; Non conſtat quo pacto ipſa, aliòqui reſiſtere aſſueta cuicunque inſurgenti caliditati, ferat à ſe toties contactum ratione admixtionis, repetitaquè circumductionis halinitrum actu calefieri. Harum Prima haud ægrè perſolui poterit, ſi ad memoriam reuocare voluerimus duplicem aquæ ineſſe frigiditatem, iuxtà magnorum Virorum ſententiam, Auicennæ ſcilicet, Alberti Magni Conciliatoris, & Druſiani, vna videlicet actualis, & altera

In 2. lib. metheoro cap. 2. & in 2. de gene. animal. cap. p.

ra potentialis, actualis, vt quando eſt ſeparata ab igne, actuquè frigida eſt: Altera eſt frigiditas virtualis, à qua veluti dum actu calida eſt, in priſtinam actualem frigiditatem reducitur; ſic & ab eadem pro illius viribus, ne incaleſcat præcuſtoditur: Quemadmodum igitur, potentialis halinitri caliditas in cauſa eſt, vt ab eliſo per motum circumductionis introeunte aere, vſqueadeò id incaleſcat, vt calidos vapores depellere valeat, nouos tamen generare non valeat, ſic enim Aqua incaleſceret, non frigeſieret: ita & quamobrem non incaleſcat, dicta iam potentialis frigiditas in cauſſa eſt: Nec mirum ob oppoſitam in hiſce paſſis reſidentem diſpoſitionem: Hinc Pyrium puluerem, qui non abſquè prædominante halinitro conficitur, ab igne vix tactum protinus flagrare, immò prorſus comburi videmus; Lignum autem viride, quamuis cum illo penès id conueniat, quia de numero combuſtibilium eſt, nec tepeſcere, niſi poſt ſatis longam actionem, id prohibente excedente illius humiditate: Nec obſtat, Aquam haud impedire productam in ipſa ab igne caliditatem, vti dictum iam eſt, quoniam ignis ob vehementiam ſuæ actionis facillimè victoriam ferat; illius enim calor eſt in eo, ſicut abſciſsio in gladio dicebat Auerroes.

In 8. methaphyſic. com. 5.

Aquam verò ipſam quin minus halinitri potentialis caliditas ad actum perueniat, haud impedire poſſe iccircò videtur, quoniam cum principium talis actionis frigiditas ſit, ea non poteſt acie, halinitri temperamenti vires vincere, quibus vſqueadeò diſpoſitum eſt, calorem ſuſcipere, vt ab igne tactum, dum purum eſt, tàm citò ardet, vt ſulphure ipſo citius ardeat: Quod in halinitro, vt potè initio tertij gradus calido, & ſicco tertio gradu iam conſtituto, id longè minus præſtare poſſe ex eo apertè conſtat; Quoniam quin accenſa, in ipſaquè proiecta Camphora, vehementer etiam ardeat, teſte experientia, impedire minimè poteſt: Omitto proprium bituminis eſſe, non ſecus ardere in aqua, quàm extrà; nec obſtat illud calidum, & ſiccum

cum eſſe in ſecundo ordine teſte Galeno; Quoniam, & Serapio, & Auicenna Camphoram ipſam in tertio gradu frigidam eſſe ſtatuunt; Quæ ſi forte talis non ſit, vti ſentit Matheolus, halinitro tamen longè minus calidam eiſe, non eſt, qui pro certo non habeat: & minus adhuc, quia actuatio fit per motum, quem caloris authorem eſſe meritò dicunt: Innatus enim eſt, calefacere lignum, ferrum, & lapidem teſte Philoſopho, & tunc ſtrenuè magis, quò vehementior eſt, & diu perdurans, veluti in præſenti actione. DVO adhuc, ſanè mira circa materiam hanc diſcutienda ſuperſunt: Primum quorum ad ipſum halinitrum ſpectat, & eſt; Cur illud ſolum in latitudine tot ſimplicium, quot Natura producit, habeat facultatem hanc: Secundum autem ad aquam pertinet, & eſt: Quomodo illa eiſdem viribus, quibus à feruore ad priſtinam frigiditatem reuertitur, non poſſit (quod negocij minus continere videtur.) æſtate eòuſquè circumſiſtentis aeris calorem retundere, vt ad eam frigiditatem perueniat, vel ſaltem ei perſimilem, ad quam ſubueniente halinitro peruenire ſenſu deprehenditur. Ad primum videtur dicendum, icircò talem vim in ipſo ſolo reſidere; quoniam minimis quibuſcunquè aquæ partibus qua cum permixtum circumducitur, vim calorem tàm ſtrenuè excutientem, miro modo impertire poſſit, dum illius caliditas (vti dictum eſt) aliqua ex parte actuatur: Docet ſiquidem experientia, puluerem Pyrium, in quo id perpetuò duobus reliquis ingredientibus prædominatur, ſeu magnis, ſeu paruis, ſeu mediocribus Machinis ille inſeruire debeat, vt potè cuius vis tota ab ipſo pendet halinitro, in Machina adiecto ab imo ipſius extrinſecus igne illicò fermè totum accendi, non ſecus, ac exhalatio calida. & ſicca, vel à ſuperiori motione accenſa, vel à denſata nube, dum vi quadam extruditur, à qua diſcurrentes vocatæ ſtellæ producuntur, & maius, quàm centuplum ſpatij occupare; Quod enim exiguus puluis in vola manus, non

In 11. de ſimpl. med circa finé.

In p. lib. Dioſcor. com. 72.

In 2. lib. Cœli. tex. 42.

non minus, quàm centuplum ſpacij occupet, experimentum oſtendit, cum ſi quantum eſt granum milij ex ipſo accendatur, locum nucis igne compleat: Quam expanſionem à ſolo halinitro eſſe ex eo patet, quoniam incluſæ ſpherulæ eliſio, abſquè vehementiſsima expanſione fieri non poteſt; & cum puluis tantum halinitri non habet, quantum eſt opus lentè emittit, diminuta quoniam eſt expanſio ipſa; Quò fit, vt nonnulli aſſerant, nec fortè immeritò veluti Nicolaus Tartalius, abſurdum non eſſe, pyrium puluerem abſquè ſulphure, & carbone confici poſſe, cum ſit, quòd in ampliſsima ſimplicium latitudine, extare aliqua poſsint, quæ ſulphuris munere fungi queant, quod eſt ignem cum flamma concipere: nonnulla, & quæ officio carbonis, quod eſt ignem, abſquè flamma tamen, quandiu opus eſt conſeruare, immò expandente ſeſe halinitri virtute per modum venti validiſsimè ſpirantis, & multiplicare; Ita abſquè halinitro fieri nullo pacto poſſe, vt confici poſsit: Et quia celeritas conuerſionis pyrij pulueris in ignem, pendet ex proportione caloris ad illius repugnantiam, eo ſiquidem attenuato, vſqueadeò repugnantia minuitur, vt pulueris perfectio eòuſquè progredi poſsit, vt momento tota accendatur: Hinc ſi iuſto tenuior fuerit, dummodò in reliquis repræhenſibilis non ſit, totus ſimul ardens frangit machinam: Quibus ſtantibus cum pro hac abſoluenda operatione, præterquamquòd halinitrum purum, ac vndequaquè perfectum eligi ſolet, cum ob vehementem, ſatquè durantem circumductionis motum non poſsit, non vehementer adhuc attenuari, & attenuatum tàm amplè ſuam vim diffundendo, non poſsit à minima quauis aquæ parte non niſi ſtrenuè calorem abigere, planè perſpicuum eſt hac peculiari prærogatiua, non cunctis modò ſimplicibus præferendum, immò nec eorum vlli eſſe conferendum: Quam verò ob cauſam Aqua ſpontè ad eam frigiditatem æſtate non perueniat, ad quam adiumento halinitri peruenit. An

In 3. lib. ſuarũ variarũ inuẽt. queſt. 4.

quia

quia ob maiorem reſiſtentiam aliquando maior ſuccedat actio, vti dilucidè aperuit Alexander, dum cauſſam aſsignans, quamobrem oſſa, quæ validiora ſunt, ex lapſu, caſuquè frangantur; Caro quæ mollior, & debilior eſt, ictus iniuriam euadat, dixit: Quæ validiora ſunt, rei noxam inuehenti renituntur, itaquè ſua perſiſtendi contentione corrumpuntur; Quæ autem infirma, & mollia ſunt, locum rei dant occurrenti, & cedunt, itaquè tutius ſubterfugiunt: Hinc prædurosparietes, bellicorum tormentorum globis ictos frangi videmus: Propugnacula viminibus contexta, quamuis abſquè comparatione infirmiora, minimè: Vel potius dicendum eſt, feruorem ideo expugnare, ignis quoniam abeſt, à quo ille fouebatur, vim aeris, propriam frigiditatem hebetem, conſeruantem, vincere, ideo non poſſe, Quoniam cauſſa illam fouens tunc & adeſt, & ob ſui præſtanciam non poteſt ſuperari: Quam Ariſtoteles, & Auerroes protulerunt dicentes eſſe Solis propinquitatem noſtro Zenith, à qua cum radij recti, vel ferè recti producantur, hi ideo ſuper ſe magis reflectuntur: Adde impreſsionem illam exactè in aere perpetuò agente in aquam figi, abſquè enim obſiſtentia recipitur, quia per qualitatem ſpiritualem prætermquamquòd illius ſuſceptioni, vt potè paratiſsimus pertinaciter retinet, propinquiſsimus enim eſt naturæ ignis.

In 2. lib. Problem. Probl. 24.

In 2. Cœli textu, & com. 42.

Queritur tandem, vtrum aqua hoc modo refrigerata aliquid efficiat, quod ſit contra bonam valetudinem: Dicimus illam perpetuò bonæ valetudini officere; ſed non vno modo, quoniam nequè homines vno modo illa vtuntur: Nam vel in ipſa immergunt modò vaſa potulenta materia plena, modò ciathos, pateraſuè, in quibus illa venit potanda; modò oenophora hinc inde per ipſam circumducunt, quem modum Hetruſci flabellare nuncupant: Quibus vijs eo prorſus modo lædit, quo lædere quamlibet materiam, ferientis frigiditatis limites attingentem, partim iam diximus, & partim ſumus dicturi.

 Si

Si autem in potu illam quis ad ſummam incontinentiam ſummumquè valetudinis contemptum deueniens aſſumeret, longè magis adhuc officeret, tùm quia præter ferientem frigiditatem ratione permixti halinitri, valdè recedit à principali conditione aquarum potabilium, perfectio quarum ex puritate, & ſimplicitate iudicatur, & naturæ Thermalium propinqua fit, cuius vſus tutus nunquam illis eſſe poteſt, qui integra valetudine fruuntur. Adde halinitrum, quantum Nitro perſimile (multum autem ex Matheoli ſententia iam oſtendimus) aquas quibus permiſcetur totidem, & nitroſis perſimiles efficere: Quas præterquamquòd, & Vitruuius, & Plinius in vſu fuiſſe ad euacuanda corpora ſcriptum reliquerunt: Galenus inter cauſas, ſiccas ægritudines concitantes illas recenſet, ſiue intrò aſſumantur, ſiue foris adhibeantur. Et ante ipſum Diuinus Hippocrates de ipſis ſermonem faciens in tertio capite libri de Aere, Aquis, & locis, dixit, duras, æſtuoſaſquè eſſe, & quæ difficulter minguntur, & ad alui egeſtionem contrariæ ſunt.

In lib. 2. cap. 10. lib. 31. cap. 6. In lib. de morb. cauſis cap. 4.



Fr-

FVNDAMENTA TAM EX DIVINO HIPPOCRATE QVAM EX DIVERSIS HISTORICIS ADDVCTA, QVIBVS, NIVE, AC GELV REFRIGERANDI APPROBATVR CONSVETVDO, REFELLVNTVR.

CAP. VI.

IVSTA deniquè trutina, vt res tandem ad exitum perducatur, vel nulla poſthabita induſtria omnia veniunt examinanda ſpectantia ad præfrigerationem prodeuntem à niue, & à gelu, ex quo maiorem, magiſquè nocuam frigiditatem fortè halinitro inducant, & noſtra hac ætate, veluti peſtis quædam ſuborta eſt apud omnes propemodum Nationes conſuetudo, vel niue vinum diluendi, vel illius vſu, aliqua altera viarum, de quibus dicturi ſumus aquam vnà cum illo ad perniciosam frigiditatem redigendi: Qua in re permulti iam vbiquè locorum tantùm induſtriæ conſumunt, vt in ſubterraneis ſingulari arte extructis locis, palea inuolutam niuem per maximos æſtus ſeruant: Ad quorum voluntatem Nicolaus Monardes Hiſpanus, de quo ſuprà ſuimus raciocinati, temerè conatus eſt oſtendere. D. Hippocratem, Galenum, aliosquè probatos Medicos tàm perniciali abuſui aſſentiſſe: Quibus fundamentis id ſuadere auſus fuerit expendamus: Primò inquit perpaucum extare inter aquam pluuialem, & eam, quæ à niuibus reſoluta eſt diſcrimen; iccircò eam à quibuſdam iniuſtè damnari: Primum cum legerem putabam me hallucinari: Deinde deintegro animum aduertens ita ſcriptum inueni: Eapropter quantum ipſe hallucinatus fuerit, hoc verum,

vel aliqua in parte eſſe exiſtimans (quod non credo) quinimmò potius tam fallacibus argumentis hominum mentes à veritate abducere tentans: Quicunquè cupit ſcire, confugiat ad D. Hippocratem, qui oſtendere volens eas, quæ ex niue, & glacie fiunt aquas, vt par eſt, pluuijs è regione opponi; nam ſub eodem genere continentur, in illis enim aſſumitur ſolum, quod tenuiſsimum eſt, leuiſsimum, atquè dulciſsimum, quod verò craſſum, ponderoſum, & crudum eſt, relinquitur: At in glacie, & niue contrarium ad vnguem accidit, cum dum fit nix, aut glacies, tenuiſsimum, leuiſsimum, ac dulce euaneſcat, quod relinquitur, & concreſcit, eſt crudum, craſſum, & turbidum: Oſtendit autem non ratione, ſed & (quia res tanti eſt, quanti conſtat momenti) ſenſibili experimento vir diuinus dum

In lib. de aere, aquis & locis. cap. 4.

„ Inquit. At verò aquæ ex niue, & glacie factæ omnes malæ ſunt: Cum enim ſemel concretæ fuerint, non „ amplius in priſtinam naturam reſtituuntur; Sed quod „ quidem in ipſa clarum, ac leue, & dulce eſt, excernitur, „ ac diſperditur: quod verò turbidiſsimum eſt, ac ponderoſiſsimum relinquitur: Hoc verò cognoueris hoc „ modo; ſi enim volueris hyemis tempore vaſculum certa aquæ menſura ſub dio, exponere, quò maximè congeletur: deinde poſtridie in locum calidum deportatum ſinere; quò maximè glacies liqueſcat; & vbi exoluta fuerit, aquam metiri, reperies aquam multò pauciorem. Atqui hoc ſignum eſt, quòd à congelatione, id, quod leuiſsimum, ac tenuiſsimum eſt diſperditur, & non quod grauiſsimum, ac craſsiſsimum exiſtit: „ non enim hoc diſperdi poterit. Hac igitur de cauſa has aquas, quæ à niue, ac glacie eliquantur peſsimas „ eſſe ad omnes res; item quæ ad has ſequuntur: Et propriam ſententiam dum ex Hippocratis ſententia comprobare nititur dicens, Scythas ea vti in quotidiano potu, apertè eam deſtruit; apud eos, qui Hippocratem perle-

In lib. de aere, aquis & locis. cap. 10.

perlegerunt, vbi tantùm abeſt, vt ijs, quæ iam addu-
cta ſunt contradicat; nunquam aſſuetus ſibi contradi-
cere immò ita verax, vt Plato illius placita nunquam
deſerat, Galeno teſte in libro contra Iulianum, vt pri-
mo oſtendat Scythas ad aquas à niuibus, & glacie reſo-
» lutas, bibendas coactos eſſe hiſce verbis. Nequè ve-
» rò venti à calidis locis ſpirantes valde ad eam Regio-
» nem penetrant, niſi parumper, & debiles; verum ab
» Vrſis venti procedentes, ſunt illic perpetui, frigidi, à
» niuibus, glacie, ac aquis multis, qui nunquam à mon-
» tibus deſcendunt, vt propterea etiam ægrè habitari poſ-
» ſint, Aerquè ipſe totum ferè diem nubilus campos oc-
» cupat; ipſi verò in humidis locis degunt, & ferè perpe-
» tua eſt ipſis hyems, æſtas autem pauciſsimis diebus, at-
» què illis non valdè multa. Quibus ex verbis apertè
conſtat, minus culpabilium aquarum copiam illis deeſ-
ſe. Quæ verò detrimenta ex coacto potu, præcipuè
huiuſcemodi aquarum illis ſuccedant, patefacit, dum
» inquit. Propter quas cauſſas formæ eorum ſunt craſ-
» ſæ, & carnoſæ, ideſt pingnes, nam paulò infrà eos nu- Eodē cap.
» dos carne eſſe ait. Iuncturæ verò humectæ, & ineffica-
» ces; ventriculiquè humidi omnes, maximè omnium
» tamen inferior aluus: Nam quamuis hi homines ha-
beant omnia membra principalia, frigida, & humida,
& imbecillia, vti clarè ex toto decimo capite colligi-
tur, cerebrum videlicet, & cor ob aerem, inferior ta-
men venter, vti inquit, eſt longè imbecillior ob aquam,
hinc eorum plerique ad venerem, & longè plures ad ge-
nerationem impotentes ſunt: Qui igitur illis perſi-
miles eſſe cupiunt, poterunt tales aquas in potu aſſume-
re: Dum poſtea ſubijcit Romanos voluptatem, cu-
rioſitatemquè ſequentes ſolitos fuiſſe aliquando tales a-
quas bibere: Atheneum carmine Sopitæ vetuſtiſsimi
Poetæ, nobis oſtendere talem potum tunc temporis in
vſu fuiſſe: Quem & non in Vrbibus modò, verùm &

in exercitibus, Pericrates Græcus Hiſtoricus narrat, Atratem hiſtoricum, Xenophontemquè multarum gentium mentionem feciſſe, quæ non niuem modò, verùm & aquas à niuibus reſolutas continuò potare conſueuerunt: Plinium Secundum copioſam niuem conſeruaſſe pro materia tùm potulenta, nec non & eſculenta præfrigeranda: Heliogabalum Imperatorem prægrandem, quodam in Vineæ ſuæ monticulo foueam habuiſſe, in qua inſignem niuis copiam hyeme collectam conſeruabat, quam in lautiſsimis ſuis cenis æſtate diſpenſabat: Charettem Mitileneum ea in hiſtoria, quam de Alexandro Rege conſcripſit, recitare, in Petra opulentiſsima Aſiæ Vrbe triginta foueas perpetuò extitiſſe repletas niue, Regiæ menſæ æſtate inſeruiente: Quinimmò tempeſtate noſtra idemmet præſtari non in Aſia tantùm; ſed & in pluribus Africæ partibus, totaquè in Europa, & longè magis in omnibus Turcarum Principi ſubditis Vrbibus, præcipuè Byzantij, vbi, quoniam in quotidiano eſt vſu, paſsim ferè venditur. Quod & vetuſtiſsimo in vſu eſt in omnibus Germaniæ, Flandriæ, Pannoniæ, atquè Bohemiæ Dominijs: Dicimus, & nulla ætate homines defuiſſe, qui tàm infenſum naturæ humanę abuſum inſectati ſint: Hinc Doctus Euticles (vti ipſemet etiã recitat) ſua quadam epiſtola, niuem potantes conuicijs vrget: Quos & Plinius, vt potè naturæ ordinem peruertentes exagitat: At quis eſt, qui neſciat, quemadmodum nulla fuit ætas, immò nec regio, quæ mendaces, fures, homicidas, detractores, impioſquè homines non habuerit; plurimum cum poſsit in tanta varietate, temperamentum, loci diſpoſitio, quod ab Hipp. mirè oſtenſum eſt, victus ratio, conſuetudo, mores Parentum, educatio: Sic & nullam, aut ætatem, aut Regionem fuiſſe, in qua homines non fuerint, qui voluptatum blanditijs illecti, varia infortunia non ſubierint, atquè in diuerſas calamitates non inciderint: Homo enim, etſi ſolus rationalis ſit, quia liber, vult ſæpè abſquè ratione viuere: Bru-

In lib. de aere, aquis & locis.

ta,

ta, quoniam inſtinctu ducuntur, minus offendunt: inter quas quidem erumnas haud ſanè mediocris exiſtimanda eſt fatuitas, à qua homines correpti incongruo vitæ curſu, propriam incolumitatem temerè oppugnant. Ita vt conſtet non minus ſuperuacaneum, quàm abſurdum eſſe inquirere, quid homines agant, cum quid agere teneantur, inquirendum ſit.

AVICENNAE SENTENTIARVM PRO SVA OPINIONE FVLCIENDA TEMERÈ ADDVCTARVM GERMANA INTERPRAETATIO TRADITVR: ET VTRVM AQVAE AVRVM, AC HERBAS VARIAS CONTANGENTES, VIRES AB ILLIS CONTRAHANT. CAP. VII.

ET quoniam dicunt Auicennam non improbare potum, in quo nix fuerit diſſoluta ſuo more adducentes vix librum, in quo de hac materia agit, icircò vt tantæ rei veritas eluceſcat, expendamus quid ipſe dicat, dum de tuenda valetudine temperati corporis loquitur: Ait igitur, In complexionibus temperatis, Aqua conuenientior eſt, quæ in frigiditatis fortitudine temperata exiſtit: Quæ verba, etſi expoſitione nulla egeant, cum clara ſint, ſic tamen ab Illuſtribus Auicennæ Interpretibus eam à Galeno deſumentibus in x. meth. medendi cap. xi. & præſertim à Doctiſsimo Iacobo Foroliuienſi exponuntur. Ideſt non frigida vehementer, vt nix, nec veluti tepida, ſed ſenſibilis frigiditatis: ſed quoniam ſubijciunt Auicennam permittere, vt nix ipſa permiſceatur cum materia potulenta: Ve-

In 3. Fen. p. lib. doct. 2. cap. 8.

rum nec nè id ſit verba hæc in præallegato capitulo
„ conſcripta patefaciũt. Et in niue etiam bona hu-
„ iuſcemodi extat diſpoſitio, quoniam quod ex ea reſol-
„ uitur, neruis, & membris anhelitus nocumentum facit,
„ & omnibus interioribus, & nequè tolerat eam niſi vehe-
„ menter ſanguineus: Quòd ſi non illico, nocumen-
„ tum alicui fecerit, ſecundum longitudinem dierum fa-
„ ciet, cum in annis proceſſerit: Quid autem per vehe-
menter ſanguineum intelligat, non eſt, cur nunc repeta-
mus, cum in explanatione eiuſdem dicti à Galeno pro- (In lib. de Renũ affectuum dignotione, & curatione. cap. 7.)
lati abundè iam à nobis oſtenſum fuerit in capite quin-
to primi libri, qui quidem Galenus ab adducto iam
Hippocratis Placito nullatenus recedens, dum de aquis
è niue liqueſcentibus ſermonem facit, ſic inquit.
„ Quæ verò ex glacie, vel niue liqueſcente fiunt, deter- (In decimo cap. lib. de aere, aquis & locis.)
„ rimæ ſunt: nam in ijs, quæ à frigore congelantur,
„ quicquid in ipſis cõtinebatur, quod tenuiſsimarum
„ eſſet partium, id totum exprimitur. Et quia volunt (In lib. de boni. aquę cap. p.)
Auicennam aliòqui nunquàm aſſuetum nec ſibi, nec
Hipp. contradicere, oſtendere inconſtantem fuiſſe;
dum nos ad decimum ſextum caput, doctrinæ ſecundæ
relegant, Quæ dicat ad rem hanc ſpectantia, omnia (In 2. primi)
expendenda ſunt: Et primò conſtat circa medium
prædicti capitis, vbi vitioſas omnes aquas connumerat,
inter ipſas, quæ ex glacie, & niue, liqueſcunt reponere,
„ dum inquit: Niuoſæ verò, & glaciales aquæ craſſæ
ſunt. Et nihil obſtat id, quod paulò infrà in eodem-
met capitulo, in medium affert, Ex quo elicere ten-
tant Auicennam haud improbare inſenſiſsimum niuis,
„ aut glaciei vſum, dum inquit. Nix verò, & aqua
„ glacialis, cum munda fuerit, & non cõmixta alicui rei
„ virtutem habenti malam, ſiue ſoluatur, & fiat ex ea a-
„ qua, ſiue cum ea de foris infrigidetur aqua, ſiue ipſa in
„ aquam et mittatur, erit bona. Non enim animad-
uertunt, vel potius animaduertere nolunt, dum Prin-

ceps

ceps dicit bonas eſſe huiuſcemodi aquas, vnumquodquè aliud potius velle nobis inſinuare, quàm illarum potum inſeruire valetudinis conſeruationi; veluti perſpicuum fieri poteſt omnibus, quos tùm antecedentia, tùm ſubſequentia, ſententiam hanc verba perlegere, vel non pigebit, vel nobis ea hic, veluti & cuncta alia fideliter exarantibus, fidem adhibere voluerint: Poſtquàm igitur declarauit, mixtarum aquarum aliquas eſſe vitioſas, aliquas verò vitio carentes dum inquit. Aquæ præterea, quibus admiſcetur ſubſtantia metallica, aut eius ſimile, & aquæ ſanguiſugales omnes malæ ſunt, in quibuſdam tamen earum exiſtit iuuamentum; veluti ea, in qua virtus ferri ſuperat, iuuamentum præſtat ad hoc, vt interioribus fortitudo tribuatur, & Dereb prohibeatur ideſt diſpoſitio, qua ventriculus, cibum corrumpit, vel ipſum non retinet. Et quamuis niuales, glacialeſquè aquæ omnes vitioſæ ſint, non tamen omnes ratione mixtionis, cum earum aliquæ in mixtæ ſint: Nam nix infici via mixtionis duobus poteſt modis, Primò ſcilicet dum nubi, ex qua ipſa fit, dum congelatur corruptæ partes aliquæ terreſtres permiſcentur. Secundò dato, quòd in ſe pura ſit, ſi cadat ſuper vitioſas plantas, terraſuè, aut res alias, quaſcunquè putredine infectas: Pariter & glacies dicitur vitioſa, quotieſcunquè mixtionem contraxerit ex aquis permixtis, ex quibus dum fuit concreta, veluti ex paluſtribus. Collatam igitur vtramquè aquam niualem ſcilicet, & glacialem, quotieſcunquè inpermixtæ ſunt ad aquas permixtas vitioſas aliqua permixtione, bonas nuncupat; minimè tamen ſimpliciter, vti paulò infrà patebit: Quòd ſi quis quærat, quæ ſint metalla, à quibus aquæ vitia contrahunt, aquæ (inquam) non medicatæ, ſed quæ ſunt in continuo vſu pro potu; nam quæ curatiuas virtutes, vel à metallis, vel à foſsilibus aliijs ſubſtantijs contraxere, & Thermales dicuntur,

quò

quò magis mixtæ eò perfectiores ſunt, perfectio ſiquidem primarum potabilium ſcilicet (vt iam dictum eſt) ex puritate, & ſimplicitate iudicatur: Quo fit vt dicendum videatur non ſolum metallorum, ſed & alterius cuiuſcunquè ſubſtantiæ cum aqua permiſcibilis, mixtionem iccircò vitiare poſſe potabilem aliòqui optimam aquam, quoniam illam ſua priuat ſimplicitate: ſi tamen ipſa ab Auro metallorum Rege quoquo modo contangatur, veluti diuerſorum fluminum aquæ à permixta cum eorum arenis, auri ſcobe contangi aſſerunt, Tagi videlicet in Hiſpania, Ebri in Thracia, Gangis, Pactoli in India, Danubij in Panonia Rheni in Germania, & deniquè Addæ, Padi, & Ticini in Italia; tantum abeſt, vt hac de cauſſa aquæ malitiam aliquam contrahant, vt potius ſalutares virtutes adipiſcantur, propter conſtantem, & ſtabilem, quam Galenus Auro attribuit ſubſtantiã, & propter egregias facultates illas, de quibus, & Auicenna abundè loquitur; immò cum duo ſint, tum conſeruandæ valetudinis, tùm & maximè, vitæ producendæ ſcopi, vt ſcilicet radicale humidum non conſumatur, ſeu ſerius, & vt quàmſimilimum conſumpto reſtauretur, & eius reſtitutio effici nequeat, niſi quatenus calor denſior, purior, & maior efficitur, Auroquè facultates præſtandi hæc inſint, tum quia cùm præſtantiſsimum ſit, præſtantiſsimo temperamento humano ſi quid aliud, ſimile eſt, inmò cæleſtibus dotibus imbutum, Ignibus ſiquidem minimè cedit, niſi venenis iungatur, non fœdat, tenuiſsimum, grauiſsimum, & tenaciſsimum eſt, & vſqueadeò ſplendens, vt vel ſola reficiendi ſpiritus cuſſa ſcobs, illius ſplendore exibeatur; Nil prò tanto conſequendo fine eo (fortè) accommodatius eſſe poteſt, calore, quoniam ſuo, quaſi cœleſti vires noſtri corporis, vitalem potiſsimum, earumquè ſedes, nempè cor, cerebrum, Iecurquè mirificè roborat, ſanguiniſquè vnà, & ſpiritum ipſorum ſubſtantiam puriorem reddit: Nec obſtat illud non poſſe confici, ita vt induat corporis ſub-

Nono methodi cap. 17.

In 2. lib. tractatu 2. cap. 79.

ſubſtantiam, ita etiam Phyloſopho aſſerente, vnaquè & Galeno in tertio de Temperamentis libro, à calore videlicet noſtro non tranſmutari, vi tamen à natura ſibi indita, & venenis aduerſari, & cor roborare, & ſimiles effectus producere medicamenta poſſe: Quod de ſubſtantia auri non conſtat modò, verùm & de liquoribus; quibus illius vires impartitæ ſunt, a quibus corpora illos in potu aſſumentia, ſenſibiliter mutantur, veluti ex Aquarum potu deprænenditur, in quibus non Aurum modò, verùm, & ignobiliora longè metalla ignita ſæpius extincta fuerint; de numero quorum eſt Calybs: Nec obſtat aquas non abſquè magno calore poſſe imbui dictis qualitatibus auri; quia à fluminibus non abeſt calor, à continuo motu, ſoleque productus, prætérquamquòd nihil prohibet, frigidas aquas contrahere abſquè calore vim metallorum, vt vidèmus in ductibus aquarum; per fiſtulas plumbeas, & æreas, cùm illæ ventriculo valdè noxiæ ſint; quod ex auro facilius ſuccedit, quoniam, & argento pinguius eſt, mollius enim eſt; at lentitia in pinguedine: Hinc Manardus Ferrarienſis in Tertia quinti libri epiſtola conſultè inſtituit ijs, qui peſtilentia præſeruari cupiunt, vt calices ex auro conſtruant, cui à natura, quinta, vel ſexta argenti pars connata ſit: Nam & argento metallis omnibus poſt aurum anteeunti non ſpernendæ vires inſunt: Quò fit, vt de quibuſdam Medicis alioqui celeberrimis mirari cogar, arbitrantibus, aurum perniicioſam naturam habere; cum fieri nequaquàm poſsit, vt quæ homini perniicioſa ſunt, ideſt ita aduerſa, vt magis eſſe non poſsint, Galeno ita exponente, omnium indiſcriminatim hominum animos ad ſummum ſui amorem, deſideriumquè, adducere valeant, demptis paucisſimis ferinam potius vitam viuentibus; quàm homine dignam: Scriptum ſiquidem reliquit Plinius; In ſeptentrionali, Tygris alueo oppidum eſſe: Babytacè, vbi mortalium, ſoli aurum in odio contrahunt; id nempè defodiunt, ne cui ſit in vſu:

In 43. probl. p. ſect.

In 1. Prorrhetici lib comm. 17.

In 27. cap. 6. lib.

Nec

Nec eſt cur quis tanti effectus cauſſam illius attribuat præcio, cum gemmarum pleræquè, quamuis perſpicuæ, & abſquè comparatione præcioſiores, longè minus humanum animum alliciant: Quò fit, vt omnino fatendum ſit hoc non aliundè oriri, quàm ab inexplicabili quadam inter illius, ac humanum temperamentum exiſtente ſympathia, quam nictare quaſi voluit Marſilius Ficinius, dum dixit, ſi perſpicuitatem haberet aurum, iam cæli ſubſtantiam fore: Propterea mirum non eſt, Aquam illam auream egregijs virtutibus præditam eſſe, quam nonnulli inueniri ſcribunt, vbi Thermæ apud Indos in aurifodinis ſcaturiunt: Quærere autem hic poſſet aliquis, ex quo aquæ aurum contangentes egregias vires contrahunt, vtrum & potabiles aliòqui probatæ, quæ leuiter fluunt, & herbas nutriunt, medicam vim aliquam ex eis contrahant; ita vt innata ſimplicitate priuentur. Dicimus illas procul dubio contrahere; nam ſi ab auro tàm denſo, vitaquè deſtituto, cur à virentibus, viuentibus herbis non debet contrahere? eo præcipuè, quoniam dum fluunt, plures particulares plantas contangunt non minus ipſis à ſole debitis horis excalefactas: ita vt duæ cauſſæ illæ adſint, quas ad optimè permiſcendas cum aquis permiſcibiles virtutes requiri à nobis dictum iam eſt, calor videlicet, & loco moræ repetitus contactus, & pluries, & vi motus: Ergo ex Adianto, & Nepita vrinas cient. (quamuis Adianti folia in aqua proiecta haud madefiant iuxtà Theophraſti ſententiam) Ex cypero, aut malabatro viſcera corroborabunt, & diſcutient, ſpiritumquè odoris ſuauitate pergratũ reddent: Ex Iuncis caput grauant, ſomnum conciliant, aluum adſtringunt, vrinam prouocant: Ex plantagine, & nymphea inmodicè rrfrigerabunt; ſanguinem, & ſeminis profluuium cohibebunt: Quarum & curſus ſi quis auerſis renibus excipiat, renum ipſorum tùm caliditatem mitigabit, tùm & morbos, qui ex ea proueniunt tollet: Ex harundinibus, eryſipelas ſanabit epota, loco-

In 7. de hiſt. plantarũ cap. 13.

ſocoquè ea abluto ſæpius; & vim habebit attractoriam: Demùm ex Piperite, aut alia conſimili diſſoluit flatum, & ventriculo, & inteſtinis frigiditate laborantibus confert: Et vſus earum Strumis, ac duritiebus ſalutaris eſt: eadem quoquè ratio, & in alijs: ſed quòniam hæ non veluti auri virtute imbutæ valetudinis conſeruationi, quinimmò potius curationi vti conſtat, inſeruiunt, ideo nonniſi corporibus affectis tutò exiberi poſſunt: Sed vt eò redeam, vnde diuerti. Inquit & Auicenna, niualem, & glacialem aquam bonas eſſe, non prout habent rationem materiæ potulentæ, ſed prout habent rationem magni præſidij, in magnis quibuſdam præter naturam affectibus, prout videlicet illorum adiumento aqua multis modis præfrigerari poteſt; ita vt ope illius ipſi depellantur: Nam aliqua optima eſſe reſpectu corporis ægrotantis, quæ peſſima, immò & pernitioſa ſunt reſpectu corporis ſani apertè nobis „ oſtendit Hipp. dum inquit. Carnes ſanas habenti- In 4. Aph. „ bus, helleborus periculoſus, facit enim conuulſionem. vndecimo. Primò itaquè optima eſt, non modò bona valdè frigida, quoniam in diſtentione iuuat; ita docente Hipp. dum In quinta „ ait. Eſt autem vbi in diſtentione ſine vlceratione, Aphor. 21. „ iuuene benè carnoſo, æſtate media, frigidæ aquæ mul- „ ta perfuſio, calorem reuocat; calor autem hæc ſoluit. Quod & Auicennam id, vt potè ab Hipp. deſumptum hoc in loco, voluiſſe conſtat, dum tamquàm à ſe experientia comprobatum ſuis ſermonibus illuſtrauit, vbi „ de ægritudinibus neruorum agens dixit: Ex eis au- In 2. Fen. „ tem, quæ iuuant habentem ſpaſmum communem, qui 3. Cap. 7. „ nominatur Tethis, & Tetanus materialis, vt ſubitò in „ aqua demergatur frigida, vti dixit Hipp. Nam cor- „ poris exteriora inſpiſſantur, & innatus calor in interio- „ ribus clauditur, quare confortatur, & reſoluit materi- „ am: Non eſt tamen omne corpus tollerans hoc à ti- „ more tutum, ſed corpus fortè, firmum, carnoſum;

quod

„ quod vlcera non habet, & in æſtate; plures enim hoc
„ modo euaſerunt. Extat, & alter affectus, qui ab hoc
præſidio curatur per ſe: nam diſtentio, quæ à frigore
fit, primò, & per ſe ab aqua frigida non curatur: ſed
per accidens: per ſe autem à calore reuocato: De hoc
In quinta „ agit Hipp: dum inquit: In his frigido vtendum, vnde
Aph. 23. „ ſanguis fluit, aut fluxurus eſt: non ad ipſa, ſed circa ip-
„ ſa vnde influit: Et quæcunquè inflammationes, aut
„ inflamina ad rubrum, & ſubcruentum ſanguine recenti
„ tendunt: Nam veteribus nigredinem affert. Eryſi-
„ pelas etiam non vlceratum iuuat: nam exulceratum
„ lædit. Et quamuis dictum hoc Hipp. de re qualibet
frigefaciente congruè exponi poſsit: De aqua tamen
modis omnibus ab Auicenna traditis infrigidata, ideo
principaliter intelligendum eſſe videtur; quoniam cum
Aqua natura non liquida modò ſit, verùm & mixtis om-
nibus liquidior, præterquamquòd, & rerum omnium
frigidiſsima; veluti frigus maximè ſuſcipit, ita & ma-
ximè contribuit, nullum non ingrediens, vel anguſtiſ-
ſimum meatum: Nam frigus in præſenti caſu vſquè
adeo intenſum eſſe debet, vt calori quoquo modo obſit,
niſi enim intenſum, & valdè eſſet, calorem ipſum vt in
præducto aphoriſmo patet reuocando, totum ab eo,
quod Hipp. intendit oppoſitum efficeret: Bonam igi-
tur adeò niualem, glacialemquè Auicenna apellauit A-
quam, quoniam tàm utiles effectus admotæ producere
valent, immò & alios non minus præſtantes, veluti do-
lores ſedare, quos omnes vires exoluere ſcriptũ reliquit
In com. 3. in lib. Hip. de rat. vic. acut. com. 33. & 12. metho. cap. p. In 4. de preſag. ex pulſ. c. 11.
Galenus, immò ex ijs quotieſcunquè longi, & vehe-
mentes ſunt, viralem vim proſterni: Quod Hipp. hi-
ſce verbis in quinti libri vigeſimoquinto aphoriſmo ex-
„ plicuit, dum inquit. Tumores articulorum, atquè
„ dolores abſquè vlcere, & podagricos quoquè, atquè
„ conuulſa, horum plurima frigida aqua largè effuſa le-
„ uat, & extenuat, ſoluitquè dolorem: nam modicus
torpor

„ torpor dolorem ſoluit. At non ſat eſt oſtendiſſe Aui-
cennam haſce aquas probaſſe, qua affectus profligare
poſſunt, ni oſtendamus, & eaſdem in cuſtodia valetudi-
nis reprobaſſe: Quod clare hiſce verbis oſtendit:
„ Sunt ſpiſsiores, quàm omnes aquæ, & nocent habenti-
„ bus dolores neruorum: ſed cum coquuntur ad bonita-
„ tem reddunt: Ergo antequam coquatur bona non eſt,
nulla itaquè alia via à manifeſta contradictione, in tàm
paucis verbis vindicari poteſt; nam modò dicit illam
bonam eſſe, modò bonam non eſſe ſupponit, niſi dica-
mus bonam illam eſſe, & reſpectiuè (vti iam oſtenſum
eſt) & qua remedium; mala autem, qua in potu aſſu-
menda: Quod paulò infrà tàm clarè expreſsit, vt nihil — In eodem Capite.
„ clarius dum inquit. Aqua præterea temperatè fri-
„ gida ſanis melior eſt aquis omnibus. Et quomodo
potuiſſet illas non reprobare, quas Hipp. vituperaſſe — In lib. de aere, aquis & locis cap. 10.
iam oſtendimus, & vnà cum ipſo Galenum. Qui-
nimmò & non contentus, cum res tanti ſit, vt multa
complectatur adhuc, & meritò illas culpare voluit ge- — In lib. de bonitate aquę cap. primo.
nerali ſermone, in quinta Aph. 18. dum dixit.
„ Frigidum inimicum oſsibus, dentibus, neruis, cere-
„ bro, ſpinali medullæ, calidum verò vtile. Specia-
tim verò cum pernicioſiſsimas illas eſſe ex eo oſtendit,
quoniam nobiliſsimis corporis partibus inimiciſsimæ
„ ſunt, dum inquit. Frigida qualis nix, & glacies, pec- — In 5. lib. aph. 24.
„ tori inimica, tuſſes mouent, & ſanguinem, & deſtillatio-
„ nes, quas, & longè deteriores affectus ſequi conſueue-
„ runt, de quibus infrà. Et conſequentia quam infert
digna eſt deriſione, dum dicit Auicenna iubet aquam — In 2. tertij tractatu 2. cap. 4.
niuis, cum aqua roſacea mixtam (quamuis hoc non ad-
dat) in vehementi cordis tremore à calidiſsima cauſſa
concitato exhibendam eſſe: Ergo pro conſeruanda
valetudine, eandem, & nos exhibere debemus? quaſi
diſcrimen inter conſeruantia ſanitatem, & propulſantia
morbum, immò morbos maximos nullum eſſe debeat.

Et

Et ſic dextruendæ veniant duæ illæ Maximæ propoſitiones, quas nemo Medicorum non approbauit; Contraria ſcilicet contrarijs curari, ſimiliaquè ſimilibus conſeruari, Quarum primam nunquam ſubuerti clamat
10. meth. cap. 9. Galenus. Voluit igitur Auicenna maximo in hoc caſu maximum, & remedium proponere, vt Hippocrati obtemperaret præcipienti auxilia morbis curandis proportionata debere eſſe hiſce verbis. Extremis
In p. aph. ſexto. morbis, extrema exquiſitè remedia optima ſunt; Et
In 5. lib. Galeno Eraſiſtratios meritò reprehendenti, in ſangui-
meth. c. 15 nis ſputo venam ſecare nolentes, qui hunc, & recitat Aphoriſmum, & notatu digniſsimam tradit regulam, quæ eſt, Vbi periculum eſt in mora, ab æqualibus remedijs inchoandum eſt: ſi autem in mora non ſit periculum, vt in comitiali morbo, & reſolutione, à leuioribus auxilijs incipiendum. Cum itaquè affectus particularis, cuius curationem tradit Auicenna ſit de numero extremorum, ideſt vltra quos non ſunt alij, ita
In p. Aph. com. 6. Galeno exponente, vbi ſupra, neceſſariò venit concludendum, & remedium hoc de numero maximorum eſſe, ſecus apertè Vir aliòqui peritiſsimus de imperitia taxandus veniret: Quòd autem ipſe affectus inter maximos recenſendus ſit, verba ipſius patefaciunt, Inquit

„ enim. Quòd ſi res fuerit vehemens, & inflammatio,
„ da ei ad ſorbendum aquam frigidam, & aquam niuis
„ mixtam cum aqua roſacea: Et præter Auicennę dictum, talem eſſe probatur, quoniam in corde fundatur, de
In 3. de fac. ſimpl. med. cap. 2. & in 5. de loc. aff. cap. p. In lib. de vſu pulſuũ. 2. collect. cap. 2. quo Galenus dixit. Cor niſi ceſſet ab agendi munere animal non poteſt mori, eo ſiquidem refrigerato omnia frigeſcunt eodem Auctore; vltimum enim eſt quod in morte refrigeratur membrum, teſte Auerroe: Sed clarius ex Galeno met conſtat in quinto de locis affectis capite primo, aſſerente mortem ad immodicas cordis intemperantias ſequi, & meritò: nam vti ſapienter dicebat Alexander in vltimo capite Paraphraſis in

librum

librum de Anima; cor eſt quaſi aliud animal in animali obſeptum, incluſumquè, & Galenusmet vbi ſupra. Pereunte, inquit illius temperie, non eiuſdem modò actiones perire neceſſe eſt, verùm vnà & cerebri, & Iecoris, Econtrà verò minimè: Adhuc, & clarius in libro de curandi ratione per ſanguinis miſsionem: Corde patiente in caliditate, & frigiditate, reliqua etiam membra pati neceſſe eſt: De qua ab excedenti caliditate concitata paſſione; & hic Auicennam intelligere ſat perſpicuum ex illius verbis eſt; & in quam cor ob ſymboleitatem promptiſsimè labi ex Galeno elicitur affirmanti cor tùm maximè ſanguineum, tùm & calidiſsimum eſſe: Sed & præter oſtenſam iam membri præſtantiam, affectus ipſe maximus eſt ob ſymptomata ipſum conſequi aſſueta, quæ cum verenda ſint omnia; Tria autem præcipuè eſſe conſueuerunt, ita approbãte vnà cũ Medicis õnibus Auerroe, inter ipſa maximè verẽda eſt ſyncopis, & illa maximè, quæ corde ipſo per eſſentiam patiente ſuboritur: Nam & exolutio quam remiſſam Syncopim eſſe probat Braſauolus ad mentem Galeni, homines ad necem perducit, teſte Hipp. longè efficacius idem efficiet Syncopis, quæ abſoluta diſſolutio eſt, vſqueadeò enim deijcit vitalem facultatem; Autore Galeno, vt illa intercepti omnes, citò obeant: Quod uerò præſidium, & maximũ ſit, nec niſi conſideratè adhibendum, apertè indicat Auicenna, dum primò proponit aquam à niue non diſſolutam ideſt Aquã fontis valdè frigidam (veluti cautè exponit Doctiſsimus Iacobus de Partibus; & Princeps quaſi formidans alterius vſum) poſtea inquit, vel aquam niuis; re ſcilicet ad vota non ſuccedente, nec ſimplicem, ſed mixtam cum aqua roſacea ad corrigendam illius malignitatem; Adhucquè timens, ne ex potu illius, aſſumentibus detrimenta ſuccedant; Regulam notatu dignam conſultè tradit, dum inquit, Illam non confertim, quinimmò interpolatim bibendam eſſe, ne inmoderato ſuo frigore ventriculum, pectus, Diaphragma-

In 5. de loc. aff. capite p.

Cap. 5.

In p. de Temperã. cap. vltimo.

In 3. collect. c. 25.

In 2. lib. Aph. 41.

In 4. de præſag. ex pulſibus cap. 11.

In 5. de loc. aff. cap. 2.

gmaquè ita percutiat, vt eorum, vnaquè & cordis calorem extinguat: Qua in re optimè D. Hippocratem imitatus eſt monentem. Plurimum, atquè repentè refrigerare periculoſum eſſe: Quò fit, vt Magni Viri hoc in caſu, aquam à circumpoſita niue præfrigeratam, illi in qua, vel nix proiecta fuerit, & diſoluta vel tota ex eliquatamet niue reſultarit, longè præferant: Quibus rationibus excitatus, & Raſis idem protulit in continente: Et quia ſalitat, nos & ſalitare perſæpè cogimur, modò enim Auicennam adducit, modò Raſim, modò alterum, iterum ad Auicennam reuertitur: Tribus itaquè alijs in caſibus dicit Auicennam probare vſum aquæ valdè frigidæ: Primus quorum eſt, calida ventriculi paſsio, quo in loco Auicenna (vti ipſe falsò aſſerit), non iubet aquam niue refrigerari, immò ait, „ & Piſces recentes propriè ſedant inflammationem ſtomaci, & aqua frigida, & fructus recentes, & cæt. „ Quam regulam Illuſtres interpretes contrahunt, & rectè ad iuuenes robuſtos, atquè aſſuetos, dum ſani ſunt talem in potu aſſumere, quorum & viſcera vno dempto ventriculo valida ſint, & tempus non niſi æſtiuum: ſumma nanquè obſeruantia ventriculum ipſum perpetuò proſequendum eſſe nobis Galenus indicauit, illum inter partes animalis maximè cauas ponens: ſoliditas nimirum veluti membra ab iniurijs tuetur, ita & cauitas eiſdem obnoxia reddit, & clarius in propoſito caſu ſeptimo methodi, vbi ipſum, quamuis ab optima diſpoſitione per calidum, & ſiccum recedentem, non eſſe temerè refrigerandum apertè præcipit: orificio ſiquidem illius, cum maximi nerui tributi ſint, præcipuè, vt defficientis alimenti ſenſum habeat, ipſo, atquè Veſalio Teſtibus; Quibus vt Hipp. inquit, frigida maximè aduerſantur; malè affectus, cor, & cerebrum afficit, vti ipſe inquit in primo de ſymptomatum cauſis. capite 7. Hinc in morſu illius, & paſsione, opera animi.

In 2. lib. Aphor. 51.

In 13. fen. 3. cap. 26.

In 3. de facult. natural. cap. 2.

in 5. de vſu partium cap. 9.

In 5. lib. de fabrica hum. corporis c. 3.

mi detrimentum patiuntur Auctoremet Galeno in quarto Aph. comm. 17. & alibi: os illius in conſenſum ſui affectus animam adducit; comm. 5. quarto in ſextum de morbis vulgaribus commentatione 25. Et longè clarius adhuc dum verba hæc profert.

» Ventriculi, atquè Iecoris, qualequè reliquarum partium, quibus illud modò negocium eſt, vt id, quo nutriuntur conficiant; verùm quod tantopere animalis interſit, vt ſi nequè in ventriculo probè alimentum fuerit concoctum, nec in ſanguinem in Iecinore mutatum, vtiquè quod in fame nobis accidit, vt cibi penuria degere in abſtinentia cogamur, idem tùm omnibus animalis partibus accidat: non enim ex ijs, quæ deuorauit quis, ſed ex ijs, quæ in iam dictis viſceribus confecerit, alimentum toti corpori ſuppeditatur: Atquè ob hac nimirum impenſius, quàm cætera membra, ventriculus, & Iecur adſtringentia deſiderant. In 11. meth. cap. 15.

Adde ipſius ventriculi maximam perpetuò curam eſſe habendam, vti etiam iubet Galenus ipſe, quoniam inter membra, quæ alijs concoquunt, de numero quorum cor eſt, & Iecur, longè imbecillius eſt: hinc in omnibus ferè morbis primò læditur, vti ſenſibilis appetitricis operationis diminutio patefacit; Cura itaquè illius dum ægrotat non tantùm in admouendis præſidijs ſita eſt, quantùm in præcauendo, ne poſtquàm hoc in tot partes intereſt admota vel minimũ officiant: Et cum inquit ex decreto ipſiusmet Auicennæ frigefactam pariter niue aquam in valdè calidis Iecoris affectibus regioni illius admouendam eſſe: Hoc mihi perquirenti apud ipſum, vbi de illorum curatione agit, inuenire haud licuit: Quinimmò cum inter remedia huic affectui accommoda nudis hiſce verbis aquam frigidam recenſuerit: In p. ad Glauc. cap. 14. In 14. 5. tertij, tractatu p. cap. 20.

» Ex ijs, quæ conferunt hepati laboranti calida intemperie eſt aqua frigida, etiam, vt in potu ſumantur ſuccus cucurbitæ aſſatæ, & ſuccus granatorum, & cætera.

„ Vinumquè tanquàm inſenſiſsimum in calce prædicti
„ capitis damnauerit, dum inquit. Et nocet eis Vinum
„ valdè, niſi fortè ſit neceſſarium propter conſuetudinem,
„ aut propter imbecillitatem digeſtionis. Reuocans
tamen ad memoriam ea, quæ à nobis iam pauloantè ex
Galeno adducta ſunt, ſeuerè monente hepati ſedulò,
perpetuoquè eſſe proſpiciendum, cuius robur exolui, &
perniciofiſsimum eſſe aſſerit: Concedit tamen deui- 11. meth. cap. 16.
tandi gratia detrimenta, quæ ex potu gelidæ aquæ patientibus ſuccedere conſueuerunt, ſi ex eo bibatur ſtatim aliquid poſt potum dictæ aquæ ad repreſsionem ſuę frigiditatis, & ſuarum læſionum; Nam cum cordi amicum illud valdè ſit, præſeruat membra omnia ab offenſionibus narcoticorum omnium per os aſſumptorum, à quorum claſſe impensè frigidam aquam non excludunt Doctiſsimi Viri, particulare hoc Auicennæ caput exponentes; qua in re Auicennammet imitati ſunt ponentem in numero ſtupefacientium aquam niue præfrigeratam: Quo in loco ipſe de dentium doloribus, & eorum curatione pertractans, inquiunt, ex repetita pluries prædictæ iam aquæ in ore detentione illos ſedari: Circa quod in primis animaduertendum eſt Auicennam de ipſa loqui non prout per ſe habet facultatem ſedandi dolorem, nemo enim eſſet, qui inter anodyna illam auderet connumerare, cum facultas re vera anodyna Galeno auctore ſit eorum, quæ primo ordine excalfaciunt, ſi vtiquè in eſſentia tenui contineantur: Immò cum narcotica ſit, qua talis præterquamquòd membris omnibus parum amica eſt; A narcoticis ſiquidem omnibus pro viribus abſtinendum eſſe Medici omnes vno ore vnà cum Galeno, ni maxima neceſsitas vrgeat, hortantur, priuatim ipſa qua frigida eſt dentibus maximè aduerſatur; vti inquit Hipp. frigidum inimicum oſsibus, dentibus, & cætera. Summè igitur illis aduerſatur; Primò quoniam ſunt oſſei natura,

In 7. tertij cap. 8;

In 5. de facult. ſimp. med. c. 19.

Vbi ſupra.

In 5. Aph. 17.

iccir-

iccircò & frigidi. Secundò quia ſentiunt, & hoc abeſt ab oſsium natura, ſiue per ſubſtantiam medullarem, nerueam naturam refferentem, ſiue per complantationem, quam in gingiuis habent; Vtcunquè illis qua ſentiunt inimica eſt, ſentientibus ſiquidem partibus omnibus, non niſi pau co, vt potè calore præditis, quæ impensè frigida ſunt eum extinguendo, vel ipſas mortificant, vel ad minus ab eiſdem calorem modicum abigendo propria functione priuant: Quæ omnia, etſi non explicitè Auicenna loco adducto declarauerit tanquàm alibi ab ipſo exactè explanata, nec ibi explananda; non tamen prorſus ea omittere voluiſſe poſtremis hiſce dicti capituli verbis nobis indicauit. „ Ponitur in ore Aquæ ſuplè niue ſummè refrigeratæ hauſtus „ poſt hauſtum donec ſtupefiat dens, quare quieſcit dolor „ omnino; quamuis in principio quandoquè dolorem addat: præſentibus videlicet exiſtentibus ſpiritibus ob præſtantiam ſenſationis; Ita vt conſtet ipſam inſtituere prout non ſolum præſidij, ſed & præſidij ſtupefacientis habet rationem, inter quæ, & ea, quæ cuſtodiæ valetudinis inſeruiunt nullam prorſus eſſe affinitatem nemo eſt, qui neſciat.

VARIA RASIS DICTA, DE SVA SENTENTIA PERPERAM DETRVSA, EXPLICANTVR, ET CVR AESTVANTES ALIQVANDO HOMINES AB ASSVMPTO GELIDO POTV PROTINVS OCCVMBANT.

CAP. VIII.

IAM nè quid indiſcuſſum derelinquatur; ad Raſis in medium adductas ex libro ad Almanſorem Auctoritates, accedamus: Quas etſi nonnulli minus probare iccircò videantur, quoniam liber ille, dum adhuc iuuenis eſſet, ab eo fuit conſcriptus, veluti ab ipſo elicitur in Prohemio libri diuiſionum, quem vnà cum libello de ægritudinibus Iuncturarum, Puerorumque, & reliquis adnexis opuſculis, non prius conſcripſit, quàm ad finem virilis ætatis; vel fortè ad primum ſenium peruenerit: Senex effectus tandem magnum continentis volumen compoſuit: Probandæ tamen, & prorſus veniunt, Diuino quoniam ſemper tùm ingenio, tùm iudicio, præditus fuit Raſis: Ideo omni in ætate tàm egregiè ſcripſit, vt inter Arabes nemo fuerit, nec Auicenna ipſe, quamuis illius ſectæ Principis nomen ſibi vindicauerit, nec Arabum placita inſectantes, immò nec Græcorum, demptis perpaucis, qui à firmis illius veſtigijs recedere auſus fuerit: Harum prima hiſce verbis conſcripta legitur: Aqua verò, ſeu niue refrigerata, ſeu talis ſuaptè natura ſit, ventriculum percutit, ſi à ieiunijs bibatur; & epar multum infrigidat, quam nulli ieiuni bibere audeant, ni fortè ſint calefacti, quo in caſu ipſis confert: ſuper cibum autem aſſumpta, ventriculum roborat, appetitum auget, dummodò parua ſit.

In 4. cap. 3. tractat. ad Almanſorem.

„ ſit illius quantitas: Aqua verò, quæ vſqueadeò frigida non fuerit, vt epota non iucunda ſit, ventrem inflat, nec ſitim minuit; ſed appetitũ deſtruit, corpus diſſoluit, nec vllo modo confert. Quorũ verborũ falsã interpretationem, ex falſa vna ſuppoſitione, elicere tentat gratia decipiendi eos, qui adducta verba ipſa, legere poſſunt; librum verò, à quo illa deſumpta ſunt legendi non ineſt facultas: ſupponit enim, & falsò Raſim in tertio tractatu, de tuenda valetudine agere, cùm de ipſa in quarto agat, & ex profeſſo, veluti legentibus conſtat, nam de ea ſi ante quartum pertractaſſet incogruum nimis fuiſſet, quoniam de illa prius quàm de ijs, quorum ope ipſa poteſt tueri: nam à Galeno omnibus propemodùm in rebus imitatione maximè digno, & præſertim in ordine pertractandarum rerum, ab ipſo ſedulo obſeruato nimis deuiaſſet: Videmus illum ſiquidem prius de alimentorum facultatibus, de ſalubri dieta, de paruæ pilæ exercitio, deque alijs perſimilibus rebus, ſine quibus valetudo nequaquam conſeruari poteſt agere, antequàm ad methodum tuendæ ſanitatis tradendam ſe transferat: Volens itaquè Raſis ex ordine incedere, vt congruè in quarto tractatu viam tuendæ ſanitatis traderet, in tertio vti conſonum fuit de alimentorum facultatibus in primis agit, & ob quandam affinitatem, in fine de quorundam ſimplicium medicamentorum viribus: Et quia in latitudine ipſorum alimentorum, vel potius cibariorum aliqua ſunt, quæ vorata nutriunt corpus abſque quòd vlla qualitate illud afficiant, ideſt nec calefaciant, nec infrigident, ſiccentuè, aut qualitate humidius reddant, non errodant, non adſtringant, non purgent aluum, nec etiam laxent, irritentuè: Quodcunquè enim horum, aut ſimilium fecerint, præterquàm nutrire, non erunt cibaria, ſic & eadem eſt ratio de potu illo, qui nutrire valet, & quamuis aqua ſimplex ea maiori ſimplicitate, qua eſſe poteſt, haud alat, ſed ali-

alimenti tantummodò vehiculum ſit, & præter alimenti ad partes alendas delationem quam præſtat, quia ſeu vel nuda qualitate inſigniter affecta, ſeu ratione multiplicis admixtionis, multifariàm corpora, à quibus bibitur afficere poteſt: Iccircò accidit, vt aliquandò alimenti vehiculi ſimplicem habeat rationem; Aliquandò non vehiculi modò, verùm vnà, & medicamenti etiam vehementer alterantis: Perſæpe & medicamenti tantùm, ſub quibus reſpectibus omnibus, niſi aquam ipſam Raſis conſideraſſet, qui de virtute aquæ pertractandi munus, veluti indicat capitis inſcriptio, ſuſceperat, de diminutione fuiſſet taxandus: Ergo dum initio capitis inquit. Aqua naturales in corpore conſeruat humores, quæ cibum ſubtilians penetrare facit: Quis eſt, qui non percipiat ipſum de aqua ratiocinari, prout ſimplicem vehiculi habet rationem? veluti & de eadem prout ſimplex epota, habet & vehiculi, medicinalis tamen, reſpectu corporum ab optima conſtitutione per exceſſum caliditatis declinantium, illa & conſeruare ſuo in ſtatu potentis, necnon & præſeruare à deteriori ſtatu, dum ait. Ipſa quoquè calorem reprimendo, calefactis, calidamquè habentibus complexionem, plus quàm vinum conueniens eſt. Sed longè clarius ſub omnibus reſpectibus aquam ibi ſe conſiderare oſtendit, dum dicit. Aqua præterea malum habens ſaporem, aut odorem, mala eſt, nec eſt bibenda, quandoquè tamen quidam cauſa medicinæ eam bibunt: Ita vt conſtet ſub vno reſpectu ipſam vituperare, ſub alio verò comprobare; De ijs autem, quæ ſimplicem medicamenti ſubeunt rationem, longa ſatis verborum ſerie loquitur propè calcem dicti capitis, inquiens; De aquis præterea naturaliter calidis, quæ ſunt ſulphureæ, & bituminoſæ neruos calefaciendo, frigidis eorum ægritudinibus conferunt, & quæ ſequuntur. Cum itaquè ſermonem habet de aqua niue præfrigerata, animad-

maduertendum eſt, vſum illius in cuſtodia ſani corporis improbari: Quod clarè oſtenditur: Nam poſtquam ſtantem, & putridam aquam hiſce verbis vituperauit. „ Aqua verò ſtans, & putrida, ſplen auget, ac „ complexionem corrumpit, & generat febres: protinus ſubiungit, nolens intermittere ſermonem ſpectantem ad aquas repræhenſibiles: Et quaſi occurrens tacitæ cuidam obiectioni, quam ad dicta iam ſe applicans, quis efformare poſſet, ſciſcitans, ex quo aquæ quamplurimæ particulares, quamuis nec ſtantes, nec putridæ ſint, quinimmò in ſe aliòqui præſtantes, nimis tamen quia præfrigeratæ, vtrum cuſtodiæ ſanitatis conferant, inquit ipſam ventriculum percutere, & magis ſi à ieiunis bibatur; eaque multum refrigerare; modò, quę tales effectus producunt, quis eſt, qui affirmare audeat inculpatæ valetudini non maximoperè aduerſari? Volens tamen illius vſum ab vſu refrigerantium medicamentorum non eſſe prorſus excludendum, ſtatim ſubinfert: Quam nulli ieiuni bibere audeant, niſi calefacti; nam hoc modo eis conferre poteſt, ideſt non prout habet rationem vehiculi alimentum defferentis, nec in ſanis, ſed prout habet rationem præſidij, & in ægrotantibus: Quod & comprobat dum ait: à cibo aſſumpta, dummodò pauca in quantitate, ventriculum roborat, atque appetitum adauget. Nec ſit, qui exiſtimet per calefactos Raſim homines velle intelligere; ſole, & labore æſtuantes: Quinimmò potius calida intemperie vnum, vel plura membra occupante, depræhenſos: Tantū ſiquidē abeſt, vt frigida ipſa aqua, immò vt frigida quæuis potulenta materia, & vinum etiam valdè generoſum hominum ſole, laboreuè æſtuantium reſpectu, præſidij vtiliter alterantis rationem habeat, vt potius veneni enecantis, & celerrimè, ſi fides adhibenda eſt Iulio Ceſari Scaligero aſſerenti, ſe Meſſorem à meridiana tritura ſitibundum, primo ad fontem hauſtu extinctum.

In 33. aduerſus cardanū exer. diſtinct. 2.

In 2. Centuria Curatione 62.

ctum vidiſſe: Amathoque Luſitano Medico fide digno, Tres hiſtorias narranti ancipitem tanta in re animum quemcunque pacare potentes hiſce verbis: „ Elegans, & „ optimæ ſtaturæ Iuuenis Romanus, cum pila luderet, „ & ſudore reſperſus, ac totus madidus, & defatigatus, „ ad puteum pro ſiti arcenda veniſſet, exhauſta frigida „ recens per caldarium extracta illicò in terram cecidit, „ & obijt. Alterum nouimus, ex ijs, qui in campo ne„ gociantur qui cum non minus corporis totius, adaper„ tis poris madidum, domum reuerteretur, cyathum „ frigidioris aquæ ebibit, & mortuus quoque fuit. Sed „ & alterum vidimus, qui cum domum peruenit vigente „ magno æſtu, cellam vinariam ingreſſus fuit, & calicem „ meracioris vini frigidi exhauſit, & exanimatus cecidit, „ & vitam cum morte commutauit. Narrat & Paulus

In elogio ipſius.

Iouius, Canem Scaligerum Veronæ Principem, armatum, & æſtuantem, cum ſub cane prægelidam fontis aquam auidè nimis potaſſet, paulò poſt obijſſe; Nec non & Franciſcum Galliæ Regem, Franciſcum Delphinum filium, iuuenem florentiſsimum virtute bellica inſignem, Regijs virtutibus præditum, Hæredemque Regni, ac hominis deſtinatum, repentino oppreſſum morbo, ideo amiſiſſe, quoniam ex nimia tractatione in ludo paruæ pilæ, æſtuans, ſudoreque madens, frigidam ille intemperanter cum hauſiſſet, præcordia, Viſceraque eo immodico rigore correpta, extincto prorſus innato calore, mortem accerſerunt. Quòd ſiquis quærat cauſam tam repentini, atque horribilis effectus, quam tacuere Viri alioqui aſſueti nihil inenodatum relinquere; videtur dicendum illud contingere, quod de reliquis venenis, quæ à primis qualitatibus agendo interimunt; Nam & Dioſcorides illam à balneo, curſu, violentaque quauis exercitatione, epotam venenum eſſe aſſerit; Sic Gypſum interficere, quia nonnulli putant exugere totum cordis humidum, atque exiccare; hoc

In 35. Hiſtoriarum ſui temporis libro.

In 6. lib. cap. 34.

hoc ſiquidem de ſiccitate, & frigore magis verificari videtur, quia vitæ minus fauere videntur: & magis adhuc de frigore, quod opera naturæ non ingredi dixit Princeps in Prima primi: Cauſa cuius occidentia, vel ſine dolore, vel ſaltem longè cum minori, occidere, & cum torpore apparet apud Platonem de morte Socratis, qui veneno è ſucco cicutæ extinctus fuit, quod vt efficacius præſtaret, natam Suſis prægelido, opaco loco Traſyam eligere conſueuiſſe refert Theophraſtus; At cauſa inueſtiganda eſt, quamobrem ſole immoderatoue labore, æſtuantibus illud accidat; His verò, quorum humores, & ſpiritus, ſolidaque membra æſtuantia non ſunt, minimè contingat: Hoc tamen, quia exactè ſciri nequit, ni prius deuelemus, qua ratione abſolutè interficiat: Ideo videtur dicendum, ex quo calor innatus exiſtens in humano corpore duplex eſt, vnus ſcilicet quem complantatum appellant, Iuniores complexionalem vocant, qui & forma quaſi membrorum dicitur, in quibus complantatus eſt; Alius verò, qui Influens, iccircò nuncupatur quoniam inceſſanter fluens à corde per arterias ſingulis noſtri corporis partibus, quæ per primum calorem iam dictum diſpoſitæ ſunt ad ſuſcipiendam vltimam viuificam perfectionem affert actum vitæ; dum ex ambobus inuicem copulatis (ex primo enim tanquàm ex materia, & ex influente tanquàm ex forma) vnus fit, & perfectiſsimus calor, à quo perfectiſsimæ operationes prodeunt: & quoniam ſine his, immò ſine congrua horum diſpoſitione non ſtat vita: Quod ex Galeno clarè patet dum de primo loquens ad mentem Hipp. ait Calor naturalis eſt illa natura, quæ regit ſolida membra, pariter, & dum de ſecundo ſermonem facit dicens: Cor natiui caloris eſt quaſi fons quidam, ac focus; & alibi clarius, dum ait, calor per arterias, & venas confluit in corpus: De illo autem, qui ex ambobus ſimul coniunctis reſultat ratiocinatus eſt in lib. de marcore, inquiens calor naturalis eſt natura noſtra; Modus igitur, quo talis po-

Lib. 9. de Hiſt. Plát. cap. 17.

In 4. Aph. 37.

In 6. de vſu partium cap. 7.

In lib. 5. de vſu puls. cap. 5.

Capite 3.

tus

tus interficit vnus non eſt, immò varij: Primus quorum eſt, quia frigiditas penetrando ſanguinis, ſpirituumquè ſubſtantiam, ipſe ita coagulatur, vt ceſſet à motu; ideo etiam reliquum ſpirituum extinguitur; In vtraquè quarum ſubſtantiarum calorem maxima in parte fundamentum habere ex Galeno colligitur in ſecundo libro Aph. nec dubium eſt via hac calorem in ſanguine reſidentem extingui, cum neceſſariò ad ſanguinis coagulationem ceſſet motus caloris in ipſo fundati; quo ceſſante confeſtim extingui, ex verbis hiſce Galeni apertè colligitur conſcriptis in lib. de Tremore, palpitatione, conuulſione, & rigore: Calor naturalis eſt ſubſtantia per ſe mobilis, & ſemper mobilis: Secundus modus eſt, quia frigiditas ex ſui natura inimica eſt pleriſquè ſolidorum membrorum calorem in ipſis complantatum mortificando, & celerrimè, & facillimè; influente cum longè imbecillior fit, reddit ipſum ineptum ad recipiendum actum vitæ, cuius indicium eſt repentina ceſſatio motuum, tùm arbitrariorum, tùm naturalium: De qua re clarè loquutus eſt Galenus in octauo de decretis Hipp. & Plat. dicens: Cum vel frigore, vel veneno frigefactum fuerit corpus, nulla alia re in ipſo alterationem patiente, ſtatim quidem arteriarum motus, neruorum item, & muſculorum ceſſant, Poſtremus modus eſt, quia prohibet, quin minus calor influens perueniat ad partes, quibus opus eſt præbere actum vitæ, tùm quia frigiditas anguſtat vias, per quas ille conſueuit tranſire, tùm quia hebetat illius motum: Adeſt & alia cauſſa præter dictas, ob quam apparet nihil eſſe magis mortiferum, quàm à vehementiori exercitatione, intensè frigefieri, ſiue id contingat, dum quis frigefacientem aſſumit potionem, ſiue dùm intenſiori ſeſe frigori exponit: hæc autem eſt, quoniam calor labore conceptus à frigore, ſeu intrinſecus ſuſcepto, ſeu extrinſecus occurrente, extrà progredi prohibetur, per

Commen. primo.

Cap. 6.

mea-

meatus ob caloremmet conceptum recluſos, cuius etiam pars in actu exercitationis extrà euanuit, & cum eo innati portio veluti, ex ſuccedente delaſſatione deprahenditur: Quò fit, vt occurrens, ingredienſquè frigus, & membra natiuo ipſo calore magna in parte deſtituta illa deſtruat, & eò facilius, quoniam externus retentus calor ibi, tanquàm hoſtis concluſus fauet ſyderationi: Ita vt minimè mirum ſit, ſi homo mortuus concidat in tàm breui temporis interuallo: Sed remanet principalis difficultas diſcutienda, Quæ eſt: Ex quo iam dicti effectus omnes ſupponunt neceſſariò velociſsimam penetrationem, tùm vini, tùm aquæ gelidæ: Quomodò hæc denſa valdè effecta ob frigiditatem, tàm citò permeare poſsint, cum quæ promptiſsimè penetrant, vt tenuia ſint neceſſe ſit. Quam difficultatem auget robur corporum æſtuantium, quæ ab aſſumpto gelido potu protinus pereunt: Suadet ſiquidem ratio, vt natura tanto munita robore deberet reſiſtere tàm lætali penetrationi: De ijs, qui ab aſſumpto vino pereunt poſſumus minori longè cum negoeio reſpondere: quia illud etſi actu gelidum ſit, quia tamen potentia calidum, fieri vix poteſt, quin aliqua in parte actuatum præſertim in robuſto, vnaquè, & æſtuante corpore propria vi non penetret; cuius penetrationi mirificè fauet natura promptiſsimè illud admittens ob eam, quam cum ſanguine habet ſymboleitatem: Aqua verò, & ipſa quantuncunquè denſior ob frigus reddita, iccircò penetrat ſanguinem, quia non liquida modò eſt, verùm & mixtis omnibus liquidior: Qua de cauſſa vino permixta, etſi id ſua caliditate ipſam penetrare faciat, ex aduerſo ea vinum ſua ſubtilitate; vinum enim quamuis ſecundùm aliquid aqua ſubtilius ſit, aqua tamen ſecundùm totum eſt ſubtilior vino: Hinc oleo commiſta in lebete conſumitur ab igne vix vllo cum olei diſpendio, nihil enim craſsi, aut perpuſillum habet, ſed penè tota æqualis eſt, celeriter propterea reſoluitur, quod in conſumptarum partium lo-

cum nihil eſt, quod ſubeat, aut ſubſtituatur: Adde & parum illi obſiſtere ſanguinem, cum rarior effectus ſit ob æſtum, ratione cuius acquiſitæ raritatis aquam calidam frigida celerius congelari ſcriptum reliquit Phyloſophus cuius penetrationi, & ſanguis, & ſolida membra eò magis fauent, quò magis æſtuant, ducta eo naturali impetu, de quo iam fuimus loquuti, vt ad priſtinam, magiſquè ſecundum naturam diſpoſitionem reuertantur. Regredientes modò ad alium locum Raſis, vbi inquit ipſum in præſeruatione à Peſte laudare potum aquæ niuis; laudat vtiquè, & meritò, ſed non prout habet ſimplicem rationem materiæ potulentæ, quinimmò potius prout habet rationem præſidij, ſat ſtrenuè præcuſtodientis homines à peſte: quæ quidem præcuſtodia, vt narrat Galenus ad mentem Hipp. in ſecundo Aphor. decimoſeptimo, curatio quodamodò dicitur: In domeſtico ſiquidem potu aſſumendo videlicet in cibo matutinis, veſpertinisquè horis, peſte ipſa vagante, quemadmodum obeſt vinum vinoſum, purum, copioſè aſſumptum, quia immoderatè nimis inflammat (credant quicquid volunt plerique Gallorum, qui eo abſquè, à peſtilentia ſe minimè euadere poſſe pro certo habent) ſic & ſyncera aqua, quoniam cordi, ventriculo, & in mulieribus vtero, viribuſquè, omni in ſubiecto parum amica, ni obſtet conſuetudo, veluti in Abſtemijs, non conuenit: Nam appoſitus in Peſte potus, eſt Vinum album, perſpicuum, maturum, ſubauſterumquè, & probata aqua temperatè dilutum: Admittit itaquè illam Raſis, vt præſidium; ſed non in qualibet conſtitutione indiſcriminatim; ſed in ea tantùm, quam ipſemet explicat dum inquit: „ Quando autem in fine æſtatis multus fuerit calor, Autumnus quoquè valdè ſiccus, & multùm pulueruleutus extiterit, ac frigus, & pluuia venire tardauerit; Manſiones tunc infrigidandæ, & humectandæ pannis craſsis aqua aſperſis, atquè ap-

In 4. Metheo. c. 12.

In 4. 5. lib. ad Almans cap. 15.

In p. lib. de differ. febrium. cap. 4.

» appenſis, & aqua in domus pauimento roratione erunt:
» A labore quoquè, & coitu abſtinendum erit; corpus
» præterea aqua frigida lauandum, & aqua niuis in potu
» ſumenda; Sauich etiam coctum mane cum multa aqua,
» & pauco Zucaro bibendum erit, & aqua in niue infrigi-
» data potanda: Per Sauich autem Arabes Polentam intelligunt, cui ſiccandi, vnaquè & refrigerandi facultatem ineſſe, potiſsimum ſi hordeacea ſit (cuius conficiendi modus in lib. 2. de Dyamidijs traditus eſt) ex Galeno habemus in comentario 4. in lib. Hipp. de ratione victus in acutis morbis ſuper textum 112. vbi inquit Hipp. illam modò ex hordeo, modo ex tritico, modo ex ambobus parari; multa & de ipſa à Galeno conſcripta ſunt in primo lib. de facultatibus alimentorum cap. vndecimo: Non in qualibet inquam aeris conſtitutione: quoniam vt Galenus inquit, & optimè: Peſtilentia oritur magna ex parte ex inſpiratione aeris circumſtantis à putreſcibili euaporatione infecti, quæ euaporatio etſi calidam, humidamquè aeris conſtitutionem conſequatur vt plurimum, contingit tamen quandoquè eodem Auctore, vbi ſuprà, præcedere ambientis aeris caliditatem inmodicam, quemadmodùm in ea peſtilentia, quæ Athenienſes inuaſit, vt Thucidides inquit: Et quamuis in præcuſtodia à peſte tota victus ratio ad exiccationem vergere debeat, ita inſtituente Auicenna: Hinc legimus Galenum ſummis laudibus proſequentem admirandum Hipp. qui peſtem illam ex Aethiopia ad Græcos venientem, non alio præſidio repulit, quàm præcipiendo, vt ignes per totam Ciuitatem accenderentur; Vagante tamen ea conſtitutione, quam deſcribit Raſis Autumno præſertim, vſui impensè refrigerantium, non admodùm tamen ſiccantium prorſus inſiſtendum eſſe, multa perſuadent: Primò quoniam intemperata, vt effecta corpora ſint, ab hac conſtitutione per ſex menſium ſpacio perdurante, ferè neceſſe eſt;

In p. lib. de diff. feb. cap. 4.

In p. quarti tract. 4. cap. 4.

In lib. de Theriaca ad piſoné. cap. 16.

eſt; ideo contraria illis adhibenda, vti Galenus rectiſsimè iubet in ſexto de tuenda valetudine, quia à ſimilibus cum perpetuò ad ſtatutos morbos diſponantur, ad peſtem ſuſcipiendam, via hac maximè diſponuntur, hebetata maximoperè reſiſtentia, quæ in optima diſpoſitione, vel optimæ proxima conſiſtit: Secundò, quia cum non poſsit impediri aduentus Autumni, qui tùm ex ſuis qualitatibus vitæ opponitur, tùm & quoniam tunc & ſol à nobis diſcedit, qui eſt Auctor vitæ, & generationis, & conſeruationis rerum omnium teſte Philoſopho, propinquus enim, & remotus facit ille contraria, vt idem aſſerit; hinc in Autumno Arborum folia ſiccantur, & decidunt, & marceſcunt quamplurima; cum inquam aduentus illius non poſsit impediri, ſaltem humoris omnium pernicioſiſsimi multiplicatio pro viribus retardetur, atræ bilis videlicet, quæ cum perpetuò tunc generetur peruſtis in æſtate duobus ſuccis, ſanguine videlicet, & flaua bile: ita affirmantibus Hipp. & Galeno, & pernitioſa ſit, vti apertè indicant ægritudines, quas vagari aperit nobis Hipp. in 22. tertiij lib. aphoriſmo, longè maiori in copia, feruentiorquè, ac pernitioſior ob perſeuerantem à Raſi explicitam conſtitutionem, cum progigni neceſſe ſit, ab eiuſquè præſentia non minus membrorum illum gignentium intemperies augeantur, quàm à dictis intemperaturis eiuſdem quantitas, & copia, à quibus humana corpora, & peſtis ſuſceptioni, & morti maximè obnoxia redduntur: Tenebatur Raſis, aquæ niuis potum laudare, tanquam eum, cui ſumma ineſt facultas prohibendi exuſtionem, ſine qua ſanguis, & flaua bilis in naturam atræ tranſire nequeunt. Poſtremò pro ſedanda ſiti, ſedat autem illam aqua temperando membra ſupercalefacta, quæ cum non extinguitur, hominem perpetuò conſumit, & tabefacit, iccircòquè & ad peſtem concipiendam diſponit ſemper, quia humores acuit, & calorem ſuprà ſuum humidum accendendo præparat ad febrem, aeremquè plurimum ad attrahendum impel-

In 2. Phyſ. tex. 26. 12. meth. tex. 33. & 34. tum & 2. de genera. & corrup. tex. 56.

In lib. de natura humana. tex. 35 In p. de morb. vul.

pellit euentandi aucta neceſsitate, tùm per conſpicuam inſpirationem, tùm per aſsiduam arteriarum dilatationem, qua ſubſtantiæ aeris ambientis aliquid perpetuò trahunt iuxtà Galeni ſententiam; Quæ omnia cum perpeſſa ſitis longè magis præſtet, dicta iam vagante conſtitutione, veluti homines vehementius vtraquè via inſpirare cogit, ita & peſtem ipſam longè facilius ſuſcipere; ſuſceptionis ſiquidem illius potiſsimum cauſſa, vti Galenus aſſerit, inſpiratio cum ſit: Tandem addit Raſim, ſuadere ijs, quorum ventriculorum concoctiua iacet virtus, vt ſibi ipſis præſto ſint, aquam niuis continuò aſſumant in potu: Qua in re calumniatur Raſim, & multifariam: Nam in quinto lib. continentis, in quo de Ventriculi affectibus ratiocinatur, vbi de imbecillitate digeſtiuæ agit, nihil dicit, ad aquam, vel frigidam, vel niualem ſpectans: Ita vt mihi ſedulò perquirenti nihil inuenire licuerit, niſi ea in parte dicti iam capitis libri prædicti, in qua de Apoſtemate calido ventriculi agit, vbi verba hæc profert. Vidi plures, & plures, in quorum ſtomaco, grauis erat nutricatio nimis, & aſſumpta aqua frigida in potum, exoneratum eſt cibarium inde, & mitigata fuit inflammatio ventris, & inde bona digeſtio facta fuit. In quibus laudat aquam frigidam non niuis. Secundò non in qualibet indigeſtione, ſed in producta ab intemperie calida: Poſtremò non dicit continuò eſſe bibendam: Primò quoniam, quæ habent rationem medicamenti non ſunt continuò aſſumenda, & maximè quorum ope vomitus concitatur, veluti in dicto hoc ſupponit: Sed ſupponamus Raſim alio in loco, quem reperire haud mihi licuit, recitatam ab ipſis ſententiam conſcriptam reliquiſſe: Iam penè infinities dictum à nobis eſt, & nunc repetimus perlibenter, aquam frigidam etiam valdè, medicamenti rationem habere: etſi enim Hippocrati potius, quàm Galeno inhærentes, vſum illius confertim

In p. de diff. feb. cap. 4.

Vbi ſupra.

Capite primo.

tim in magna quantitate aſſumptæ acutiſsimis febribus depellendis non vndequaquè probauerimus; habere inquam magni præſidij rationem, tùm reſpectu multarum contumacium ægritudinum, nec non & illas concomitantium ſymptomatum.

PRAEGELIDAE AQVAE VSVS, ET MVLTOS ESSE, ET PRAESTANTIORES LONGE, QVAM A COETERIS ELEMENTIS OMNIBVS PRODEVNTES, QVA MEDICAMENTI SVBIT IPSA RATIONEM, OSTENDITVR. CAP. VIIII.

ET quamuis ſcopus, quo noſtræ cogitationes intenduntur, alius non ſit, quàm vires prægelidæ aquæ inueſtigare, collatæ ad corpus humanum, ſola ſanitatis cuſtodia indigens: Ne fortè quis nos ipsam in poſtremis poſuiſſe exiſtimet, pauca hæc de illa, præter ea, quæ iam ad mentem Hipp. ſupra adducta ſunt, nec trita, nec iniucunda, nec curantibus nobis inutilia ſubijcere placuit: Illud ſupponentes nullum elementorum eſſe, quod curatiuæ medicinæ parti tamquam materia æquè, ac illa inſeruiat: Nam ignis, qui verè elementum eſt, interquè cœtera perfectiſsimus, & generationis cauſſa, vt inquit Auerroes, nullum prorſus vſum præſtat: Qui verò apud nos eſt, & cum illo æquiuocè dicitur iuxtà Alexandri ſententiam, vti idemmet Auerroes refert, tùm vbi ſupra; etſi multa efficiat meliora, & interdùm latentem rerum naturam detegat, quædam etiam quos volumus in vſus apta reddat: Multa enim quæ nutrimenti cauſſa ſumi-

In expoſitione canticæ Auic. com. 15. Tum in p. cœli com. 91. & 4. eiuſd. c6 32

mimus igne nobis idonea redduntur; panis, & pecudum, piſciumquè carnes quamdiù cruda ſunt, nè appetuntur quidem, vbi verò cocta fuerint in nutrimentum cedunt: Nam homo cum ſit in medio conſtitutus, qui cibi, terræ multùm, aut contumacis aliòqui ſubſtantiæ continent in ſeipſis, ventriculi viribus infeſtum; ij vi ignis domiti rediguntur ad caloris noſtri proportionem: Adde externas noſtrorum corporum partes, per hyemem calore ignis (vti conſtat) maximè iuuari, & maximè dum ægrotamus, nec non, & internas, cum ſcilicet epulæ vi illius actu calidæ à nobis comeduntur: Afferunt ſiquidem tunc prærogatiuam futuræ concoctionis ad cognatum ſuum calorem naturalem: Amplius & multa reperiuntur, vti copioſè narrat Galenus, ad ſtructuram medicamentorum attinentia, quæ donec priſcam naturæ ſuæ rigiditatem ſeruauerint, & acerrima, & noſtris corporibus inimica eſſe, docet experientia, Ignium virtute temperata, curandis morbis idonea redduntur: Etſi inquam tot vtilitates, ac commoda pariat, in materiam tamen medicamenti cedere nequit: Nec cum eo ſecundus in ordine, verè elementorum, Aer ſcilicet, quamuis præſto nobis vndiquè ſit, & intus, & extrà; vnde nec admoueri, nec amoueri poteſt: Terra pari modo, quia deſiccandi vim poſsidet, partibus extimis quouis affectu detentis exſiccatione egente admoueri poteſt, & potiſsimùm ſi igneæ ſubſtantiæ mixtionis ſit expers; nam quæ talis eſt, ita deſiccat, vt minimè ſit mordax: Ad internos autem affectus, vel parum, vel nihil poteſt proficere, quoniam per os eam aſſumere non minus nocuum, quàm horribile eſſet: Per terram autem hic, nec ſynceram intelligimus, quam in mundo oſtendi non poſſe vnà cum Phyloſophis Galenus aſſerit: Nec primum genus terræ Phyloſophicum, quod iuxta traditam à Galeno terrarum diuiſionem lapideum eſt, de quo nonnulla à nobis prodita iam ſunt, vbi de refrigeratione illa, quæ marmoreis ramentis abſoluitur ratiocinati fuimus: Nec

In lib. de Theriaca ad Piſonē. cap. 18.

in p. lib. de Elementis cap. 5.

In 9. de facult. ſimpl. medic. lib.

ſecundum pariter, Phyloſophicum, quod metallicum corpus eſt, de quorum aliquibus, & nonnulla dicta iam ſunt: Multò minus aliquod genus medicamentoſæ terræ à Galeno nuncupatæ gratia lucidioris diſtinctionis, cuius claſsis lemnia eſt ſigillo Dianæ obſignata; Alteraquè lemnia, qua Fabri vtuntur; pariter & tertia, quæ cum mirificè extergat, qui lintea, & veſtes lauant, ea vtuntur vice ſaponis: Hæ nimirum omnes ita diſtant à natura ſimplicis elementi, vt inter mixta imperfecta potius conumerandæ ſint: Per terram igitur illam hic vſurpamus, de qua Galenus loquitur dum ait.

Vbi ſupra.

» Terram vſitatè à latinis vocari dixi, quæ iniecta aqua » ſtatim ſoluitur; & fit lutum huiuſmodi ergo eſt, qua » homines ad culturam elaborant differentias habens » quaſdam ſanè ſecundum propriam rationem, & quæ ſe» quuntur: Hanc ſiquidem in terrarum latitudine maiorem cum cõmuni potabili aqua proportionem habere, non eſt, qui neſciat. Aqua itaquè frigida tanta in re non vnum, vel duo illorum ſeiunctim, quinimmò omnia, ſimul & longè ſuperat: Nam tùm intrinſecus exhibita, tùm & extrinſecus admota varios affectus depellit, varia membra infeſtantes; & ne methodum deſeramus; ſumpto exordio ab affectibus membris animalibus negocium facientibus, ad eos, qui ſpiritualia affligere ſolent pertranſibimus, à quibus ad eos, qui naturalia, nec non, & quæ membra generationi inſeruientia vexare ſolent, additis nonnullis, Quæ inter curandum aliquando accidere ſolent, vt ſciant legentes, nos gelidam aquam, tanto amore proſequi curantes, quanto odio eam, limites frigiditatis excedentem, cum in potu aſſumenda eſt, proſequimur, intenti nobiliſsimę omnium medicinalium operationi, cuius videlicet adiumento ſana corpora in optima ſua diſpoſitione conſeruantur. AQVA, itaquè frigida dum vigiliæ præmunt multifariàm ſuccurrit, primum os coluendo,

mo-

modicumquè illius bibendo; multis enim modis confert, comprimendo prauos vapores, qui ſurſum aſcendentes ſomnum prohibent, cerebrum humectando, concoctionemquè iuuando, eo modo, quo paulò infrà explanabimus; Quin etiam ipſa cogitatio rei, ſomnum conciliare poteſt, & in pictura, mare, fontes, flumina, & lacus inter lucos, ſyluaſquè, adeò, vt vix fieri poſsit, quin omnibus ſimul concurrentibus, ſomnus non obrepat, ita illi amica eſt aqua, & ſolitudo: Eiuſdem vſus in potu, tremori conuenit, vt refert Raſis Ioannitij authoritate: Dico tremorem, qui ex vini potu ortus eſt, tranſitus ad aquam, adeò quandoquè benè curat, vt multis præſtet medicamentis; nam tremorem ipſum aliquando frigidorum vſu curandum eſſe non modò Galenus docet, ſed probat Hipp. authoritate, qui Eſtymargei ancillam, cuius totum corpus tremore occupatum cum eſſet, liberauit ſecta vena: Ad eos pariter, qui ſyncope laborant, ſeu ob oris ventriculi æſtum, ſeu ob caliditatem balnei, vt etiam Galenus tradit, præſtantiſsimum auxilium eſt frigidæ perfuſio, tùm etiam moderatus potus, retinere quoquè eam in ore non parum confert: Porrò etiam in omnibus alijs lapſibus virium, ſeu animi, ſeu vitalis facultatis plurimum confert aquæ frigidæ inſperſio: Illius & potus confert ſingultui, fœtori oris, fœtoriquè corporis, tùm & ſuſpirijs: Nec ab re hiſce omnibus: nam humores corrigit, educit, putredinique illorum reſiſtit, æſtumquè tollit membrorum naturalium, quo ſublato, inuoluntaria illa ſuſpiria ceſſant; fieri enim non poteſt, quin & præcordiorum calor diminuatur, à collecto ſiquidem circa ipſa præcordia calore, ſuſpiria concitari, veluti ijs, qui in luctu ſunt accidere videmus; & ſcriptum reliquit Galenus: Pauca pariter aqua frigida ſtatim à cibo ſumpta, vt Celſus inquit, & maximè cui ſomnus ſuccedit concoctionem iuuat, & ſitim extinguit: Et quia etiam Ariſtotelis conſilium fuit, ideo non à forti ratione alienum; vti enim Galenus docet, claudi-

In lib. de tremore, palpit. conuul. & rigore c. 5.

In p. ad Glauco. cap. 14.

in 2. de ſpirandi diffic. cap. 6.

Lib. 4. c. 5.

in 2. lib. de ſymp. cauſis cap. 3.

tur os ventriculi inferius, dum cibus concoquitur, cuius clauſio ab aquæ frigiditate iuuatur, vnaquè & concoctio; ab ea ſiquidem repulſus calor, ad intima, fundumquè refugit, atquè colligitur: Et quod magis mirum videtur, non à cibo ſolum, ſed & ieiuno pauca ebibita concoctionis eiuſdem ventriculi, atquè nutritionis imbecillitati confert; quotieſcunquè inopia caloris innati, etiam abſquè intemperie vlla, viciat opera viſceris; calorem, quia vti dictum eſt, in imum ventriculi etiam inanis cogit, confirmatquè: A cibo autem perpetuò pauca ſit; in maximis verò corporibus, ieiunis, ventriculoquè ea, qua diximus cauſa languentibus à dimidio vnciæ ad vncias duas, nec ſingulo die, immò vix ſingula hebdomada ſemel, Tantum abeſt vt continuò è niue eliquatam, quod non minus falsò, quàm temerè Raſi adſcribunt in quotidiano potu aſſumere debeant, nam veluti ab immodica, viſceris viribus deſtitutis homo vt breui pereat neceſſe eſt, ita à pauca, tempeſtiueque aſſumpta confirmatis, quid mirum eſt, omnes functiones reſtitui? vnde ex bona coctione, nutritionequè reparatus, ac reſtauratus in integrum etiam abſquè auxilio perſiſtit, & munere ſuo rectè perfungitur: Fames facta ex reſolutione, aut raritate cutis, ni ſit, quod prohibeat optimè balneo aquæ frigidæ curatur, ſi curanda ſit, & iuſatiabilis videatur, iuxta Aetij, & Auicennæ ſententiam: Prohibet autem, vti ipſe inquit, corporis gracilitas, aut membrum aliquod tefrigeratum: Thorax nimirum, aut aliud quoddam: Nam confirmato corpore, & cute ipſa ex eo balneo denſata, cum parum, aut nihil difletur corpus, ceſſat etiam ſuperfluus reſtaurationis appetitus: Et quoniam ex vermibus canina vocata fames aliquando contingit, panis ex aqua frigida exhibitus vtilis eſt, ita aſſerente Auicenna vbi ſupra: In curatione enim vermium aqua ipſa frigida vtilis eſt, & valdè, & maximè pueris, & ſitientibus, calidioriſquè temperamenti: oportet autem repentè hauſtam multam, & ſimul

In Serm. 9 cap. 22.
In 13. 3. tractatu 2. cap. 14.

ſen-

ſenſim exhibere: Nam ex frigore illo, & humore partim diſrumpuntur, partim infrà dilabuntur: Sedes quoquè quà nutriri ſolebant, & ipſa deijcitur, qua ſublata diſpereunt; ſenſim autem minimè danda: Tunc enim haud arduum erit, quin vermes nutriantur, & ſymptomata inferant grauiora. In fame è genere boulimi, ſeu eius, quæ eſt cum ſacietate ventriculi, dum ſyncopis adnectitur multùm iuuat faciem cum frigida aqua aſpergere, ita præcipiente Auicenna, vbi ſupra: Clam autem, nec niſi magno cum impetu proijciatur, inde vt innatus calor reuocetur magis ad regimen membrorum interiorum. In 13. 3. tract. 2. cap. 16. BALNEVM & illius, in fluxibus ventris, vt Rufus docet, quatuor in caſibus plurimum iuuat: Primùm ſi fluxus ille fuerit ex bile, temperat enim frigidæ balneum caliditatem in membris noxiam: Secundò ſi ſit ex purgatione, aut imbecillitate, quod tertio loco ſit, dumodo eo in gradu non ſit, vt præſidium admittere non poſsit abſquè calumnia; aut quarto in pueris: In omnibus enim his cum fluxus eſt, aut laxitas meatuum, aut humorum tenuitas, aut virtutis contentricis imbecillitas, aut plura ex his, & frigidæ balneum meatus conſtringat, confirmet membra, cogat humores, patet quomodo mirificè conferre poſsit: IN MEMBRORVM omnium internorum ardoribus, & qui cum eryſipelate ſunt, cum frigida iccircò medicamenta exhibenda eſſe, incendiario calori, quoniam contraria, & aduerſa eſt, Marcellus inſignis Medicus adnotauit. TENTIGO ſuperflua egregiè curatur; tùm renum refrigeratione, in aqua currente velut fonte, aut riuo, nec non & in frigidammet aquam teſtium demiſsione; quæ in aquam demiſsio nuper vel è gelido fonte, vel è puteo hauſtam, immoderatam ſanguinis fluxionem vndecunquè emanantem ſiſtit, & qui animo linquuntur, recreat, feminiſquè profluuium ſuprimit; idemmet & ipſa præſtare valet, tùm ſub forma balnei admota, nec non, & ſuper renes largiter perfuſa: Sunt & multi viri, qui quamuis fe-

mine abundent, ob flatus tamen defectum ad venerem impotentes ſunt, quibus & frigidæ potus conducit. IN ACTV curationis varijs caſibus, qui frequenter contingunt ipſa ſuccurrit; dum enim ſanguis mittitur donec frigidam ille, cui mittitur in ore detinet, non linquitur animo; & non detinenti ſi ob fluentis ſanguinis copiam ſyncopis accidat, multò magis frigidæ inſperſio commoda eſt: IN Medicamentorum autem aſſumptione, frigida duobus nobis modis auxiliatur: Primùm ſi quis vomitu tenetur illius tùm inſperſione, tùm impoſitione manuum in ipſam: VALET & aduerſus periculoſa ſymptomata hominem aſſueta torquere, poſtquàm veneni calidi genus aliquod aſſumpſerit, auxilioque repetiti tepidæ aquæ potus illud reiecerit: Eorum primum eſt, tùm oris, tùm ventriculi excoriatio, hoc à tribus ſolet concomitari; Ab impotentia ſcilicet edendi, bibendi, & dormiendi; præter hæc & ardorem, & ſitim intolerabilem perſentiunt, veluti & innuit Dioſcorides, Quo in caſu cratere valdè gelida pleno rete imponatur, ſuper quam ſi patiens pronus ore apertò quieſcat, ardor mitigatur, ſitis extinguitur, ſomnus conciliatur, ſpiritus tandem recreantur; ita vt priſtina reuertatur valetudo, magis autem, citiuſquè prodeſt, ſi aqua aſsidue permutetur: Eadem ratione præſidium hoc abſquè periculo vllius læſionis, æſtate media admodum conferre poteſt iuuenibus à conſimilibus ſymptomatibus conflictatis, bilioſas, à quibus ipſi perſæpè depræhenduntur, febres concomitantibus. Quantum autem valeat balneum aquæ frigidæ poſt vſum calidi pro noſtris roborandis, firmandiſquè corporibus, mirè Galenus hiſce verbis explicuit; ſimile quiddam nobis accidere videtur, cum in frigidum ſolium poſt balneum ingredimur, ei quod ferro accidit cum tingitur, etenim tùm refrigeramur, tùm roboramur, quemadmodum & illud vbi candens iam redditum frigida mergitur: Et paulò infrà vbi de cura lætalis hecticæ loquitur: Qui hectica febri

In 6. lib. cap. 29.

In 10. meth. cap. 10.

citan-

citantes ad balneum accedunt, niſi in frigidam ſint dimiſſi, nihil iuuantur, In his enim quod remedium affert calidæ ſolium non eſt, ſed frigidæ: Et antequam huic capiti coronidem imponam: Neminem debet latere, frigidæ aquæ balneum inter omnia præſidia etiam validiſsima, quibus homo à cane rabido ſauciatus liberari poteſt, primas ferre, id ſiquidem etiam dum deploratus eſt, præſtare potens eſt, deploratum voco, cùm ad aquæ formidinem deuenit: Contagio ſiquidem quæ in hoc affectu concipitur Analoga cum ſit ad melancholiam, ſenſim ſerpit, ideo nec febrem, nec ſæuum aliquod aliud ſymptoma excitat, niſi ad poſtremum; quia tamen per partem poſt partem ad interna propagatur quouſquè ad præcordia perueniat, & tunc febrem ſuſcitat, & ſeptum tranſuerſum, & cor ipſum conuellit, hinc & aquæ timor, & furor ſuboriuntur; meritò quorum deploratus dicitur, mors quoniam breui ſubſequitur: Qui affectus omnium, qui homini contingere poſſunt iccircò curatu difficillimus eſt, quoniam inter eos fortaſſe nullus extat, quo magis occumbat natura, vt potè, quæ illi reſiſtat magis, quàm cuiuſcunquè animalis, quantumcunquè robuſtiſsimi, virtus regitiua: Efficit ſiquidem id naturæ diſsimilitudo, qua ab ea feritate, in qua reliqua animalia tabifica vi rabiendi cum cane conueniunt, homo longè diſtat: Hinc in contagioſis morbis, homines ab hominibus, & ſanguine coniunctis inficiuntur facilius: Quo fit, vt Ariſtotelis contextum, vbi hac de re agitur, non legendum eſſe præter hominem, ſed priuſquam homo contendat Doctiſsimus Leonicenus: Et quamuis vſtio maximum remedium ſit, quia tamen ſalutem afferre non poteſt, niſi tàm profunda ſit, vt ad vltimum terminum, in quo virus decumbit, perueniat, & præter magnum cruciatum, quem infert, liberè fieri non poteſt ob ſuccedentia incommoda; vbi nerui multi, ac venę inſunt: Addę nec ſemper tutam eſſe in partibus etiam, vel admodum carnoſis, in quibus non niſi circa morbi

In 10. lib. de Hiſt. animal. cap. 32.

inia

In 3. lib. de cõtagioſorũ morb. curatione. cap. 10.

initia faciendam eſſe docet Doctiſsimus Fracaſtorius: Quæ quidem principia cum valde ambigua ſint, & latentia, ob intenſiorem, remiſsioremuè morbi acutiem ex maiori, minoriuè patientis ſubiecti obſiſtentia reſultantem, periculum imminet, ne Medicus decipiatur, ita vt vrat aliquando præter lapſo principio, cum ſcilicet omnino ab ea abſtinere neceſſe eſt, ne venenum introrſum magis agitetur, ita vt non ſolum non extinguatur, ſed citius, maioriquè cum impetu ad præcordia obrepat: At remedium iſtud, & efficax eſt, & tutum in omni morbi tempore, & dum admotum eſt, minimè moleſtum, & paratu, vti conſtat, omnium facillimum: Et eius deniquè momenti eſt, vt deploratis ſalutem afferre poſsit; quemadmodum verba hæc perbelle nobis aperiunt: Quæ apud

In 5. lib. cap. 27.

Celſum conſcripta leguntur vbi de curatione aduerſus rabioſi canis morſum agit: Miſerrimum genus morbi, in quo ſimul æger, & ſiti, & aquæ metu cruciatur, quo oppreſsis in anguſto ſpes eſt: ſed vnicum tamem remedium eſt: nec opinantem in Piſcinam non ante ei prouiſam proijcere, etſi natandi ſcientiam non habet, modò merſum bibere pati, modò attollere, ſi habet, interdum deprimere vt inuitus quoquè aqua ſatietur; ſic enim ſimul, & ſitis, & aquæ metus tollitur: Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida vexatum neruorum diſtentione abſumat, id ne accidat à piſcina protinus in oleum calidum demittendum eſt: Immo non pro depellendis ſolumodo morbis, ſed & pro valetudine ipſa conſeruanda, Aqua, quæ nulla in parte culpari poteſt, vſqueadeò accommoda eſt, vt vino non modò poſtponenda non ſit, quinimmò pluribus in caſibus præponenda: Hinc Plato, & Ariſtoteles pueris vinum prorſus interdicunt: Immò & Galenus ipſe, nec immeritò: Nam in infantia ſi vino vtantur, facilè conuelluntur, & pereunt, aut ſyderantur: Quòd ſi robuſtiores ſint, ac temperatiores, quàm vt hoc malum ſentiant, euadunt ebrioſi, intemperantes, ſtolidi, ac petulantes,

In 2. de legibus. In lib. de ſomno, & vigi. cap. 3. In p. de tuenda vale. cap. 11.

lantes, & præcipuè ſi minus dilutum, quàm par ſit in potu illud aſſumant, nec mirum, quoniam calefacit, atquè humectat, atquè illorum capita replet, vti Galenus ipſe aſſerit vbi ſupra: Adde illis ſummè inimicum iccircò eſſe, quoniam tenuiſsimam, acrem, ſiccamquè partem continet, quæ proxima eſt ardentis aquæ materia, quæ æquè ſurſum facile fertur, ac promptè à capitibus eorum ſummè imbecillitatis cauſſa recipitur, nam ex omni vino non acido, etiam putreſcente aqua ardens excipitur: Quicunquè igitur ſola aqua in potu vtuntur, & oris ſpiritum eis benè olere facit, in actionibus temperatiores, & prudentiores, ingenioquè præſtantiores reddit: Halitus ſiquidem, & vapor à ventriculo aſcendens haud ſanè cerebrum, veluti vinum perturbat; Tutiquè magis ſunt illi à morbis, qui ex cerebro ipſo originem ducunt, talis attonitus eſt, paralyſis, ſurditas, cæcitas, podagra, & arthritis, conuulſio, tremor, & inſania, hiſcequè perſimiles, ita vt illi vini potus præferendus non ſit, niſi ob conſuetudinem Regionis, & Patriæ: Qua de cauſa ſimplicis aquæ potus nobis Cæſenatibus officeret procul dubio, qui à maioribus tàm longam originem ducimus, aſſuetis potare vina, tàm generoſa: Quæ nec conferre nobis poſſunt niſi optimè diluta, & dum in prima ætate ſumus præter hoc ni paucifera ſint, ſi non abſolutè, ſaltem in latitudine eorum, quæ à tam feraci ſolo tanta in copia producuntur: Adhuc, & ſummè diluta: Eſt itaquè vinum ad lætitiam, atquè exhilarandum, aqua præſtantius, ſenibuſquè neceſſarium, & ijs, qui ad melancholiam morbum natura propenſi ſunt.

✠

INTER MVLTA A' NICOLAO MONARDES PRO SVA OPINIONE RO-BORANDA SCRIPTIS TRADITA; ALIQVA SVPERVACANEA, A-LIQVA VERITATI PROR-SVS REPVGNANTIA ESSE, OSTENDI-TVR. CAP. X.

Pagina. 148. In 2. centuria curationũ medicinaliũ.

ET quando addit Amathum Luſitanum indita glaciei portione in ore hominis ardenti febre laborantis, oris, fauciumquè excoriationem, incendiumquè extinxiſſe: Nec mirum eſt, nec præſidium repræhenſione dignum eſt: Ab eo ſiquidem non admodum differt, quod pro ſimilibus ſymptomatibus reprimendis, à nobis paulò ſuprà propoſitum fuit. Dum verò inquit ſe Equitem ſanaſſe lætali affectu laborantem, ſecta illi vena, tùm & exhibita quandiu affectus durauit aqua è niue eliquata: Cauſſam vt mihi videtur affert de ſua fide ſecus exiſtimandi: Nam Eques ille, vti ex allatis ab ipſo ſignis elicitur (ni forte ſit figmentum) laborabat malo corporis habitu καχεξία græcis, & quia illius ætatem non exprimit; neceſſarioquè concludendum eſt, vel in puerili, vel in ſenili, vel in media ætate illum conſtitutum fuiſſe: neceſſe eſt ipſum erraſſe, & inſigniter, vel in prognoſtico, vel in curatione: Quamuis enim, & Pueri, & ſenes cum hoc malo depræhenduntur facilè pereant; propter vitalis facultatis imbecillitatem, & quòd ob cutis raritatem, ſucci in eis promptè transpirent: At verò qui in vigore ſunt, rarò incidunt, & facile ſe inde extricant: Si igitur Eques ille Adultus erat, errauit in Prognoſtico dum dixit illum pro mortuo habitum fuiſſe: Nec obſtat non ab ipſo, ſed

Vbi ſupra.

ab

ab imperitis: hoc enim ſuperuacaneum eſt: Nec obſtat pariter cachexiam eò uſquè virum illum infeſtaſſe, vt iam eſſet in proxima ad aquam inter cutem diſpoſitione: Quia tunc errauit in curatione venam ſecando, aduerſus mandatum omnium Medicorum, & in primis Galeni aſſerentis Tympaniam, & Aſcitem nullum per ſanguinis miſsionem ſanare auſum fuiſſe: Nec obſtat adfuiſſe periculum Anaſarcæ, quæ quanuis venæ ſectionem aliquando requirere videatur, & inter initia tantùm, non tamen ſemper Galeno met Auctore, vbi ſupra, nec in vniuerſum, ſed dumtaxat, quando, aut ex ſupreſsis menſtruis purgationibus ortum habuerit (quod eo in caſu accidiſſe non potuit) aut ex retentione conſuetæ hemorrhoidalis excretionis, eo quoniam in caſu, ſat erat ipſam prouocaſſe venis ani hirudines admouendo, abſquè quòd Iecur importunè adhuc magis refrigeraret venam ſecando, & eò maximè, quoniam æquè ex dictis illius elicitur cachochimicā cauſſam adfuiſſe, ac pletoricam abfuiſſe: Quod præſtando, & magis adhuc errauit ſi ſenex erat, vel puer ante quartumdecimum ſuæ ætatis annum iuxtà præceptum Galeni: Nec tandem potuit non pererrare, ſeu Puer, ſeu Adultus, ſeu Senex fuerit, in potu illi exhibendo aquam è niue eliquatam, cùm & ſinceræ aquæ, quantumcunquè optimæ, potum eo in caſu Medici omnes indiſcriminatim vno ore interdicant, & loco illius, vini albi tenuis, odoriquè potum inſtituant: Et quia conatur adhuc conſpicuo exemplo niuis vſum comprobare inquiens: In Aula ſummi Catholici Regis, veluti neminem eſſe, qui ea non vtatur, ita, & neminem eſſe, qui ex illius vſu, aliquod ſenſibile detrimenti genus perſentiat: In hac aſſertione etiam ſi inſidioſa, & fallacia contineri, ex Galeno, Auicenna, Haliabatequè allatis iam ſupra in Capite duodecimo primi libri ſatis ſuperquè à nobis ex eo oſtenſum fuerit, quoniam damna ab hoc abuſu concitata, non niſi poſt ſatis longum temporis interuallum deteguntur; Poſſemquè ex aduerſo

In 4. lib. de rat. vic. in morb. acut. cō. 111.

In lib. de curandi ratione per venæ ſect.

Pag. 149.

nomi-

nominatim patefacere Principes, Præſules, Aulicos, Patriciosque propemodum innumerabiles, qui noſtra hac ætate, ſola hac de cauſſa in enarratas iam, atquè in enarrandas modò miſerabiles ægritudines prolapſi ſunt, & ex corporis verè vinculis intempeſtiuè euolarunt: At turpem defunctis famam parere impium eſt: Quamuis veluti illorum partes aliqua in parte defendi poſſent; ita illorum nullo pacto, qui alioqui ſcientes, ad colligendã tamen eorũ beneuolentiam non minus ficte, quàm iniquè loquuti ſunt: Et quamuis multi cuiuſcunquè ordinis, & ſtudij adduci poſſent hac ſola cauſſa ante diem mortui: Quorum incontinentiæ Illuſtres ſcriptores parcere noluerunt; nè legentibus extrà neceſsitatem moleſtiam exhibeamus, vnius exemplum pro innumerabilibus illis ſufficiat, in quo aggregata omnia erant, ſi in quouis vnquam, ſummè apta reſiſtere cuicunquè alteri morbificæ cauſſæ: Qui Parentum noſtrorum tempeſtate, præclaram vitam vixit, ſatquè iuuenis adhuc erat, optimaquè totius, tùm corporis complexione (& quod tanta in re multi erat momenti) ventriculi in primis, necnon & robuſtiſsima compoſitione præditus: Et quamuis propterea quod eruditiſsimus, meritò, atquè electione Cardinalis primarius extiterit; inſita tamen natura, ac diu confirmata familiæ propenſione Imperator, & vnà virtute præſtans erat: is fuit celeberrimus ille Pompeius Columna, cui Carolus Quintus, Imperator, apud Neapolim ſummam poteſtatem tribuerat: Qui veneno hoc, immaturè, atquè hominum opinione celerius, ſublatus eſt, cum præſertim tanta vis ſpiritus, & ea quidem aduerſus morbos indomita, amplo, ac robuſtiſsimo in corpore vigeret: Veneno inquam hoc, & nullo alio: Nam tùm Medici, & Pollinctores, exenterati illius Viſcera, nullo alterius veneni indicio notata, omnibus, qui quouis altero potius ſublatum fuiſſe ſuſpicabantur, retulerunt: Ita narrante Paulo Iouio Hiſtorico, pariter, & Medico, in calce vitæ illius, vbi intempeſtiuæ

mor-

mortis ipſius cauſſam hiſce verbis exprimit. Vtebatur quia à Prandio ſtatim æſtate, pariter atquè hyeme, frigidæ potu ardente ſcilicet ſtomaco, qui à multo calore vel prædura cibaria perficere erat ſolitus; ſed vinum ineunte ſtatim æſtate, niue è Sammij montibus quæſita affatim miſcebat, fruſtrà damnantibus Medicis, quorum Placita ſerio, & ioco, vti ancipitia, atquè incerta ſæpiſsimè refellebat; iccircò ante diem è vita deceſsit: ſed vt in poſterũ, quò minus fieri poteſt, mortales decipiantur, tùm gratia diminuendi laborẽ ijs, qui Medicinæ non incumbunt, tùm vt qui ſua ad eã ſtudia contulerunt, ſciant; Animum meum huc ſpectare, vt pro viribus proſim hac in re, quæ noſtra hac tempeſtate paſſim cum vigeat à tot Doctiſsimis viris ferè omiſſa fuit, ne dicam neglecta: Nemo enim de illa ex profeſſo ſcripſit, neſcio an incuria, vel potius, quia grauiſsimis aliarum ſuſceptarum rerum non fortè magis vtilium oneribus preſsi fuerint: Chriſtophorus tamen A' Vega inter Hiſpanos Medicos celeberrimus, & qui Medicinam non modò publicè profeſſus eſt in Complutenſi Academia, apudquè eam Nationem fecit: ſed & Regis Philippi, & Regiæ illius Aulæ Medicus fuit, veluti tùm ex ſecundò illius de arte medendi libro ſectione ſecunda, tùm & clarius ex quarto libro Aphor. cõmento. 30. elicitur: Quæ de tanto Abuſu ſermonem obiter habens verba protulerit, hic tranſcribere libuit.

„ Aqua ex gelu, aut niue pernicioſa eſt; ideo in ſani- In 2. de ar te meden. lib. ſect. 3. cap. p.
„ tatis cuſtodia omnino fugienda eſt, præterquam valdè
„ æſtuanti ſtomaco, quem potius curare, quàm conſerua-
„ re ſit opus; nam nec his eſt ſatis tuta, ob circumſtantia
„ membra: Verùm hac noſtra tempeſtate, inter Magna-
„ tes, veluti Peſtis quædam pernicioſa, ſuborta eſt con-
„ ſuetudo, apud quoſdam æſtate tantùm, apud alios om-
„ nibus anni temporibus diluendi Vinum niue: Cum
„ tamen ex frequenti niuis vſu, aut ſolius, aut vino mix-

„ tæ maximum immineat periculum hydropis, ac mali
„ habitus, ex Iecoris, & ventris imbecillitate, & coli do-
„ lores: Quòd ſi eorum quiſpiam ab hís, & ſimilibus
„ morbis liberetur, hac vna tantum ratione id ſibi eueni-
„ re putet: Quòd pari modo incontinentes ſint, in vſu
„ calidorum, vt piperis, gingiberis, cinnamomi, & mel-
„ lis: Quæ omnia niuis malitiam aliquatenus corrigunt:
„ ſed vtrunquè exceſſum, vt mortiferum damnò; Doleo
„ tamen noſtri æui calamitatem: Video enim luem Epi-
„ cuream deuaſtaſſe, primum Germanos, deinde Flan-
„ dros, & Gallos, nunc Hiſpaniam quoquè in Tyrannide
„ tenere, antiqua Hiſpanorum continentia ſepulta.

POTVS IMMODICE FRIGIDVS, QVIBVS OFFICIAT MAGIS, AN SCILICET HABITANTIBVS TEMPERATAS, FRIGIDIORESVE, AVT CALIDIORES REGIONES. CAP. XI.

SED iam ad magis neceſſaria pertranſire tempeſtiuum eſt, & videre, vtrum cœteris paribus, vſus potus immodicè frigidi, magis officere poſsit habitantibus calidiores regiones, vel temperatas immò frigidas: Nam quòd inter hoſce magis lædere illos poſsit, qui calidiores regiones incolunt ex Hippocrate elicitur, aſſerente hominum immò animalium omnium ventres, hyeme atquè vere calidiores eſſe calido naturali, eo præcipue quoniam vti Galenus in cōmento exponit iuxtà etiam Ariſtotelis ſententiam, refugit illo propter circumſtantem extrinſecus aeris frigiditatem, æſtate verò res oppoſito ſe habet modo, quia cum ad ſibi affinem protendatur, ipſum & diſſolui contingit: Qui oppo-

In p. lib. aphor. 15.

oppoſiti effectus, cum in humanis corporibus, & ab ipſis regionibus neceſſariò ea ratione producantur, qua illę vel calidiores, vel frigidiores, vel media quadam inter haſce diſpoſitione affectæ ſunt, ſtatuendum videtur, corpora frigidiores regiones colentia, vel temperatas, vt potè maiori calore munita, à tali potu longè minus lædi, ijs qui illarum calidiores habitant, Hinc talis potus minus calidis magis denegandus videtur, vti iam fuit oſtenſum, & calidioribus minus, quia ex maiori, ex parte ipſorum obſiſtentia, minor & læſio imprimitur: Pro veritate aſſequenda, in primis animaduertendum videtur, Hippocratis dictum, in omnibus corporibus veritate non comprobari, ſed iuxtà Galeni explanationem, in habentibus tantùmodò validum calorem, Nam in debilibus naturalis calor, à valido calore ambientis extinguitur, non roboratur; Et dat ipſe etiam exemplum de animalibus quibuſdam, quæ tota hyeme dormiunt: Ad quod & facit id quod & ipſemet, & Hippocrates protulit, ſenes videlicet æſtate melius ſe habere propter frigiditatem temperaturę, vti Galenus exponit, Tum & quod ex eodem ipſo elicitur, Pituitoſiores ſcilicet natura, æſtate melius ſe habere quàm hyeme, contrà bilioſiores hyeme quia conſimilis humor non augetur. Tertiò iuxtà Galeni decreta ſupponendum eſt, diſcrimen extare inter melius concoquere, & plus de calidis, & ſiccis humoribus progignere, Nam quamuis calor naturalis hyeme quia maior mole eſt, tunc & magis concoquat, æſtate tamen quia maior eſt qualitate, præſertim ſiccitate iuncta, etſi pauciora concoquat, concocta tamen ad magis calidam temperiem deducit. Quibus ſtantibus, concludendum videtur calidas regiones incolentia corpora à tali potu minus lædi: Primò quia etſi negandum minime ſit, naturam læſionibus à tali potu manantibus, ſtrenue reſiſtere, ope naturalis caloris qui magnus mole ſit: ſecus calida regione æſtateque minus valida corpora æquè ac robuſtiora ab ipſo male afficeren-

In 3. lib. Aphor. 14.

in 3 eiuſd. comen. 2.

In 5. de tuenda valet. cap. 1.

tur, quo nihil magis vnà cum ratione ſenſibili experimento eſt repugnans. Tunc tamen illam magis reſiſtere fatendum eſt, cum calor ipſe qualitate maior exiſtit, nec mole in infimo gradu poſitus; Tunc ſiquidem E diametro magis cum oppoſitus ſit, frigefacienti nocuæ qualitati, magis & reſiſtere aptus eſt: Et magis adhuc in venis exiſtentibus humoribus ab ipſomet ad longè intenſiorem caliditatis modum redactis, quàm illi ſint, qui à calore mole tantum multo, & non qualitate producti ſunt: Adde & præter hæc, quòd ſi corpus è frigida vel temperata regione recedens, et ideo minimè munitus dicto iam calore, qui qualitate multus ſit, ſed eo tantum qui mole, & calidam adiret regionem æſtate præcipuè, circumfuſus illius æſtuans aer, nulla concurrente ex parte dicti iam corporis (ſupponamus illud ad talem regionem recenter acceſsiſſe) obſiſtente cauſa præter calorem mole multum, quantumcunquè ab aſſumpto immodicè frigido potu etiam illi inconſueto prorſus, neceſſariò permutaretur, ſuo tamen aſsiduo contactu, atquè inſpiratu, ad contrariam diſpoſitionem illud abſquè intermiſsione vertendo, non mediocriter ab imminentibus in oppoſita, vel diſsimili regione, offenſionis gradibus præcuſtodiret.

Qua ratione coeuntibus hiſce duabus cauſis, æſtate ſcilicet, & calida regione, potus immodicè frigidus aliqua in parte ijs minus infenſus erit, quibus ſuapte natura alioqui infenſiſsimus eſt.

QVAE SINT CORPORA QVIBVS PRAE-COETERIS POTVS IMMODICE' FRIGIDVS INFENSISSIMVS EST. CAP. XII.

INTER illos autem quibus infenſiſsimus eſt, primarium locum obtinent Pueri, Primò quia admodum humidi ſunt, ſecundò quia etſi plurimum caloris innati habeant, ille tamen magnus vtiquè mol e eſt, at paruus qualitate: Eos nimirum abundare calore naturali copioſiore ac ſuauiore affirmat Galenus, tùm in illis, & præſtantiſsimam eſſe concoctricem: Iuuenes verò non maiorem, ſed ſicciorem, immò minorem ſubſtantia, ſi ad mixtionem conferatur: Quo ſit vt non tam bene concoquant, ſicciores tamen progignant humores, Tertiò quia multum dormiunt, vigiliæ autem errori huic reſiſtunt magis quàm ſomnus: Poſtremò quia nec animo nec corpore multum ſe exercent, longum iccircò iter peragere non valent. Hoſce valdè Senes ſubſequuntur, quorum calor cum & mole, & qualitate paruus ſit, de facili & diſſolui, & ſuffocari paratus eſt. In poſtremo loco ſunt mulieres, quarum calor ſi ad virilem conferatur, & mole vnà & qualitate paruus eſt, demptis perpaucis quæ Viragines ſunt: Mulieres ſiquidem omnes, demptis illis quæ in ſenili ætate conſtitutę ſunt, quibus omnibus frigefacientia, propemodum omnia ſummè aduerſari, non eſt qui negare audeat: Mulieres inquam omnes, vel Virgines ſunt, vel Viduæ, vel Nuptæ, quarum aliquæ ſteriles ſunt, & aliquæ fœcundæ, & hæ, vel vtero gerunt, vel Parturientes ſunt, vel Enixæ, vel lactant: Et præter dictam iam caloris paruitatem, quilibet Potus immodicè frigidus, iuuenibus mulieribus omnibus, indiſcriminatim infenſiſ-

In lib. aduerſus Lycum.

ſimus eſt ſi quid aliud communi ratione in primis, immò communibus duabus rationibus: Prima quarum eſt, quoniam ferè omnes ad Viros ſaltem collatę ocioſam vitam ducunt: Qua in rè & Virgines vt plurimum peccare magis videmus: ſecundam perſpicuis verbis aperuit nobis Hippocrates dicens, Sedi, Pudendis, Vtero, Veſicę, His calidum Amicum, & iudicans, Frigidum inimicum, & Perimens. Vterus ſiquidem tantę operationi deſtinatus, quia neruoſus, & chartilagineus eſt, interquè ſeminales partes poſitus propterea frigidus eſt: Hinc Celſus connumerans omnia quæ frigore infeſtantur dixit, Senex, Tenuis Vulnus, Præcordia, inteſtina, Veſica, Aures, Coxæ, Scapulæ, Naturalia, Oſſa, Dentes, Nerui, VVLVA, Cerebrum: Omnibus igitur his prodeſt calor: Qui cum vtero lòngè magis proſit quàm cæteris, magis & eidem contrarium frigus obeſt, ob præſtantem conſenſum inter ipſum, & membra omnia principalia exiſtentem: Quem veluti & apud Galenum legimus, egregiè more ſuo D. Plato hiſce verbis explicuit: Ea pars quę, & Vterus & Vulua in Mulieribus nominatur, Cum ſit Animal Prolem generare cupiens, ſi intempeſtiue, diuquè infructuoſum fuerit, ſuccenſens ægrè fert erransquè per totum corpus, & ſpiritus meatum obſtruens reſpirarequè non ſinens, in extremam anxietatem deijcit atquè multos alios morbos excitat. Vterum autem neruoſum nuncupauimus, haud ſanè propriè, ſed ea quam nobis aperuit Galenus cauſa, quoniam ſcilicet corpus illius latiſsimè diſtendi, contraquè in breuiſsimum ſpacium contrahi cernitur (Quod à nullo carnoſo membro, aut pingui præſtatur) Sic & Veſicam, & reliqua omnia alba & exangui materia ita nuncupare antiqui ſoliti ſunt. Sed iam ſatius eſt, priuatas, ſingulæquè particulari muliebri conditioni impartita a tali potu detrimenta explicare: Nocet itaquè Virginibus priua-

In 5. lib. Aphor. 22

In p. lib. cap. 9.

In 6. lib. de locis affec. cap. 6.

In 6. lib. de morb. vul. com. 2.

ſtatim, Nobilibus præcipuè atquè viro maturis, in quorum vteros cum ſanguis incipit confluere, & viam exitus non quantum opus eſt patentem inueniat (Quod ſat frequenter iccircò contingit, quoniam ipſiusmet vteri venarum orificia, exitum ſanguini præbere nondum aſſueta ſunt) cogitur ille ad ſuperiora membra nobilia reſilire, ex quibus cum nonniſi ægre refluere poſsit propter venarum obliquitatem, ibi retentus miſerabiles illos præter naturam affectus gignit, quos Hippocrates enumerat in libro de morbis virginum. Nocet itaquè & vehementer, quoniam in aliquibus menſium effluxum ſupprimit, in omnibus diminuit, & dupliciter, Primò ſcilicet quia vias omnes per quas ſanguis debet exire anguſtiores reddit, Secundò quia ſanguinem ipſum infrigidando incraſſandoquè, ad exitum minus habilem efficit.

Secundò nocet Viduis, illæ ſiquidem cum hiſtericis vocatis accidentibus, in latitudine omnium aliarum mulierum, abſquè comparatione obnoxiæ magis ſint Galeno teſte, & vt plurimum inter ea ijs quæ ſæuiora ſunt, veluti vehementi animi defectioni, ſpirationis priuationi, & totius corporis refrigerationi; Quæ cum à ſolo ſemine retento excitari affirmet Galenus, & vbi ſupra, Eo ſæuiora prodeunt, & precipuè illorum poſtremum, quò ſemen frigidius, humidiuſquè erit: Cuius frigiditati & humiditati ſi quid eſt, quod fauere & admodum poſsit, Præfrigeratus potus eſt, tùm quia materiæ, ex qua id fit, calorem diminuit tùm, & quia nocuam ſuam qualitatem frigefacientem, non vtero modò, vti iam dictum eſt impartitur, ſed & vnà vaſis ſpermaticis, ob eam quam cum vtero ipſo affinitatem habent, intrant in ipſum ſiquidem iuxta illius cornua Galeno Authore: Vteri autem ac partium illi inſeruientium refrigeratio quantum detrimenti corporibus muliebribus afferat, nos optimè docuit Galenus, qui poſtquam declarauit, ex ægritudinibus oris ſuperioris ventriculi, maximis, & vehementiſsimis ſymptomatibus animal

in 6. lib. de locis affec. cap. 6.

& in 2. lib. de ſemine. cap. p.

In lib. de diſſect. vul. cap. 9.

in p. lib. de ſymp. cauſis cap. 7.

mal torqueri volenſquè dictarum ægritudinum cauſas patefacere, inter primarias vteri præfrigerationem in VIDVIS connumerauit. INTER eas, quæ viris aſſociatæ ſunt, ſterilibus nocet & magnopere, confirmat quoniam atquè adauget: Principales cauſas ſterilitatis, quas explicat Hippocrates dum inquit, Quæcunquè frigidos, & ſpiſſos vteros habent non concipiunt, & quæcunquè præhumidos vteros habent non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura: Idemmet & Ariſtoteles hiſce verbis aperuit: Aquæ crudæ & frigidæ aut ſterilitatem, aut Partum fœmineum faciunt, idem ferè & dixit in ſexto de natura animalium capite decimonono: Et poſt ipſum Galenus, Mulier inquit fœminam nunquam conciperet, ni Viri ſemen, vel vterus illius, frigidior eo tempore eſſet, in quo concipit: Et poſt omnes illos Auicenna, dum cauſas ſterilitatis in medium affert inquit, Cauſa autem quæ eſt in matrice, aut eſt malitia complexionis corrumpentis ſperma, cuius plurimum eſt frigus congelans eam, ſicuti accidit ex potu aquæ frigidæ: Eadem ratione & vtero gerentibus nocet quia vterum ipſum tunc refrigerat, cum vt valdè calidus ſit pro fœtu conſeruando, ac perficiendo ſummè exoptat natura: Quod aperuit Hippocrates dicens dum inter cauſas, ob quas infantes recenter orti varijs morbis obnoxij ſunt, connumerat hanc etiam eſſe quoniam ſcilicet locus à quo exeunt calidior eſt, quocunquè adire poſsint: Errorquè eſt maxima reprehenſione dignus, veluti & omnes, qui à mulieribus vtero gerentibus manant, quos & Galenus maximis conuicijs affecit, & meritò, præterquamquod enim æquè contrà earum ſalutem atquè fœtus ſunt; illo ſiquidem precedente vix fieri poteſt vt bonus partus ſubſequatur, Ad cuius bonitatem duorum corporum vigore opus eſſe ſcriptum reliquit Galenus, grauidæ ſcilicet Mulieris, & infantis, Et cum bonus non eſt ambobus mortem per-

In 5. lib. Aphor. 62.

In 4. lib. de genera. Animaliū. cap. 2.

In 5. lib. Aphor. com. 42.

In 2. 13. tract. p. cap. 7.

In lib. de octimeſtri partu.

In 11. de vſu partiū cap. 10.

In 4. lib. Aphoriſm. com 53.

ſæpe

ſæpe affert: Homini propriam quaſi imprudentiam quoquo modo exprobrare videtur: Videmus nempè Agricolas, poſtquam frumenta ordeaquè ſeminauerunt, Vites atquè oleas conſeuierunt magnam curam adhibere, ne multo Vuido demerſa putreſcant, ne vè ſqualore exareſcant, aut frigore extinguantur. Ita vt apud genus humanum, pluris ſit Agrorum quàm hominum perficiendorum cura. Parturientibus, & Puerperis, ita nocet vt enecantis veneni rationem habere videatur: Nam in illis cum partum efficere laborioſum valeat, in cauſa eſt, vt in partu ipſo, vel moriantur, vel ab accidentibus deprehendantur mortem tandem, vel adminus indelebiles affectus concitantibus: Partus enim naturalis morbus eſt, naturalis inquam, quia maximè intenditur à natura. Morbus tamen quia adnexa habet torquentia valdè accidentia: Eiuſdem generis ſunt Variolæ & Morbilli, & Ortus dentium in pueris, qua igitur talis ſummè illi prægelidus potus aduerſatur, ideo puerperis ſi poſt partum exhibeatur, non tranſacta quadrageſima ſecunda die ab ædita in lucem fœmina, & non tranſacta trigeſima ab ædito in lucem maſculo, præter alia incommoda vim, & maximam habet retardandi immò retinendi prorſus Puerperia: Quæ quotieſcunque non vacuantur inquit Galenus aut vterum ipſum in phlegmonem agunt magnam, aut ad ſuperiorem aliquam ſedem vecta, parti excipienti proprium affectum periculumquè inferunt. Et Hippocrates de ſubſequentibus illorum retentionem ſermonem habens ſic ait, Mulieri puerperæ ſi non proceſſerit Purgatio contingit ipſam febrire, & horrorem habere, & ventrem magnum eſſe, & ſi ipſam attigeris, totum corpus dolere, maximè ſi ventrem attingas, & aliàs atquè aliàs ſtomachi dolore vexatur, & lumbos dolet, Et cibi faſtidium, & vigiliæ, & punctura adeſt. Poſtea quinto, aut ſeptimo die quandoquè venter turbatur, & ſecedunt

In p. Pror. Cōmentario 2. cō. 48.

In p. lib. de morbis mulierum pagina 14.

„ nigra, & valdè graueolentia, aliàs atquè aliàs, & vrina
„ veluti Aſinina, Et ſi ſeceſſerint, & videtur ſibi melius
„ habere, & curata breui ſana fit: Sin minus periclita-
„ bit profluuio ventris forti ipſi illapſo: Et Puerperij
„ purgamenta ipſi occultabuntur. Si verò venter ipſi
„ non turbatur, nequè purgatio prodeat ſua ſponte, neq;
„ ea, quæ commoda ſunt, breui exhibeantur, Tempus au-
„ tem progrediatur, multò magis ex prædictis affligetur.
„ Et inſuper periclitabitur, nè liuida fiat veluti Plumbum,
„ & aquam inter cutem incidat, & Vmbilicus extabit ip-
„ ſi ab vteris eleuatus, & circum circa nigrior erit: Et
„ vbi hæc facta fuerint, fieri non poterit, vt Mulier ſuper-
In 21. 3. „ ſtes maneat. Hinc Auicenna vbi de regimine Puer-
tract. 2. peræ agit optimè monet ipſam præcauendam eſſe ab his
cap. 3. quorum vſu alterans Hepatis facultas conſueuit debili-
tari: Ne ad aquam inter cutem deueniat, Nam ſi il-
lius Hepar indurabitur ſpes omnis ſalutis abijt.

Qvod verò lactanti Mulieri, & maximopere noceat,
& concepta ab ipſa læſio in Alumnum reflectatur, Ex
his quæ ab omnibus propèmodum cuiuſcunquè ſectæ
in p. lib. de Medicis Galenum inſectantibus ſcriptis tradita ſunt,
tuend. vale tàm perſpicuum eſt vt nemo ſit, qui pro comperto, non
tud. cap. 9. habeat, lac ad hoc, vt infanti conferat temperatum eſſe
debere, Nec tale eſſe poſſe, ni ſanguis Nutricis quam-
optimus ſit, talemquè tunc eſſe, cum nec flaua, nec atra-
bile abundauerit, nec pituitoſus erit, nec ſeroſus, nec
Aquoſo liquore permixtus. At quomodo fieri pote-
rit, vt poſtremis hiſce tribus vitijs careat, in muliere
quam prægelidus potus aſsidua delectatione afficiat?
Et quotieſcunquè talis erit ſanguis, quomodo inculpata
valetudine, vel frui poterit Nutrix, inculpatumuè lac
gignere? Quomodouè abſquè cacochymia Alumnus
in 3. lib. de eſſe poterit? dicente Galeno, lac, quod eſt vitioſi ſucci,
fac. alim. tantum abeſt vt ad ſuccum probum gignendum confe-
cap. 15. rat, vt qui eo vtuntur cacochymos reddat; & quod de-

terius

terius eſt lac ipſum extinguit: Quæ priuata incommoda omnia tàm clare explicuit Hippocrates hiſce verbis, vt nihil clarius, dum inquit: EX mulieribus multæ ſteriles fiunt propter aquas, quæ duræ ſunt ac crudæ, & frigidæ. Purgationes enim menſium non contingunt commodæ, ſed paucæ ac prauæ. Deinde pariunt difficulter. Vbi verò pepererint, pueros nutrire non poſſunt, lac enim ab aquarum duritia ac cruditate extinguitur. In lib. de aere, locis & aquis. cap. 2.

VTRVM IMMODICA VINI PRAEFRIGERATIO ILLIVS VIGOREM SVMME HEBETARE POSSIT. TRESQVE IN DICTIS GALENI AD POTVLENTAM MATERIAM SPECTANTES CONTRADICTIONES ENODANTVR. CAP. XIII.

IAM tempeſtiuum eſſet aggredi examen, particularium omnium modorum, quibus niue potulenta materia, noſtra hac ætate, pręfrigeratur: Ni duo adhuc circa materiam hanc tradita placita, aliquid moræ nobis afferrent: Quorum primum eſt, vtrum verum ſit, veluti aſſerit Nicolaus Monardes in iam citato ſuo libro de Niue, Quòd ſcilicet Vini immodica pręfrigeratio, primarium ſibi vindicet locum, inter ea, quæ re vera illius vigorem ſtrenuè infirmare poſſunt; ita vt pręfrigeratum minus caput petat, & detrimenta illa tàm acriter non afferat, quæ ſua vinoſitate non repreſſa, inferre poteſt, & conſueuit: Quod verum necnè ſit, ex quo ex perſpicuis Galeni propoſitionibus elici, non minus commodè quàm congruè poteſt, idcircò eliciendum eſt: In primis ſupponentes vna cum ipſo, quatuor eſſe vini partes, quarum vnà in 4. lib. de fac. ſimpl. medic. cap. 3.

tantum, verè vini rationem habet, & tres aliæ recrementi; inquit nimirum ille, vinum habet in sè recrementum craſſarum partium, vnde dum temporis ſpacio ſecernitur, ferturquè deorſum, fæx conſiſtit: Aliud verò ſecundum, quod florem nuncupant, dum vinum feruet ſupernatans, & poſtea ad fæces ſubſidens: Tertium Aqueum, quod toti Vino permixtum eſt, Hoc primario potiſsimumquè feruet: Quartum præter hæc eſt ipſum re vera Vinum: Secundò ſupponendum eſt, quartam hanc partem, eſſe omnium euaporabilem, Nam de vino defecato loquens dixit, Vinum ſi quis elixare voluerit, minimum quid terreſtre relinquet, reliquum verò omne extenuatum, in aerem ac vapores reſoluetur: Tertiò ad euaporationem iſtius præcipuè quartæ partis, vinum Aciditatem acquirere: Nullum enim Vinum ſecundum naturam Acidum eſt, vti inquit Galenus: Et Auerroes dixit Aciditatem ſubſtantialiter à frigido fieri, & accidentaliter à calido, non enim fit abſquè euaporatione calidioris ſubſtantiæ mixti, nec abſquè calido concitante ipſam euaporationē: Propterea dicebat Galenus, locus tepidus vina facile Acida reddit: Hinc quæ inualida ſunt, quoniam perpaucis calidis partibus munita, vere atquè æſtate aceſcunt, pariter & vehementius mota, & quæ in nauigijs longius aduecta, nec non & quæ in meridianis, & ſoli expoſitis locis, repoſita ſunt: Nec alia ſanè ratione, niſi quoniam ita comparatum eſt, vt res quælibet in propria ſeruetur natura calore proprio, corrumpatur autem ab immoderatione extrinſeca, præcipue caloris alieni abundantia: Quæ & immota, & hyeme ſuas ſeruant qualitates, ita eodem aſſerente: Qua ratione vt illud met facile aceſcat, in cauſa eſt vaſorum vinariorum quod recluſum perſtiterit: ſic è contrario benè operculatum minus id patitur, vnà cum Galeno teſte experientia: Qua nemo profectò eſt, qui penè infinities non nouerit Vinum quantumcunquè potens, & calidum, quale id Galenus eſſe affirmat; Quod tenue pelucida-

in 2. lib. de diff. febr. cap. 11.

In lib. aduers. Lycū

In 3. colliget cap. 6. & 16.

in p. lib de Antidotis. cap. 3.

in 4. lib. de fac. ſimpl. med cap. 13. & 14.

4. cō. in 6. de morbis vulg. cō. x.

In 3. de facul. ſimpl. med. c. 20.

cidaquè ſubſtantia eſt, colore vermicolo aut flauo, odore gratum, Quodquè dum temperatur plurimam aquam expoſcit, & de facili in ſanguinem vertitur: Qua vnica proprietate ipſum deſcribere alibi Galeno placuit: Quotieſcunquè extrà Vas vinarium ſteterit, etſi breui tempore, æſtate præcipue, in colore, odore, atquè ſapore infirmari, dato quòd in vaſe non lati admodum oris, ſeduloquè obturati adſeruetur: Et hoc non niſi quoniam vinoſiores (vt ita dixerim) illius partes, in quibus dictæ qualitates perfectè conſeruabantur, vi ambientis aeris caloris extenuatæ in vapores reſoluuntur: Ita vt potius mediocris calor, vel tepor ſit, qui vinum eneruare valet, quàm ipſa frigiditas: Tepor inquàm nam inſignis calor, tantum abeſt, vt cum debite vino applicitus eſt, illi vt officiat, vt potius mirificè eum conſeruet, veluti paulò infrà ſumus oſtenſuri: De cuius frigiditatis operationibus ſermonem faciens Auerroes, poſtquam dixit ipſam naturalem calorem coequare, ita vt enti conueniens ſit cuius eſt calor, confeſtim & inquit; Et etiam frigiditas deffendit, ſeu conſeruat, calorem generati, ne exhalet ſeu vaporet: Nam hoc eſt de conſuetudine eius, & facit eum redire intrà generatum. Et propter hoc digeſtio hominum morantium in terris frigidis eſt melior digeſtione hominum morantium in locis calidis: & fit fortior digeſtio in hyeme quàm in æſtate. Cogendo ſiquidem detinet calorem Quin minus exhalare poſsit, Nec obſtat dum ſummè pręfrigeratum eſt, ſui ſaporis acumen, à guſtu longè minus præſentiri, quàm dum in magis temperata diſpoſitione eſt conſtitutum: Hoc ſiquidem haud prouenit à diminuto vini vigore, quinimmò potius ab hebetata vi frigoris, guſtus operatione: Qui quamuis tactus quidam ſit, vti Phyloſophus inquit, eo forte quoniam horum duorum ſenſuum organa, ſecundum rem diuerſa minimè ſint, ſed iuxtà diuerſum modum operandi tantum, vti & iam iuxtà Themiſtij placitum à nobis dictum fuit: Quoniam tamen

In 3. lib. de tépera. cap. 4.

Quarto lib. methe. in SVMMA.

In 2. lib. de Anima. tex. 94.

tamen omnes, veluti Tactum ipſum, in terrea potiſsimùm conſtitui natura conſenſere, ita guſtum in aquea non ſine alijs fortaſſe qualitatibus: Penetratione ſiquidem ac fluxione opus habet: inde conſtat quomodo à frigore, vtpotè ſui natura, & penetrationem, & fluxionem interpellante, illius & functio impediatur illæſa remanente tactiua: Adde cum ſenſus guſtus, ſit animali maximè omnium neceſſarius (omnibus enim alijs vno dempto tactu ſine vitæ iactura carere poteſt) igitur & valdè nobilis: Et quia inſtrumenta ſenſus ad ſentiendum duo ſunt, membra ſcilicet propiora, & ſimiliora ipſi ſenſibili: & ſpiritus propiore natura atquè affini magis ipſi facultati; Qui quamuis omnes adeo tenues ſint, vt penè pro immaterialibus habeantur: Ad inuicem tamen collati, cum eò tenuiores ſint, quò particularis ſenſatio cui inſeruiunt eſt nobilior, & quò tenuiores eò paſsibiliores: patet quomodo illi à frigore magis patiantur, qui guſtui inſeruiunt quàm qui tactui: Quo fit vt Vinum quamuis actu generoſum, immodicè præfrigeratum, Parti linguæ occurrens in quà commune ambobus hiſce ſenſibus, organum quieſcens reſidet, non ſui ipſius deffectu quale ſit, à guſtu quò ad ſaporem percipiatur: Vtiquè verò quà tactile quinimmò potius quoniam guſtus facultas à frigore læſa eſt, Tactus verò, vel non læſa, aut ſaltem longè minus. VNA tamen hic ſuboritur nequaquam prætermittenda difficultas, ex quo ſcilicet vinum ſi ſemel præfrigeretur etiam intenſiſsimè, nihil ſui vigoris amittit: Verum idem contingat ſi a prima refrigeratione poſtquam vi aeris ad priſtinam diſpoſitionem reuerſum fuerit, iterum eo modo quo prius refrigeretur, & ita ſucceſsiuè pluries, modò ad hunc modò ad illum ſtatum redeat, perpetuò verum ſit, toties quoties refrigerabitur, id nullam prorſus primarij ſibiquè naturaliter inſiti vigoris, iacturam facere, Videtur dicendum, dato quòd illud dum prima vice refrigeratur, nullam, vti iam dictum eſt iacturam faciat, iuxtà tamen Galeni ſen-

ten-

tentiam, dum ſecunda vice refrigeratur, aliquam facere, maiorem ſi tertia, adhuc & maiorem quarta, & ita ſucceſsiuè ſemper, quò pluries refrigerabitur; tanta preſertim ſi mora, inter alteram atquè alteram particularem refrigerationem, interpoſita fuerit, quanta ſat ſit, pro illo ad eam diſpoſitionem redigendo, in qua extabat antequam nullam prorſus rei extrinſecus frigefacientis actionem perſenſiſſet. Dictum Galeni placitum peroptimè rei nature coreſpondens ex hiſce illius verbis elicitur: Aquæ frigidæ occurſus, aut vincit natiuum calorem, aut colligit. Vincit quidem cum debilis fuerit. Colligit autem cum fortis, ipſum diflari prohibens, & quamuis ibi Galenus de calore viuentium actuali ſermonem faciat, haud dubium eſt, & dictum illius verificari de partibus illis mixtorum, in quibus magis reſidet potencialis calor: Vinum itaquè ſuapte natura vigoroſum tenuioribus partibus cuius plurimum de calore inexiſtere, vel ſolo olfatu deprehendimus, recenterquè vaſe hauſtum, atquè in prægelida, aqua demiſſum ſuas iccircò vires integras ſeruabit, nulla quoniam eſt ratio, quamobrem ille eo ab occurſu poſſint non niſi colligi, minimè verò diſsipari, aut vinci: Res verò aliter se habet dum ab alternato, ab hac ad illam diſpoſitionem tranſitu, à diuturna extrà dolium mora, ſeparationem à multo ſuo vigoroſo quanto includente, nec non & ab inoportuna ambientis actione, validę longè minus, vel potius infirmæ redditę ſunt: Quod quidem per regulam à Galeno traditam experimento conſentientem vt ipſe aſſerit probatur: Aſsignans ſiquidem ille cauſam quamobrem Vina in contrarias qualitates facile mutantur, in acidam videlicet, & amaram, dixit locum multum facere, vt ad alterutram qualitatem mutentur: Ibiquè tres tradit regulas vinorum conſeruationi mirum in modum inſeruientes: Vna quarum eſt nullum Vinum ſeu validum firmumquè ſit,

In 5. lib. Aphoriſ. com. 21.

in p. lib. de Antidotis. cap. 3.

ſit, ſeu aquoſum & debile, in tepido loco poſſe conſeruari: Talis quoniam Vina indiferenter omnia Acida reddit, ideo à nobis meritò dictum fuit, teporem concitantia omnia à cellis Vinarijs abigenda eſſe: ſecunda eſt, vina valdè Aquoſa, & debilia ſi in frigido loco reponantur, Aciditatem illicò contrahere, A qua Patrem ſuum egregiè præſeruare conſueuiſſe, teſtatur, quotieſcunquè in calidiſsimam cellam ea deferebat, ſtœbeque cum multa tum calida plenas lagænas contegebat: Poſtrema eſt vina valida conſeruari & optimè, ſi inter initia per aliquod temporis interuallum, frigido loco repoſita, in cœllam poſtea ſatis calidam, quam ipſa deſiderant, transferantur: Ex qua Regula cum apertè colligatur, Vina valida de quibus in preſentia iunctim loquimur, vel ſatis temperatam frigiditatem diu tolerare non poſſe, quamuis in magnis vaſis contineantur, in quibus dum plena ſunt, veluti eſſe debent, Potentia reſiſtendi omnibus ijs, quę vino aduerſantur, pauca eſſe minimè poteſt, Si Auerroi fides adhibenda eſt, affirmanti propoſitionem ſuadentem nobis, adauctam corporis quantitatem, ſequi & augumentum virtutis illius, eſſe de numero illarum quæ per ſe manifeſtę ſunt: Remanet iterum ſtatuendum, Vinum huiuſmodi in actu primæ frigefactionis, ſui vigoris iacturam facere nullam, A ſubſeque͂tibus verò frigefactionibus particularibus illum hoc ordine diminui, vt ſcilicet ab ea gradatim magis quæ à prima erit remotior: At quoniam Diuites, apud quos præfrigerandi materiam potulentam mos præcipuè inualuit, eiuſdem præfrigerationem non niſi perraro renouare conſueuerunt: Iccircò & raro accidit vt illorum iuſſu refrigeratum Vinum, aliquid ſui inſiti vigoris amittat. Sed quia in hiſce Galeni dictis (quorum opè ni fallor, veritatem hanc perſpicuam reddidimus) Apparentes quædam contradictiones latitare videntur, haud mehercule contemnendę: Quas ne quis ſi fortè vnquam in lucem prodirent, nos vel non proſpexiſſe, vel neglexiſſe exiſtimaret, ipſas

In p.p. lib. capite.

In 3. lib. phyſicorũ com. 42.

ipſas intactas præterire non placuit. Et eo minus quoniam ad ipſammet potulentam materiam pertinent: Prima quarum eſt, quia etſi dixerit, quædam Vina promptè aceſcere, vbi in meridianis, & ſoli expoſitis locis repoſita fuerint, & quæ ſint aperiens inquit, non omnia aceſcunt caliditate, ſed quæ initio tantum frigidiora ſunt. Totum oppoſitum ſentire videtur, dum ait, reperiuntur quædam Vina vſqueadeò Aquoſa, & debilia, vt frigus nè a principio quidem ferant: Quæ Pater meus experiendi gratia, cum in calidiſsimam cellam detuliſſet, ſtoebe cum multa tum calida plenas lagenas contexit: votique compos effectus, nunquam deinceps vinum acidum habuit (ſtebs autem ipſo Auctore herba eſt fructicoſa calida, & acris valdè parumque redolens, quàm nonnulli colymbadem, quidam, & ſtoebem nuncupant): cuius cellæ caliditas, non niſi intenſa, & valdè eſſe poterat, illi quoniam tum continuò vti ipſe refert, & ab igne impartiebatur, in medio proximi Atrij accenſo. Nec non, & ſæpiſsimè à contiguo illi furno: SECVNDA contradictio ex poſtrema hac aſſertione emergit, quæ ex emplo ab allata iam paterna experientia adducto, Vina valdè aquoſa, & debilia ad ſui conſeruationem calidiſsimam cellam expoſcere aſſerit. in 4. lib. de fac. ſimpl. med. c. 13. in p. lib. de Antidotis. cap. 3.

Huius enim oppoſitum ſenſiſſe videtur, dum de frigidioribus dilutioribuſque eiſdem pariter vinis verba faciens ait illis omnibus mediocrem caliditatem vtilem eſſe, immoderatam verò non minus frigiditate noxiam. EX HAC & tertia ſuboritur contradictio, ex quo pro eorum conſeruatione mediocrem comprobat caliditatem. Quã bis aperte reprobat hiſce verbis, De conſeruatione. ſi quidem potentium debiliumque indiſcriminatim agens Vinorum. Primò inquit tepidus locus vina acida reddit, Et paulò poſt Nunquam enim tepida temperataue cella indigent. in calce 14. cap. 4. lib. de fac. ſimp. med. in p. lib. de Antidotis. cap. 3.

Harum prima facile enodabitur, ſi perſpicuum nobis ſit iuxtà veriſsima illius placita, præſtantes veluti ſtatutos effectus quoſdam. In materia eſculenta, &

po-

potulenta produci à ſolis calore, qui ab igne produci nequeunt: Ita ex aduerſo ab igne ipſo, & aliquos alios produci, qui à calore ſolis nequaquam producuntur: Dicebat nempè ipſe, calor duplex, fructus maturat, alter ſcilicet proprius, & cuiquè ingenitus, Alter externus à ſole, ſed tamen naturæ ipſorum conueniens, ac familiaris: Nec in arboribus modò, ſed & poſtea cum decerpti conditique aliquando fuerint: Qui perfectionis etſi vuis tùm viribus coniunctis, tùm & ab illis decerptis atquè ſuſpenſis egregiè impartiantur: Vinoquè ipſo è racemis recenter expreſſo aliqua in parte nec niſi dum temperati ſunt ſolares radij, totum ſiquidem oppoſitum contingit, dum inſigniter recti ſunt: Propterea de calore ab eis concitato ſermonem habebat, vbi dicebat frigidiora Vina calore aceſcere; Vbi verò eadem calore conſeruari affirmabat, apertè vti vtroquè loco conſtat de calore ignis loquebatur: A quo permulta, quæ nutrimenti cauſa ſumimus (vti & ſuperius tractatum fuit) nobis idonea vſqueadeò redduntur, vt in optimum ac vndequaquè congruum nutrimentum cedant, veluti Panis, Piſces, & Carnes ipſę: Quamuis enim aliquot Populi piſcibus fumo, vel ſole exſiccatis veſcantur, non vndequaquè ſanè optimis naturæ legibus obtemperant: Quibus & longè minus cum tunc Diogenes obtemperaſſet, cum crudum deuoraſſet Polypum, propius nihil factum eſt, vt interiret: Scytæ quoquè à nobis Tartari apellati carnium fruſta condunt ſub Ephippijs, in quibus inſeſsione, atquè equitatione calefactas vorant, illi tamen ipſi optimè tenentes, igne coctas longè iucundiores, atquè vtiliores eſſe, vbi per ocium licet, ipſas veluti nos & coquunt, & vtuntur: NEC obſtat dictum Ariſtotelis, & Auerrois aſſerentium, calorem cæleſtem largiri quamcunquè vitam, Calorem verò illuminantis ignis, ideſt qui apud nos eſt corrumpere entia: Nam duæ iſtæ propoſitiones limitationem ſuſcipiunt: Primus ſiquidem calor, quamuis poſtquam de Cœlo demiſſus eſt, quia per-

In 4. de ſa cul. ſimpl med. c. 7.

in 2. lib. de gener ani mal. cap. 3 cũ in 2. cap lib. de ſub. Orbis, cũ in 12. metaphyſic. com. 18.

petuò per materiam defertur, illi & iunctus ſit, non tamen perpetuò generat, etſi vniuerſæ generationis ſit Author, quia non omnis materia præſto eſt: Inepta enim aliqua eſt, aliqua aliena: Et ſecundus calor, ignis videlicet non conſumit omnia, ſed materiam tantummodo combuſtibilem, cui contrariatur, Ea ſiquidem pabulum eius quæ ſumma eſt caliditas cum ſumma ſiccitate coniuncta, iccircò eſſe nequit (dicant quicquid volunt vulgares) Nullum quoniam cuipiam contrarium illius materia eſſe poteſt: At combuſtibilis materia quoniam humida ideò, & quia igni contraria, ipſam depaſcitur, & abſumit: Aurum tamen dum in ipſo exiſtit, quodquè iam conſtitit in ſuprema excoctione, tantum abeſt. vt conſumat, vt ipſum ad ſummum perfectionis depurando redigat: Cineres pariter, quis vidit illum tàm frequenti contactu vnquam conſumpſiſſe? Quinimmò generatricem illi ineſſe facultatem apertè declarat Hiſtoria de Pyrauſtis in Cyprijs fornacibus à Philoſopho recitata veluti enim nihil prohibet, humidiſsimo elemento generari humidiſsimas animantes, cuiuſmodi Piſces ſunt: Ita & nihil in ſiccisſimo ſiccisſimas. Qua in re non ſit, qui ſibi non conſtare exiſtimet Præceptorem ſapientum, ex quo in calce tertij libri de Anima demonſtrauit non poſſe dari Animal ex elemento ſimplici conſtitutum: Qui enim apud nos ignis eſt, haud purus eſt: At vtiliſsimę illius operationes longè clarius deteguntur, in ijs quæ ab ipſo contactu non immediato afficiuntur, ſed corpore aliquo medio, ſiue id aqua ſit, aut olla eam continens, ſeu Aer, ſeu quodpiam aliud: Aqua ſiquidem media Epulæ ab ipſo elixatę, & aere medio, quæ in verubus aſſari queunt aſſatę: Quam non acquirunt cum calore noſtro, illas ad optimam nutritionem diſpoſituro proportionem? Nec valet, ſibi corrumpuntur, Admitto, ſed nobis inchoantur, ſanè hoc quoquè modo, & à vermiculis corrumpuntur: Afficiuntur ſiquidem, vt in ventriculo conficiantur, ita vt

in 5. lib. de hiſt. anim. cap. 19.

id ignis ſit ventriculo, quod eſt ventriculus iecori ita affe-
in 4. lib. de tuẽda val. cap. vlt. rente Galeno.. Sed iam ad Vini conſeruationem acce-
dentes, in calce libri de vtilitate reſpirationis narrat illi-
us Auctor vinum in quadam regione ad ignem in vtribus
ſuſpenſum indureſcere in modum ſalis euaporante aqua,
Qua via penè incorruptibile redditur: Quod de muſto
intelligendum eſt nam de vino defecato totum oppoſitum
in 2. lib. de differ. feb. cap. 11. contingere ex Galeni ſententia initio præſentis capitis oſ-
tendimus: Quanta autem vis ignis ſit, pro delenda no-
centiſsima vini cruditate, inter reliquas, quæ incorrupto
vino competere poſſunt paſsione, necnon & multoties diu
in p. lib. de Antidotis. cap. 3. In lib. de Theriaca ad Piſonẽ. cap. 18. durante (ſi Galeno met fides adhibenda eſt, ſcribenti Vi-
num Surentinum ante annum fermè vigeſimum, crudum
adhuc eſſe) Aperuit nobis inquiens. Vinum ſi quis ſtatim
vt natum eſt, è racemis premat, crudum, & immaturum
eſt, At igne maturatum, & ſuauiſsimum & potui conue-
nientiſsimum euadit: Nullo enim cum in compoſito ca-
lor in actu reperiatur, niſi in animalibus, propter eorum
In 4. colliget cap. 3. perfectionem vti optimè dixit Auerroes, ideo alia com-
poſita calore extrinſeco indigent, tùm vt calefaciant, tùm
maximè, vt quaſi conſopitus eorum calor concitetur: Ita
vt ſibimet illius ope eam, quam parere apta nata ſunt, per-
fectionem pariant: Adde multis in locis, Vina ipſa ne-
quaquam conſeruari poſſe, niſi per breuiſsimum temporis
interuallum, ni ab vuis recenter expreſſa, eouſquè coquan-
tur, quouſquè ad certam iuxtà vini naturam diuerſam par-
tem menſuræ conſumantur: Qua & ſola arte muſtum ip-
ſum, vti vnicuiquè notum eſt, ſapæ formam acquirit quo-
ties dulcibus vuis expreſſum, ad dimidias tertiaſuè co-
in p. lib. de Ant. cap. 2. in 3. de cõ poſi. med. per gener. cap. 3. & 14. metho. cap. 10. quendo deferbuerit: Quam quidem ſapam, & dulcedi-
ne melli non cedere, affirmat Galenus, quamuis non ita
atquè illud, cuius vtpotè natura acrimoniam dulcedini
iunctam habet, ſenſum vellicet, & tanquam præſtantiſsi-
mum medicamentum extollit: Quo fit vt ſcientiſsimus
Homo igne ſolum vti ſciat, & cætera animalia neſciant,

Aqua

Aqua enim vtuntur illorum naturæ proportionata. SECVNDA Contradictio ita diſcutienda videtur: dato quòd cella Vinaria dicatur calidiſsima, veluti talis ſimpliciter dici non poteſt, ſic non niſi per cōparationem, non medius fidius ad germanicum vaporarium, tunc ſiquidem frigida potius eſſet dicenda, quantumuis non mediocriter excalfacta eſſet: igitur per comparationem ad Cellas vinarias, quæ omnibus propemodum in locis, ſunt in communi vſu, quæ quidem quò frigidiores ſunt, eò præſtantiores habentur: Hinc in ſubterraneis locis vbicunquè licet, extrui conſueuerunt, veluti à nobis dictum fuit in primo capite primi libri, ita vt calidiſsimæ vocatæ cellæ calor collatus ad calorem bene extructi vaporarij germanici, media in hyeme erit temperatus: Intenſus autem & valde, ſi ad diſpoſitionem aeris plerumquè communium cellarum: Quo ſtante nihil abſurdi protulerit, qui particularem eandem Cellam vno eodemquè tempore, & calidiſsimam eſſe, vnaquè mediocrem caliditatem continere dixerit. POSTREMA E medio tollitur, per declarationem traditam in prima, atquè ſecunda hac conciliatione: Nam dum pro eorum conſeruatione temperatam comprobat caliditatem: De ea intelligere, quæ à proximo cellę vinarię Atrio furnoquè, aeri primò ipſiuſmet Atrij impartitur, poſtremò verò, & ſecundario aeri ipſiuſmet cellę: Quem non niſi temperatum eſſe poſſe, ſi ad quemuis vere temperatum aerem conferatur, tùm ex dictione illius, qua mediocrem illum vocat elicitur, hoc eſt medium tenentem: Tùm & ipſa rei natura perbelle oſtendit: Nam quin inter extrema medium teneat, vix fieri poteſt: Cum nec immodicę caliditati adherere queat, ob ignium mediocrem propinquitatem, interpoſitoſquè parietes, nec frigiditati, eo loci cum ſitam fuiſſe Cellam vinariam exprimat, Vt nonniſi calefactum aliquatenus aerem concipere poſsit. Dum poſtea inquit tepidum locum vina acida reddere, haud profectò de tepore illo, qui

ab ignis certa propinquitate concitatus ſit, intelligit, quinimmò potius de illo, qui ab æſtiuo anni tempore, vel Cellæmet feneſtrarum ſitu, quæ ſcilicet ad meridiem ſpectent & a ſeptentrione aurſeæ ſint, productus ſit, vel fortè ab ambabus hiſce de cauſis producto iunctim.

VTRVM HOMINES DVM FRIGEFACTVM NIVE POTVM ASSVMERE INCIPIVNT, PER HEBDOMADAM SITI CRVCIENTVR, ET POSTEA NON AMPLIVS: QVANTVMQVE MALI IN IIS, IN QVIBVS ID VERIFICATVR, PRAESEFERAT. CAP. XIIII.

SEcundum autem iſtius Viri Placitum, quòd examinare iam fuimus polliciti, eſt, An homo dum materia potulenta niue præfrigerata vti incipit per hebdomadam vel circiter ab aſſumpto cibo, perpetuo ſiti crucietur: Et illa tranſacta non amplius: Quod ſi verum eſt, qua de cauſa id contingat, quidquè præ ſe ferat: Hoc ſi exactè verum eſſet, ſequeretur omnes homines indiſcriminatim, eadem numero illis ſuperueniente cauſa, & occaſione ſitim concitare potente, vt & in eodem temporis interuallo ſitim incurrerent: Et præterquamquòd hoc fieri non poſſe, non eſt cui non planè ſit perſpicuum, ſi omiſſa temporum anni diuerſitate, humanorum corporum attendatur diuerſitas, penès vniuerſale temperamentum, penès ætatem, ſexum, regionem, & victus rationem: Sequela ipſa eſt contra Galenum, aſſerentem eos qui vel frigidiorem, vel humidiorem ventriculum habent, ſine ſiti longo tempore perſeuerare, etiam ſi Catharticum medicamentum aſſumpſerint: dato quod illius

In 4. lib. Aphoriſm com. 19.

us

nis aſſumptio teſte Hippocrate in adducto Aphoriſmo inter cauſas omnes ſitim excitare valentes validiſsima ſit: Suſcitatur itaquè via hac ſitis procul dubio, ſed veluti in omnibus non æquè velociter, ita non in omnibus æqualiter durat, ideo illius ceſſationis præfinitum tempus in omnibus ad amuſsim aſsignari nequit, ob aſsignandas modò rationes: Agentia ſiquidem, iuxtà diuerſas Patientium diſpoſitiones ſuos effectus imprimunt: Quà autem ratione id contingat, inuenire haud ſanè difficile erit, ſupponentes in primis vnà cum Phyloſopho cui omnes conſentiunt ſitim tùm eſſe Appetitum frigidi, & humidi, tùm vnà cum Medicis non omnem referendam eſſe in proprium ventriculi affectum; licet non niſi ventriculo affecto poſsit conſiſtere: Perſæpe enim homines ſiticuloſi fiunt, laborante ventriculo, non proprio ſed alieno affectu, nempè alterius particulæ ſecum ipſummet ventriculum in conſenſum trahentis; in quem Primò trahit Iecur vti Galenus edocet, ſi calida, & ſicca intemperie fuerit correptum, cum concaua autem illius parte magis conſentire affirmauit: Et quatenus ad particularem conſenſum ſpectat, afficitur & ventriculus conſenſu meſenterij, & ieiuni inteſtini; Immò cum corde quoque ſæpe in re hac, & cum Pulmonibus calefactis, atquè ſiccatis Galeno met Auctore: ſitit & ipſe deniquè conſentiens cum vniuerſo corpore, quotieſcunquè id à calidiori ſicciorique intemperie corripitur: De quo vniuerſali conſenſu, immò & de particularibus iam explicitis omnibus, ad preſens negocium ſpectantibus, abunde tractauit, & Auicenna: Siticuloſos autem haud fieri homines illos; ventriculis eorum proprio affectu laborantibus, qui potulentam niue pregelidam effectam materiam potant, ex Galeno clarè elicitur, in Primo de facultatibus ſimplicium medicamentorum dicente Neceſſe eſſe, ſitim vel ab alterà duarum cauſarum, vel ab vtraque excitari: vel ſcilicet ab humoris defectu, vel à caloris exceſſu: Quomodò enim fieri poteſt vt ven-

In 2. lib. de Anima. tex. 28.

in 5. lib. de locis affec cap. 7.

in 6. eiuſd. cap. 3.

In arte medicinali. cap. 64.

In decima tertia tertij tract. 2. cap. 19.

triculi eorum & maximè ora, quibus virtus potus appetitiua inſidet, tùm frigefacta, tùm & humore referta non ſint, humore inquam non roſcido modo: Verùm & crudo, cum illis quæ ſuapte naturâ tàm paſsibilia, quantum iàm toties oſtenſum fuit, potulenta ipſa materia occurrat, tàm aduerſâ qualitate imbuta, tamquè repente, vt parum vel nihil, in tàm breui ac veloci tranſitu refrangi poſsit: ita vt non niſi exceſſu caloris poſsit excitari, nec profectò in dictis ventriculis producto, quinimmò potius, vel in omnibus, vel in pleriſquè membrorum, inter quæ & ipſum ventriculū conſenſum extare iam aperuimus, ab immodica materiæ potulentæ frigiditate: Quod & euidenti ratione probatur; & Hippocratis Authoritate nobilitatur dicente, Affinia ſunt calor, & frigus, atquè inuicem adeò commutabilia, vt vnum ex altero plerumquè oriatur. Nam ſi quis niuem manibus conceperit, poſtquam refrigeratus fuerit, incaleſcit: Et ſi quis vento frigido ſimiliter ſe expoſuerit, paulò poſt ad locum tranſiens tepidum, calidior euadit, Ac contra ſi ſoli prius ſe exponat, indequè ad tepidiorem locum acceſſerit, refrigerabitur manifeſtè: hæc eſt illius ſententia: A qua elicimus potulentam materiam in primo occurſu, intus cogere, & quaſi per viam antyperiſtaſis, ad intimiora membra detrudere: Non ſecus ac calor ambientis, ad cauernoſa terræ loca accedente hyeme detruditur. Nec obſtat, vti à nobis iam ad mentem Ariſtotelis oſtenſum fuit, effectus via hac productos circumſiſtentiam expoſcere, quæ è medio tolli prorſus videtur, ab omnimoda dictæ iam materiæ potulentæ penetratione; Quoniam hanc non niſi tardè ægrequè, immò, nec niſi ad certum vſquè terminum penetrare poſſe: clarè didicimus ex Galeno, in primis ſuadente, oxicrati potu ſiti occurrendum eſſe, preſertim quando ex conſenſu cum vniuerſo corpore, calida, & ſicca intemperie laborante excitata fuerit, vt in ardentibus febribus, & vere æſtuoſo æſtatis tempore (potionem hanc vt potè quæ ex aceto multa

in libro de veteri Medicina.

In 5. cap. lib. 2.

In p. lib. de fac. ſimpl. medicam. cap. 30.

aqua

aqua diluto conficitur Latini poſcam dicunt) ſecundo exponente vtilitatem huiuſcæ potionis, & inquiente: Quamuis nequè ſola aqua poſsit ſitim hanc mitigare; vt potè, quæ non facile poſsit in vniuerſas corporis partes penetrare: Tardi enim tranſitus eſt, nequè acetum ſolum ſitim extinguere, cum nullam humectandi vim habeat: Dum verò ſimul miſcentur, modicum illud acetum, vt non poteſt detrahere de vi humectandi aquæ, cum modicum ſit illius comparatione; ſuæ tamen ſubſtantiæ tenuitate, in cauſa eſt vt ad extremas vſquè partes Aqua deducatur, quę cum frigida ſit, & aliorum omnium humidiſsima, refrigerando, & humectando ſitientibus remedio eſt. Ergo cum Aqua in communi diſpoſitione conſtituta, quatenus ad frigiditatem pertinet, tam tardi tranſitus ſuaptè natura ſit, vt penetrare non poſsit corpora alióqui maximè permeabilia, quia & ſummè æſtuantia, tùm ratione æſtuoſi æſtatis temporis, tùm & longè magis quia, & febre ardenti correpta: Perceptu arduum nequaquam erit, ipſammet aquam, niue ad ſummum frigiditatis redactam, & in ventriculo, & propè ipſum, non euicta adhuc illius frigiditate (non enim de facili nec breui euinci poteſt ob inſignem reſiſtentiam) Tantam neceſſario moram trahere, vt partes iſtis proximę; eo modo quo ad mentem Hippocratis manus ab attrectatione niuis, incaleſcere proditum eſt, incaleſcant, Et calorem ad ventriculum, cum quo conſentiunt repercutiendo, ſitim excitent, fruſtra reluctante humido in ipſo contento; Non minus enim promptè is accedenti calori cedit, ac ille accedat: Hinc aqua inter cutē laborantes omnes clamoſa ſiti infeſtari videmus: Quamuis ſymptoma iſtud ex Galeni decreto Aſciti preſertim accomodatum ſit, ſitiunt autem omnes, & valdè, quamuis aqua inter cutē morbus quidem primū, & proximè frigidus ſit, & ab affectu, vt plurimum particularum, frigidiori ortum habeat Galeno teſte; hac præcipuè de cauſa quoniam veluti rectè animaduertit Gordonius, in

In p.lib.de fac. ſimpl. medicam. cap. 30.

In 4. Aph. com. 11.

in omni illius ſpecie ſpiritualia membra, ita comprimuntur vt libera euentatione impedita, cor cum plus iuſto incaleſcere cogatur, exſiccansquè caliditas quia ob propinquitatem, ori ventriculi non poteſt non impartiri, icircò inceſſans ſitis concitatur: Nec certè mirum, nam à leuioribus cauſis illam in ſanis excitari pro comperto habemus: ipſam ſiquidem fieri ab eleuatis à vino in ventriculo bulliente vaporibus os illius petentibus, ſcriptum reliquit Galenus: fit & ex nimio cibo eodem modo effumante, immò,& ex ipſo moderate aſſumpto, ſi abſquè potu aſſumatur, & inter cibaria ſolus panis calidi eſus illã excitare poteſt, immò Paulus docet ſupinam cubationem ſitim inferre, eo fortè quoniam qui ſupinè cubant, ore aperto plerunquè cubare ſolent: Quid plura? & à longa ſermocinatione fieri dixit Princeps: Repercuſſus autem ipſe calor quia non abſquè magno impetu, ſtrenuè agit, calefaciendo atquè exſiccando; hinc & ſitim producit: Non niſi enim magno impetu poteſt repercuti. Primò quia membra repercutientia, & cum ventriculo conſentientia aliqua, ſunt ventriculomet repercuſsionem ſuſcipiente robuſtiora, vti de Iecore conſtat; Quorum natura ægreferens infeſtantem illum calorem, ab eis repellit, & acriter: ſecundò quia eorum nonnulla infra ventriculum ſita cum ſint, motus ab illis productus reſpectu caloris repercuſsi, omnem violentiam, vt prorſus excludat neceſſe eſt. QVOD poſtea in tam breui temporis interuallo ſitis, tàm intenſa ad nihilum ferè redigatur: Tantum abeſt, vt aliquid proficui portendat, vt apertius longè, quam quodlibet aliud fortè accidentium concomitantium intemperiem à gelida potione productam, aduerſa quantum humanæ illa ſit naturæ nobis indicet: Nam cum ex calore ſiccitatequè, in vniuerſo corpore contracta, ſitis debeat neceſſariò excitari, ni ſit quod impediat, quotieſcunquè ineuitabilis aliqua adfuerit cauſa, potens calefacere vnaquè, & ſiccare vehementer corpus ipſum, quemadmodum

In 4. lib. Aphoriſm. com. 27.

In 2. lib. cap. 54.

In 13. 3. tractatu 2. cap. 19.

dum æſtus aeris maximus, ſicuti æſtate preſertim imbribus carente, çanicularibusquè nec non, & proxime illis tùm prçcedentibus, tùm ſubſequentibus diebus; Quibus omnibus longè magis quàm alio quouis anni tempore, præfrigeratus ipſe potus in frequentiori eſt vſu: preſente inquam cauſa hac exiſtente quam validam, immò validiſsimam pro ſiti excitanda, Polybius nobis demonſtrauit, dum circa victus rationem iuxtà anni tempora dixit, Vere debemus minuere cibum, & augere potum, & æſtate ſimiliter, veris comparatione: Autumno rurſus cibum augere, & potum minuere, idemquè magis in hyeme: Aeſtate namquè ſi potum augere, & maximè debemus, proculdubio, & hominem maximè ſitire, & naturaliter fatendum eſt, bibere ſiquidem multum dum ſitis pauca eſt, tàm iniucundum eſſe, quàm quod iniucundiſsimum experimur, quinimmò & valdè naturæ nocuum, vti ex Galeno elicitur: Tunc enim ni ſiti corripiatur, & longè intenſiori quàm in reliquis anni temporibus valdè malum eſt: Et præcipuè poſtquam eam ad ætatem peruenerit, in qua ſecundum longitudinem corpus augeri deſinit: Iam enim veluti, & vehementia appetendi cibos, & voracitas ceſſat, eo fortè quoniam diminuta iam eſt illorum neceſsitas: ita & ſitis facilius accenditur, & magis vrit: tùm quia ſolida membra ſiccantur, & flaua bilis cum ſanguine augetur: ſitim ſiquidem fieri aut ſiccato corpore, aut bile accenſa apertum eſt, longè autem magis vtraquè cauſa cooperante: Creſcunt autem coopora vti Galenus inquit couſquè, donec ad ætatis vigorem peruenerint, diuerſificantur tamen in diuerſis ætatibus motus augumenti, quod & ſenſu percipitur iuxtà dimenſionum diuerſitatem: Nam in longitudine, & latitudine manifeſtè creſcunt corpora vſquè ad vigeſimumprimum annum: deinde à vigeſimoprimo ad trigeſimum manifeſtè in latitudinè, occultè in longitudine: A trigeſimo autem vſquè ad quadrageſimum, in bene conſtitutis occultè in latitudine: Et fortè iuxtà Ariſto-

In libr. de ſalub. Dieta pagina prima.

In 6. de locis affect. cap. 3.

in p. lib. de fac. natur. cap. 7.

ſtotelis ſententiam, augumentum in latitudine non excedit trigeſimum ſextum annum, Ab eo nempè corporis vigorem minui in Politicis ſcriptum reliquit: Plato tamen vltimum, & ipſe abſolute creſcendi terminum, dato quod tacitè, quadrageſimum annum conſtituiſſe viſus eſt dum eo preterlapſo vinum plenè bibendi facultatem homini fecit: Abſoluto ſiquidem iuxtà omnes dimenſiones augumento, ſiccius adhuc corpus effectum eſſe planè eſt perſpicuum: Alijs tamen se ad eam legem condendam, nec niſi optimis validiſsimiſquè more ſuo cauſis adductum fuiſſe teſtatur. Malum inquam eſt (vt vnde diuerti regrediar) in via ſigni vt aiunt quotieſcunquè præſentibus internis dictis iam cauſis ſiccitas videlicet augumento ſuccedens, & bilis multiplicatio adhuc, & æſtuans æſtiuus aer, ſi homo gelidam potans, quantum naturaliter eſſe debet, ſitibundus non ſit: Signum ſiquidem eſt, vti Galenus aſſerit, corruptam illam eſſe, qua potionem apetimus facultatem: Idemmet comprobauit dicens in ſecundo Prorrheticorum cōmento octauo, & vigeſimoſecundo, ex infirmitate, & languore ſentientis ventriculi facultatis prouenire: Ex quo enim ventriculi cupiditas, qua potum appetit animale officium eſt eodem Auctore citra ſenſum noſtrum appetere nequit: Quotieſcunquè igitur illum, quando & quantum deberet appetere non ſentimus, ſentientem illius facultatem ægrotantem redditam fuiſſe manifeſtum eſt: Nec ſanè mirum concurrentibus in re propoſita duabus cauſis ſummum languorem producere valentibus, vnam poſt aliam, prima quarum eſt repercuſſus calor de quo dictum eſt: ille ſiquidem poros intrinſecæ ventriculi tunicæ, vltra intentum naturæ amplians, læſioni illum iccircò obnoxium reddit, quicquid enim ſit de vino immodicè præfrigerato, Aqua communiter frigida non poteſt penetrare in cutem ſecundum naturam ſe habentem inquit Galenus: Huic igitur ita affecto confeſtim cum occurrat potulenta materia, immodicè refri-

In 2. lib. de legibus

In 3. de morb. vul. com. 14.

In 6. de locis affectis cap. 3.

In 5. lib. aphoriſm. com. 20.

ge-

gerata ſuis integris cum viribus, nec niſi copioſa, & admodum frequenter, ob dictam iam ſitis intenſionem initio concitatam, ſentiens illius facultas non poteſt non vehementiſsimè lædi: Ex immoderato enim potu aliòqui inculpabili, Homines quatuor accidentium periculum ſubire ſolent, diuerſas quamuis corporis partes infeſtantium, nullam tamen ventriculo magis, vti Galenus ipſe Author eſt: Quorum primum vomitio eſt, mox cita per aluum excretio, qualis in fluore alui, & in leuitate inteſtinorum. Longa & mora potionis in ipſo ventriculo: ſæpe etiam morbus quem græci Diabeten appellant: Cuius immoderatę quantitati cum & immoderata complicetur frigiditas, Quid poteſt efficere, quod & non maximè ſit contra ventriculi incolumitatem? veluti & ex toties adducta Hippocratis ſententia notiſsimum eſt. NON Sitire pari modo quando, & quantum homo debet, malum & eſſe in VIA CAVSAE, ex eo palam fit quoniam ceſſante appetitu bibendi (ex quo Appetitus propenſiones quædam ſunt ad commoda naturalia, nobiſquè ita ſicuti & ſenſus ipſi connatæ, omne enim appetens appetit propter ſuam pefectionem) Commodi adeptionem ex appetitu redundantis, non proſequimur, ceſſat ſiquidem irritatio, hinc illo caremus: At carentia commodi naturæ ſuccedens ex intermiſſa aſſumptione debitæ quantitatis potionis maxima eſt, quoniam & commodum, cui ipſa reſpondet maximum eſt: Et quia ex commodo melius detrimentum innoteſcit quàm è contrà, ideo illud in primis detegendum: Hoc autem multiplex eſt, & primò ex potatione debita, debita oritur alimenti ad partes alendas traductio in abſtemijs, qua ſine nec nutritio nec conſeruatio perſiſtere queunt: In potantibus verò, Vinum hiſce adnectitur, congrui alimenti materiæ pro parte ſubminiſtratio: In omnibus retardatio exſiccationis, quam à vita longè remotam ſtatuit Philoſophus: Detrimentum autem omnia propemodum detrimenta comprehendens eſt.

In 6. de locis affectis lib. cap. 3.

in 2. lib. de gener. animal. cap. p.

In p.lib.de difficultate reſpirationis. cap. 12. eſt propera mortis feſtinatio; Quod Galenus aperuit, dum conferens duas neceſſarias, & ſi impari neceſsitate operationes dixit: Homo quamuis diutius viuere poſsit, dum minus quàm oportet bibit, quàm dum minus quàm oportet reſpirat: Non ſat bibenti tamen, non mehercule annorum ſpacio viuendi terminum, quinimmò potius menſium, & dierum limitaſſe voluit: Propterea & Ariſtoteles quaſi hominibus metuens eos quodamodo hortatus eſt, vt ſitim quotieſcunque inſufficiens illa fuerit temperatè excitent: Rationem ſiquidem aſsignans cur edenda Bellaria ſint, vſuſquè ſecundarum menſarum adijci debeat: In 22. ſect. Problema. probl. 6. An vt ſatis bibamus inquit, non enim ſitis gratia, ſolum, quæ per menſam primam nos teneat bibendum, ſed etiam poſt hauſiſſe aliquid iuuat. Et quoniam in latitudine hominum traditam hanc a Philoſopho regulã, ijs maximè ſalutarem eſſe optimè ſciebat Galenus qui aluum ſiccã habent: Diminute ſiquidem hibere, & magis adhuc ſitim ferre, quoniã alimentum in ventre ſiccum reddit, ventrem ſuapte natura parum obedientem, adhuc magis firmat, icircò multum illis potum dandum eſſe pręcipit: In 4. lib. aphoriſm. com. 83. Et de ſitibundis poſtea omnibus generaliter loquens dicebat, poſtea verò quàm nutrimentum concoxerint abundè bibere ſunt ſinendi, quippe celerrimè ſi ita faciant id per corpus digeritur: Nequè interdiu tantum ſiti ſuccurrendum eſſe voluit, verùm & noctu, quamuis tunc bibere præter humanam conſuetudinem eſſe videatur: In 5. libro aphoriſm. com. 27. Et potum ea hora valdè ſitientibus dandum eſſe conſulit, non ſolum cum ex potus defectu ſitis aduenit, verùm & quando ex vini meracioris potatione ipſa concitetur. Ita vt conſtet illos non minus exagitandos eſſe, qui arte hac naturæ legibus tàm aduerſa, æſtiuam moderatam ſitim abolere procurant: Tunc ſiquidem ſumma humectatione egentes, cum potibus dilutiſsimis quamplurimiſquè vtendum ſit, non ſat ſitire, & ſummè malum eſt: Non minus inquam conuicijs carpendi illis ſunt, qui peracrium perſalitarum

epu-

epularum quodcunquè genus aſsiduè comedunt quoad immodicè bibendum proritentur; De quibus (ni fallor) vtpotè inuicem ſibi poſtea hac de cauſa propinantibus, & de poculorum magnitudine certantibus Galenus conqueritur. Nam veluti abſente, quauis cauſa, ſuffi-cienti fame, cibis potibusq; moderatè vti licet, quinimmò, & operepræcium eſt. Qui nihil apetentes ad comedendum inuitant, qualis reſpectu plerumquè hominum capares ſunt teſte Matheolo, necnon & vina omphacij ſapore aliquatenus prædita, Et reſpectu omnium ferè, diuerſa tùm iuſculentorum liquorum, Pulpularum, Embemmatum, acetariorumquè genera, tùm acidi diuerſorum fructuum ſucci, veluti mali punici, Aurantij, Limonis, & Citri, & qui in communi vſu ferè vbiquè eſt vuæ immaturæ, quem Omphacium nuncupant: Abſenteque ſiti vtriſquè pariter illam modicè excitare valentibus, qualia Bellaria eſſe ex Ariſtotelis ſententia iam dictum eſt, Et vina cuiuſcunquè hominis guſtui grata priuatim. Ita & circà rem hanc, veluti & circà aliam quamcunquè, immoderantiam perpetuò deuitandam eſſe ex Principe Medicorum Hippocrate didicimus: A Natura ſiquidem ipſa omnium Parente id quod Nimis exprobratum eſt, Et ab his qui naturaliter vitæ munijs vtuntur, experientia comprobatur. Vnde Antiquiſsimum illud Oraculum Adagio receptum eſt, NE QVID NIMIS, Quod quamuis nonnulli Poetę cuidam aſcribant, fortè quia illud extat Diſtichon.

In p. libro methodi medendi. cap. p.

In 2. libro Dioſcorid. com. 164.

Tum in 2. lib. Aphor. 3. & 4. tum in 7. eiuſdem. Aphor. 68.

Intempeſtiuum eſt, quodcunquè ſuperfluit: aiunt.
In bilem tranſit Mel quoquè, ſi nimium eſt.

Ariſtotelem tamen Bianti Philoſopho in tertio libro Rhetoricorum attribuiſſe legimus.

MODI

MODI QVIBVS GLACIE, AC NIVE POTVLENTA MATERIA PRAEFRIGERARI SOLET TRADVNTVR EXAMINANTVRQVE. CAP. XV.

MODI denique quibus potulenta materia, glacie, & niue præfrigerari, & poteſt, & ſolet; Etſi plures ſint, Ad duos tamen redigi poſſe, vnuſquiſquè facile comprehendere poterit, Mente ſua concipiens eam, vel immediate, vel mediate eorum adiumento perpetuò neceſſarioquè præfrigerari: Glacies ſiquidem, & nix, primo modo refrigerant, quotieſcunquè eam contangentes diſſoluunrur, & cum ipſa vnum fiunt, qui modus bipartitus eſt, nam vel prorſus diſſoluuntur, & vnum prorſus fiunt, vel pro parte horum vtrunquè accidit: Primus quorum modorum tunc abſoluitur, dum quis glaciei, niuis vè certam portionem, in certa ſeu aquę, ſeu vini quantitate, & proijcit, & agitando prorſus diſſoluit: De hoc modò intellexit Plinius (ni fallor) dum dixit hi niues, illi glaciem potant: Conſtat ſiquidem vtrunquè illorum, ſuaptè natura impotabile eſſe, potabile tamen efficitur, dum diſſoluitur, & vnà cum potulenta materia permiſcetur: De eodem & Plutarchum intellexiſſe credendum eſt, dum inter delicias recenſet ſumen, Italicos Fungos, Placentam ſamiam, & Niuem in ægypto: Nam ne ea ſi fortè intellexiſſet, prout extrinſecus admota inſeruit refrigerationi, culpandus, nec hercle prorſus immerens fuiſſet, Inter tot intrinſecus aſſumenda, vnum ſi recenſiſſet ab eorum claſſe alienum, & magis adhuc cum illud intrinſecus aſſumi non poſsit modò, verùm & conſueuerit. Modum autem huic affinem explicuit Aldus

In lib. 19. cap. 4.

Ma-

Manuntius iunior in ſuo Commentario, in ſecundum librum Ciceronis de finibus bonorum, & malorum, inquiens apud veteres, qui lautius viuebant vino delectabantur, Quod ſacco vinario tranſmiſſum eſſet, vt frigidius biberent: itaquè in Diſtichis dixit Martialis. Pagin. 62.

Setinos moneo, noſtra niue frange trientes,

Ideſt vti ipſe exponit, Setini vini vim frange niue, vt frigidius bibas, in quibuſdam enim ſaccis certam niuis quantitatem in hunc vſum ſeruatam condebant, Niuarioſquè propterea illos vocabant, Per quam quidem niuem cum vinum tranſmitterent, in actu tranſmiſsionis quin aliqua niuis portio eliquaretur, atquè cum ipſo permiſceretur, fieri nequaquam poterat: Et veluti ab antiquis nix ſeruabatur, ita, & nunc in diuerſis Orbis partibus, ad Principum delitias, in ſubterraneis hac de cauſa extructis locis, eandem palea inuolutam, per maximos æſtus ſeruari, non eſt qui neſciat: Ita vt homo quandoquè à Naturæ legibus, quamuis perſpicuò ſui cum detrimento recedere profiteatur: Cuius effrænationem tanta in re Plinius, loco iam citato hiſce verbis meritò inſectatus eſt: „ Hi niues, illi glaciem potant, „ pœnaſquè montium in voluptatem gulæ vertunt, ſeruatur „ Algor æſtibus excogitaturquè, vt alienis menſibus „ nix algeat, Decoquunt alij aquas, mox & illas hyemant, „ Nihil itaquè homini ſic quomodo rerum naturę placet. Lib. videlicet 19. cap. 4.

Hæc dum ſcriberem, ad me allatum eſt nonnullos æſtate Thermoclinijs niue repletis, eo prorſus modo, quo pro arcendo à cubilibus hyemali frigore, prunis repleri conſueuerunt, cubiliamet circumfricando ad ſummum frigiditatis redigere: Audio & à nonnullis media hyeme idemmet præſtari, non medius fidius, vt vllam inde nec etiam fucatam voluptatem percipiant, Quam enim obſecro voluptatem viuenti, ſentientiquè homini, præ frigore torpenti, afferre poteſt, ſumma frigoris atrocitas linteis arte tunc addita in quibus, vel nu-

nudus, vel paulòminus quàm nudus habet circumuolui? Ergo vt inaudita tantum inauditę ſummè perturbantis intemperantiæ Mortalibus exemplaria ſint. MODI verò quibus potulenta materia vaſe in quo ipſa continetur præfrigerato, refrigerari poteſt, plures ſunt: Primus quorum abſolui ad vnguem nequit, niſi vbi inſignis glaciei, aut niuis copia inſit: plena ſiquidem œnophora, eorum alterutro vſqueadeò conteguntur, vt ſepulta ferè maneant, & via hac ſtrenuè refrigeratur. Secundus modus paucam niuis, glacieiuè quantitatem expoſcens, ſic abſoluitur; Vaſe quocunquè lati oris excepta materia refrigeranda, Patina vitrea, ſtanneauè, aut argentea, in medio concaua glacieque, aut niue onuſta, ori vaſis ſuperponitur, vſqueadeò pleni, vt patinæ conuexum centrale, potulentam materiam exactè contangere valeat, tandiuquè perſiſtat vt ad optatum frigiditatis gradum perueniat: TERTIVS modus, quò ſat inſignis quantitas materiæ potulentæ, mediocri niuis quantitate refrigerari poteſt: Tubus pariter vitreus, ſtanneus vè, aut argenteus, necnon & æneus (quamuis in latitudine omnium peſsimus ideò ſit, viride quoniam illius excrementum, quod humidorum contactu præcipuè euomit, malignum eſt) cuiuslibet circumferentiæ, niue vel etiam glacie repletus, in materia refrigeranda vaſe excepta immergitur, ita vt vaſis fundum à baſi Tubi contangatur, qui tantæ longitudinis ſit, vt illius os ori vaſis aliquatenus ſuperſtet, ne contenta ſibi mutuo contribuere valeant: Quo verò Tubi lamina erit tenuior, circumferentiaquè maior, ſuæquè figurę, Vaſis figura conformis magis erit, eo velocior intenſiorquè ſuccedet refrigeratio. QVARTVS modus, in ſat frequenti vſu exiſtens talis eſt, Pateram magnam vitream circularem conficiunt, in centro cuius extat aglutinatum vas aliud ſemisphęricæ figuræ; Quod vino replent, & pateram niue, ita vt ab ea vas vinum continens ſeptum perſiſtat quamdiu refrigerantibus placuerit. QVINTVS mo-

modus omnium facilior compendioſiuſquè magis, & ſatis paucam niuis copiam requirens, iſte eſt, Cyathus vnus vitreus niue repletur; qui in refrigerando humore, aut natare permittitur, vel ita aptatur vt quieſcat: Fuerunt qui hunc modum vigorarunt, & multifariam, & Primò multiplicando numerum Cyathorum, ſecundò tenuiores eligendo, immò vt tales conficiantur inſtituendò, Tertiò abſquè pedibus, quò nix materiæ alterandæ ſit proximior, Poſtremò & vt Tubi figuram referentes,& eam, quam habere poſſunt, maiorem capacitatem habentes. SEXTVS & poſtremus modus, qui & ſat mediocri niuis copia exequi poteſt, Fiſcella niue impletur vndiquè palea inuoluta, in qua quantum ſat eſt, immò quantum placet, immerſi ſtant vitrei calices, & quodcunquè lubet Poculorum genus. Primum quorum explicitorum modorum ſanitati, vitæquè iacturam afferre, & maximam, quamuis iam ex Diuini Hippocratis ſententia à nobis oſtenſum fuerit; Eo quoniam glacies atquè nix dum eliquata vnà cum potulenta materia permiſcentur, ipſam maximopere vitiant, & dupliciter, primò ſcilicet immoderatos frigiditatis gradus illi contribuendo, ſecundò crudam, craſſam, turbidam, humanæquè naturæ aduerſam prorſus ſubſtantiam permiſcendo: Quorum vitiorum vtrunquè contribui ſenſu experimur,& eo maximè cum præſto nobis ſit exemplum ab Hippocrate ipſo traditum, Quo apertè conſtat in glacialibus, niualibuſquè, eliquatis aquis cœteris paribus, longè maiorem turbidæ iam dictæ ſubſtantiæ tàm naturæ aduerſę remanere: Quam reliquæ omnes aquæ, quantumcunquè peſsimæ dummodo limpidę ſint, continere poſsint: Quod ita eſſe, Hippocrati ſat fuit oſtendiſſe, rei vtpotè ſolam veritatem tradenti minimè verò falſitatem aliquam contentione abijcere procuranti: Non nobis qui cum materiam hanc, ex profeſſo pro viribus pertractandam ſuſceperimus, Noſtra & intereſſe videtur, manifeſtare quando, & quamobrem illam ſibi aſciſcat:

In lib. de aere, locis, & aquis. cap. 4.

vbi ſupra.

O Iccir-

Icci̇rcò dicimus, tunc cum nubes gignitur, quæ in niuem eſt conglacianda; Ad illius quoniam generationem, non ſolum aqueum vaporem, ſed & terream vnà exhalationem, ex eo requiri, & neceſſariò ſtatuendum eſt, quoniam nix ipſa nunquam generari poſſet, ſed perpetuò pluuia: In eodem enim ſubiecto prius introducitur minor frigiditas, quàm maior, At pro generatione pluuiæ requiritur minor frigiditas, quã pro genoratione niuis: Ergo nubes, quę eſt proxima pluuiæ materia, ſiccam exhalationem permixtam non habet, quæ verò in niuem conglaciatur, vt habeat, quin neceſſe eſt, veluti optimè etiam aperuit aſsiduus ſcibilium rerum omniũ indagator IACOBVS MAZZONIVS, Conciuis, Affiniſquè meus præſentis ætatis Decus, icci̇rcò eliquatæ ex illa aquę terream nocuam illam ſubſtantiam continent; Cuius & longè maiorem adhuc copiã continent illę, quę ex grandine eliquantur: In quam Nubes illa quæ apta eſt conglaciari, ni terreæ exhalationis copia, dictam iam in niuem deſinentem nubem excederet, Nix veluti perpetuò, ita grando nunquam generaretur: Hinc deprehendere poſſunt, ſuæ quantum illi officiant valetudini, qui grandinem in potulenta materia diſſoluunt, pariter & qui glaciem, Quam grandinis naturæ valdè affinem eſſe præter duritiem diaphaneitatemquè ferè æqualem, ſubſtantia terrea in vaſorum fundo in quibus ipſa eliquata fuerit, ſemper reſidens exactè patefacit intuentibus: Pro congelatione enim, præter frigus condenſans, & ſiccum terreum requiritur, quo fluxus aquæ aufertur: Tollitur ſiquidem ille tunc, cum frigiditas comprimit partes terreas cum partibus aqueis. INTER quas etſi niuales, quæ & magis in vſu ſunt aliquatenus minus culpabiles ſint, tantum attamen malignitatis continent, vt dixerit IuliusCeſar Scaliger, In eam Regionem Agri Taurini, quæ Valdocca, ideſt vallis Anſeris appellatur, qui commigrat, nemò diu viuit, multis gula turgida fit. Eorum qui naſcuntur ibi, nemo caret eo malo, quem Barbari

In ſua vitę contẽplat. methodo concluſione 3856.

In Sexag. aduerſus Cardanũ exercitat. diſtinct. 2.

ri Bocium, Eruditiores herniam gulæ vocant, penè omnes, & Amentes, inepti ad loquendum, id ab aqua fit è niuibus liquefactis, quæ multum terreſtris & crudi continet. Crudum enim repugnat reſolutioni, Gutturis hæret muſculis, & glandibus terreſtre, quod propter aquam ſeſe inſinuauit, vbique concretum dureſcit, Iccircò qui ad Alpes habitant, & Pyrenæos hoc patiuntur. Ita vt pateat illas non venuſtatem modò, & vnà cum valetudine vitam homini adimere, Verùm & in eum ſtatum illum adducere, vt homo ipſe, quæ ſolius animalis ſunt proprietates retineat, quæ hominis amittat: Homini ſiquidem ſermo, & nobiliſsima res eſt, & maximè neceſſaria, maxima cum ex parte inſtitutus ille ſit ad retinendā humanæ ſocietatis coniunctionē, Ipſius enim rationis veluti quædā manus eſt: Ita vt Veteres mutilum dixerint, quod eſſet defraudatum natura ſua: Deducta voce ab hominibus mutis. Sed vtinam non grauius fortè afficeretur ea pars animæ, qua ipſa cognoſcit, & ſapit; Amentes nanquè fieri dictum eſt: Siuè per Amentes intelligere velimus ea fatuitatis ſpecie depræhenſos, cauſa cuius, quæ cognoſcenda ſunt parum homines cognoſcunt, Rudeſquè vocantur: Seu altera, qua de cognitis parum rectè ratiocinantur, cuius propriè eſt nomen fatuitatis: Vel tertia potius, & melius, qua cum parum cognoſcant, minuſquè ratiocinentur; Stupidi meritò nuncupantur: A frigore enim, quantumcunquè omnes fiant, cum poſtrema tamen, & Amentiæ nomen, & huiuſcemodi Aquarum ef-
„ fectus congruere magis videntur; De qua niuali aqua In 10. lib.
„ Aulus Gellius, hæc non minus vtiliter, quàm eleganter cap. 5.
„ ſcriptis mandauit: In Tyburte Rus conceſſeramus ho-
„ minis amici diuitis, æſtate anni flagrantiſsima, ego,
„ & quidam alij æquales, & familiares mei, eloquentiæ,
„ & Phyloſophiæ ſectatores. Erat nobiſcum Vir bonus
„ ex Peripatetica diſciplina benè doctus, & Ariſtotelis v-

„ nicè ſtudioſiſsimus. Is nos aquam multam ex dilutâ „ niue bibentes coercebat, ſeueriuſquè increpabat. Ad- „ hibebat nobis Auctoritates Nobilium Medicorum, & „ cum primis Ariſtotelis Phyloſophi rei omnis humanæ „ Peritiſsimi; Qui aquam niualem frugibus ſanè, & „ Arboribus fœcundam diceret, ſed hominibus potu ni- „ mio inſalubrem eſſe: Tabemquè & morbos ſenſim, „ atquè in diem longam viſceribus inſeminare. Hæc „ quidem ille ad nos prudenter, & beniuolè, & aſsiduè „ dictitabat. Sed cum bibendæ niuis, pauſa fieret nul- „ la, promit è Bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis „ templo ſatis commodè inſtructa libris erat. Ariſtote- „ lis librum, eumquè ad nos affert. Et huius ſaltem, in- „ quit Viri ſapientiſsimi verbis credite, ac definite vale- „ tudinem veſtram profligare. In eo libro ſcriptum fuit „ deterrimam eſſe potui aquam è niue, namquè ſolidius, „ latiuſquè concretam eſſe eam, quam Κρύσαλλον Greci „ appellant. Cauſaquè ibi deſcripta eſt huiuſcemodi. „ Quoniam cum Aqua frigore aeris duratur, & coit, ne- „ ceſſum eſt fieri vaporationem, & quandam quaſi auram „ tenuiſsimam exprimi in ea, & emanare. Id autem in- „ quit in ea leuiſsimum eſt, quod euaporatur: Manet „ autem, quod eſt grauius, & ſordidius, & inſalubrius: „ Atquè id pulſu aeris verberatum, in modum colorem- „ què ſpumæ candidæ oritur. Sed aliquantum, quod eſt „ ſalubrius, difflari, atquè euaporari ex niue, Indicium „ illud eſt, quod minor fit illa, quæ ante fuerat, quàm „ concreſceret. Verba ipſa Ariſtotelis ex eo libro pauca „ ſumpſi, & adſcripſi: Cur Aquæ ex niue, glacieuè, li- „ quatæ ſint vicioſæ? An quia cum Aqua quæuis gelu „ concreſcit, pars tenuiſsima difflatur, & leuiſsima eua- „ poratur: Indicium illud eſt, quod eliquata fit minor, „ quàm antea fuerit, deterius fit, quod relinquitur, neceſ- „ ſe eſt. Hoc vbi legimus, placuit honorem Doctiſsimo „ Viro habere Ariſtoteli. Atquè ita poſtea ego Bellum,

& odi-

„ & odium niui indixi.

Et quia libri tacet inſcriptionem, vnum illorum fortè fortuna eſſe, aliquis exiſtimare poſſet, à quibus Ariſtotelicum problematum Volumen integrari conſpicuum eſt, ſi vel mihi ſedulò perquirenti inter eos problema hoc inuenire licuiſſet, Vel vnicuiquè animaduertenti non accideret conijcere ex his, quæ in capite huic immediatè præcedenti protulit Gellius de problematum Volumine, & in hoc proferre, & potuiſſe, & etiam debuiſſe, ob recenter impreſſam illius in memoria inſcriptionem: Propterea conie&urando conſequi poſſumus de numero illorum eſſe, qui deſiderantur: Sed vtcunquè ſententiam hanc veritati vndequaquè conſonam eſſe neceſſe eſt, tùm quià à verè Medicorum Principe deſumpta eſt Hippocrate, & ab Ariſtotele Phyloſophorum Principe comprobata, necnon & à Galeno, Pariter & ab Auicenna in Prima Primi, Doctrina ſecunda capite decimoſexto, vti ſupra oſtenſum fuit.

In lib. de aere locis, & aquis. cap. 4. In lib. de boni.aquæ cap. p. In 7. lib. Saturnaliorū cap. 12. queſt. 13.

Nec rem tanti momenti ſilentio inuoluere Macrobius voluit, quinimmò & ipſe de illa ſermonem faciens, „ ſapientiſsimè in hæc verba prorumpit; Iamdudum „ inquit Auienus noſſe aueo, cur aqua, quæ obſita globis „ niuium, perducitur ad niualem rigorem, non minus in „ potu noxia eſt, quàm ex ipſa niue reſoluta: Scimus e„ nim quot, quantæquè noxæ è poto niuis humore na„ ſcantur. Et Diſarius addo aliquid ante quæſitis: „ Aqua enim ex niue reſoluta, etiamſi igne calefiat, & cali„ da bibatur, æquè noxia eſt, ac ſi epota ſit frigida. Er„ go non ſolo rigore Aqua niualis pernicioſa eſt, ſed ob „ aliam cauſam, quam non pigebit aperire Auctore Ari„ ſtotele, qui in Phyſicis quæſtionibus ſuis hanc poſuit, & „ in hunc ſenſum (niſi fallor) abſoluit: Omnis Aqua „ (inquit) habet in ſe aeris tenuiſsimi portionem, quo „ ſalutaris eſt: habet & terream fæcem, quæ eſt corpulen„ ta poſt terram: Cum ergo aeris frigore, & gelu coacta

„ çoaleſcit, neceſſe eſt per euaporationem velut exprimi
„ ex ea auram illam tenuiſsimam: Qua diſcedente
„ conueniat in coagulum, ſola terrea in ſe remanente na-
„ tura. Quod hinc apparet, quia cum fuerit eadem
„ aqua ſolis calore ſoluta, minor modus eius reperitur,
„ quàm fuit antequàm congelaſceret: Deeſt enim, quod
„ euaporatio ſolum in aqua ſalubre cõſumpſit. Nix ergo,
„ quæ nihil aliud eſt, quam aqua in aere denſata tenuitatẽ
„ ſui cum denſaretur amiſit: Et ideo ex eius reſolutę potu,
„ diuerſa morborum genera Viſceribus inſeminantur.

QVOMODO ESSE POSSIT VT PROBATORVM FONTIVM AQVAE TERREAM NOCENTEM SVBSTANTIAM ADMIXTAM NON HABEANT OSTENDITVR.

CAP. XVI.

SEd eſto pluuiales aquas, dum ab aere cadunt, terream illam nocentem ſubſtantiam admixtam non habere: Oritur difficultas, quomodo ea carere poſsint, illę quæ ex fontibus ſcaturiunt, qui etiam inter optimos recenſentur: Nam ſiue ipſorum fontium generatio, ex ſola aqua ſit, actu collecta intra inanem terræ locum, vti exiſtimat Plato, ſiue ex hac, & altera ab Ariſtotele addita, quæ eſt Aer ipſe, ſeu vapor conuerſus in aquam, à frigiditate montium intrà viſcera eius: Fieri enim non poſſe videtur, vt dum ibi colligitur attracta per poros montium, (ſpongioſos ſiquidem, vt aquam attrahere valeant, montes à natura factos fuiſſe ferunt ſapientes) tùm ex neceſſario multiplicique terræ contactu in actu attractionis, Tùm ex mora in terrea cauitate contracta, poſtquam pluens, ibi prorſus collecta eſt, vel collecta partim, partimquè eo modo quò dictum eſt ibi genita, fieri inquam non poſſe videtur, quin terrea illa ſubſtantia cum aqua permiſceatur, & eo præcipuè quo-

In p. lib. Metheorologicorũ.

nia

niam ſpecus aquam continentes, vt ſæpè innouentur, & neceſſe eſt, & accidit, hoc eſt vt vetuſti oppleantur, & noui producantur: Hoc autem fit, & per ſe à calore ſolis, quando humidam iam redditam terram, in exhalationem conuertit, quæ dum è terra erumpit, montes, vel gignit. vel attollit; Dum verò detinetur, Terremotus fiunt, occaſione quorum quia ſcinditur terra, icircò & in ipſa quamuis per accidens cauernæ nouæ fiunt: ſi itaquè terrea iam dicta ſubſtantia, fontium aquis neceſſario, & in ſat inſigni quantitate permiſceatur, quomodo earum aliquæ inculpabiles, vel eſſe, vel dici poſſunt?

VIDETVR dicendum, dato quòd illę exacta illa puritate, puræ non ſint, qua Elementa iuxtà aliquas ſui partes eſſe neceſſe eſt, ſecus & violenta aliqua diſpoſitio perpetuò duraret, Et aliqua potentia naturalis, rei impuræ, atquè imperfectæ, quæ quò ſpectat nunquam peruenire poſſet: Minimè tamen aſſerendum eſt, terream illam naturæ humanæ inimicam ſubſtantiam, eas tanta in copia admixtas habere, vt ſalutares non ſint: Quantumcunquè enim elementorum nullum ſecundum ſe totum purum eſſe poſsit: Natura oppoſitum ideo affectante, quoniam illis in ſua ſimplicitate permanentibus nihil poteſt generari: Non quęlibet tamen impuritas apta eſt vſqueadeo illa à ſua ſimplicitate remouere, vt elementa non ſint, immò vt non eorum quorundam, ſat inſignes etiam partes, inculpabili ferè ſimplicitati valdè proximę ſint: Procurante non minus Parente met Natura, vt genita conſeruentur, & inter hæc viuentia, illorumquè perfectiora, inter quæ primarium ſibi locum vindicat homo, quàm Producibilia non adhuc tamen producta producantur. Qua autem via ſuccedat, vt fontanæ Aquæ paſsim probatæ, ſimplicitati valdè proximæ ſcaturiant, aſſequi minimè arduum erit conſideranti, Fontium aliquos, Ora per quæ exeunt Aquæ, habere propè fundum, Nonnullos verò in parte ſublimiori: E' primis quorum fontium, quia aqua ſui flu-

xu, & grauitate diſcendendo foras exit, Temerè ſiquidem partim fertur, vbi ſpacium inuenerit ſibi, quò ſuum ad locum deuenire contendat, partim ad vſum animantium: Deſcenſuſquè ideò eſt quietus, quoniam inſtillat Aqua, ſeu in proximo ſinu, ſinubuſquè, ex pluuijs collecta, ſeu ibi ex vapore genita ſit: Sed quoniam nullus idem fons ibidem fit, vbi erumpit, ſed a ſinu ad ipſum aqua fertur, vel per terræ poros permeando, percolandoquè, vel per ſubterraneos riuulos effluendo: Dum primo modo ſic inſtillando deſcendit, quia excolatur inter duriora terræ commiſſa corpuſcula, magna parte, ſe à contracta terrea ſubſtantia liberat, Cuius ſi quæ ſuperſint Reliquiæ, quoniam aqua grauiores ſunt, ſeiunctæ in ſubiecto fundo remanent: Dum verò per riuulos effluunt, quamuis ab ea maiori cum negocio, ſe tamen eadem via extricant beneficio Naturæ ſalutem Animalium affectantis: E' ſecundo autem fonte os ſcilicet in altiori ſui parte habente, quoniam haud naturaliter aqua erumpit, ſed vi, ab ea quæ ſubinde accedit pulſa: Accedens autem quouis explicitorum modorum accedat, a terrea labe adhuc ſe facilius exonerat, quoniam ſi Fons perennis ſit (qualis debet eſſe, vt perfectus ſit) vt aquæ partes omnes prius pellentes ſint, & poſtea pulſæ neceſſe eſt: At ſurſum facilius pelluntur partes aqueæ quàm terreæ, vtpotè quibus motus ſurſum, minus præter naturam eſt, quàm partibus terreis; Quo fit vt duplici naturæ lege in imo fontis fundo detineantur, ob grauitatem ſcilicet maiorem, obquè animantium conſeruationem, & ſalutem, & præcipue hominis, Et eo facilius quoniam fontanis aquis non ſunt illę ita congenitæ, veluti eliquatis ex niue, grandine, atquè glacie aquis eſſe iam oſtenſum eſt Ita vt pateat haſce aquas inter puras, ac impuras elementorum partes, vel medium, vel medio proximum locum obtinere: Propterea audiendi non ſunt nuper exorti Medici quidam, eorum coctionem pro ægritudinum curatione damnantes, ea ratione moti quòd

tenue abeat, craſſum relinquatur: Nam ſi eo modo quo dictum eſt coquantur, tantùm abeſt vt illarum bonitas diminuatur, vt meliores efficiantur, & multifariam, & potiſsimum quoniam nocente dicta iam ſubſtantia terrea priuantur, cuius vbi ad priſtinum frigus redactæ ſunt aliquid perpetuo ſubſidere vnicuiquè, intueri datum eſt. In 16. ſ. cap. p. lib.

INTER Enumeratos autem in precedenti capite refrigerantes mediatè modos, Nullum extare diſcrimen rectè conſideranti patebit, niſi penès velocitatem refrigerandi: Ita vt adiumento illius, qui reſpectu quantitatis materiæ refrigerandæ, maiorem glaciei, niuisuè copiam admittit citius ipſa refrigeretur, ni fortè vaſis materia, & longè plus craſsities obſtet, Quò verò ad gradus frigiditatis ſpectat, debito temporis concurrente interuallo, modi illi omnes vim ferè æqualem inter ſe habent.

VTRVM LICEAT VNQVAM TVTO' OPE DICTORVM MODORVM VTI PRO MATERIA POTVLENTA REFRIGERANDA. CAP. XVII.

HIS CE declaratis, quęritur vtrum liceat vnquam abſquè bonæ valetudinis læſione, vti aliquo dictorum modorum pro refrigeranda materia potulenta: DICIMVS, Ex quo ſunt tria genera potuum ſecundum naturam, Lac videlicet, Aqua, & vinum: Lacte poſthabito, vtpotè quod dum homo aſſumit, ſub naturali ſua diſpoſitione conſtitutum ideſt non coagulatum (tunc ſiquidem importabile efficitur) calore naturali actu calidum perpetuò ſugitur, vti conſtat: Quò ad Aquam, quotieſcunque illa, quauis de cauſa recedat, ab vtili media diſpoſitione illa, de qua toties ad mentem Galeni dictum iam

fuit,

fuit, Et ad diſſoluentem teporem acceſſerit, ſi ad medium illud, quemcunquè ferientis frigoris gradum excludens redigatur, ope quouis dictorum ſex modorum, Nihil incommodi corporis ſaluti inde ſequetur: Quamuis medium illud inter extrema poſitum (vti pluries dictum eſt) attingere difficilius longè ſit, quàm credi poſsit, veluti & ex Macrobio adductis in precedenti capite perſpicuis verbis clarè conſtat: Propterea cum aliqui dicunt, immò & ſcribunt, veluti Baldaſſar Piſanellus Bononienſis Medicus, in MESSANA Siciliæ Vrbe, poſt uſum niuis, longè pauciores homines mori quàm ante vſum illius: Sciendum eſt ibi niuem circumponi materiæ potulentę, minime autem permiſceri; quia vinum ob ſummum aeris æſtum, defectumquè inculpabilium cellarum vinariarum, frigidum longè minus ſit, quàm humana expoſcat Natura: veluti mihi ſedulò perquirenti, dum hæc ſcriberem, narrauit D. Hippolitus Caracciolus, Canonicus Regularis, Vir & generis nobilitate, & ſacra concionandi facultate vbiquè illuſtris: Poſsitquè vnuſquiſquè ſibimet perſuadere, Piſanellum de temperata frigiditate intelligere, niuis circumpoſitionem conſequente; Ex quò initio dicti iam capitis inquit, guſtum maxima ex eo voluptate affici, potu ſiquidem immodicè frigido, illum ſub propria ratione, maxima voluptate, immò nec mediocri, haud affici poſſe oſtenſum eſt: Et magis adhuc quia ibidem & rectè, duos validiſsimos hoſtes, innato calori noſtro conſtituit, immoderatum videlicet extrinſecum calorem, à quo diſſoluitur, necnon, & immoderatum frigus, à quo extinguitur. Immò apertè aſſerit, Niuis uſum in refrigerando laudibus florere, illa dummodò potulentæ materiæ ſubſtantiam non ingrediatur: Nì confeſtim ſibi apertè contradiceret inquiens, Niuem vtpotè aqua cui ſupernatat leuiorem, permixtam cum potulenta materia, ipſam vlla abſquè noxa refrigerare, Experimento Agricolarum, qui aquas fluminum ex eliquatis niuibus reſultantium, abſquè

In ſuo lib. de natura cibariorũ, & potus. cap. vlt.

de-

detrimento in potu aſſumunt: Quinimmò vnà, & Diuino Hipocrati, niuales aquas prorſus exprobranti, nec ſemel vnoquè in loco, Nam in quinto libro aphoriſmorum: Aphor.24
„ Dicebat, frigida qualis nix, & glacies,
„ pectori inimica tuſſes mouent, & diſtillationes: Et in libro de Aere, aquis, & locis, hac potiſsimum de cauſa aſſerit Scytas habere omnia membra principalia frigida, & humida, & imbecillia, & ſuperius in eodem libro de ijs ſermonem habens, quæ ad uſum illarum ſequuntur, Eaſdem pituitoſiſsimas, & raucoſiſsimas, immò & morboſiſsimas nuncupauit: Ita vt ſi niuem permiſcerent, hoc verum eſſe non poſſe, Ex his patet, & ex dicendis patebit: Prȩterquamquòd eſſe poteſt, vt poſt circumpoſitionem niuis, pauciores pereant, At non ob ſolam circumpoſitionem, Quinimmò ob nouas fortè cauſas aliquas non omnibus notas, Maiorem attamen vim habentes retardandi mortem, incolentibus Vrbem illam hominibus: Tales poſſunt eſſe illæ omnes adiumento, quarum potuit aeris malitia diminui: Nam quantumcunquè Galenus, tàm aquæ, quàm aeris probet bonitatem, improbetquè vtriuſquè malitiam æqualiter: Et Matheus Curtius inter publicos Medicinæ Italos prȩteritæ ætatis Profeſſores celeberrimus, cenſuerit maius ex aqua, quam ex aere damnum, veluti VINCENTIVS MASINIVS PATER MEVS, Doctiſsimus Medicus, illiusq; familiaris Diſcipulus, inter multa ab eo profitente enunciata, ſibi, Poſteriſq; ſuis, ad medicinam ſtudia ſua conferre volentibus, memoriæ prodidit: Quamuis non ratione exuberantis frigiditatis, ſed ob longè maioris ponderis vitia, quæ illi ineſſe poſſunt, iuxtà tamen illa, ipſam nunc minimè conſideramus: Princeps tamen, dum malarum aquarum enumerat incommoda, plura adducit diuturniora, & minus pericuLoſa, ac magis ad facultatem naturalem pertinentia, quàm aeris; Aer ſiquidem magis nocet facultati animali,

cap. 4. & 10.

cap. 5. 3.

in p. lib. de tuenda ſanit. cap. 11 & in 2. de nat. humana com. 3.

Secũda p. doctr. prima cap. 16

mali, & vitali, & celerius interficit: Vitari nempè aquæ iactura poteſt, aeris nequaquam; Nam ſi quis perpetuò aſſatis carnibus utatur, & vinum bibat, omnino illius noxam fugiet: At aeris ideo non licet, quoniam in homine, omnium maximè poteſt: Hinc ille ab opere quocunquè vacare poteſt; At ab aere veluti non poteſt non circumambi, ita & eundem dum viuens eſt, non poteſt non attrahere, tùm per externas arterias, tùm ad intima cordis penetralia ſingulo temporis momento: Quemadmodum conſpicuum in exemplum vnuſquiſquè CAESENAM PATRIAM MEAM intueri poteſt, in qua ab hinc ſunt anni circiter duodecim, cum abſq; collatione; longè pauciores homines obeant quàm antea: Quod in niuis vſum iccirco reijci nequit, Hic quoniam Dei munere nec fuit hucuſq;, nec eſt in vſu: At quia aer purior eſt redditus; Primò quoniam ſubterraneæ Cloacæ omnibus propemodum in vijs extructæ ſunt, quibus ſordidæ aquæ omnes, abſq; quod euaporando, aerem inficiant, clam præproperequè euacuantur: Quarũ viarum omnium, & Pauimenta ita ad libellam aptata ſunt: Vt nec aquæ, nec ſordes vlla in parte retineantur: Aquæ omnes, quæ in foueis Vrbis murum circumambientibus, quieſcentes corrumpebantur euacuatę prorſus fuerunt: Cellęquæ Ciuitati per milliare proximę, in quibus Canapis, & Linum macerari conſueuerant, fuere demolitæ: Et quod multi momenti erat, multæ multos ante annos, in Ceruienſi agro ſtagnantes Aquæ ſiccatæ fuerunt: CAESENA enim etſi montes non admodum eminentes, cum ab Auſtro habeat, totaquè cum ſolo iaceat, ita ad Septemtrionem inclinata, vt illi amplè pateat; ſpirantibus ab ea parte ventis, vnà cum toto flatu, nocuos à dictis aquis, eleuatos delatoſquè vapores, in ſe recipiebat, qui eò magis illi officiebant, quò magis ſe ſe inſinuabant, intercepto tùm à ſoli dicta iam inclinatione, & adhuc magis à dictis montibus, eiſdem ad Auſtrum libero tranſitu: Qua de cauſa

Co-

Cœnobium Monachorum Divi Benedicti elegantiſsimum, poſitum ſupra Collem inter ortum Solis, & Septemtrionem, Divae Mariae à templo illi dicato nuncupatum, ab Vrbe ſexcentum quinquaginta paſſus diſtans: Quod ab omnibus expetito ſaluberrimo aere nunc gaudet, olim ita illius malignitate, Monachi habitatores afficiebantur, vt cum in difficillimos perſæpe morbos inciderent, Locus ille aliòqui amenifsimus, acerbiſsimum odium ſubiret. Nec ſequela illa poteſt non reprobari quam exiſtimat Piſanellus ſe concludere, Niuem iccircò Aqua eſſe leuiorem, quoniam ei ſupernatat: Primò quoniam (vti pluries dictum eſt) leuitas & grauitas in potulenta materia, non ſupernatatione, immò nec lance ſtateraue, à ſapientibus metitur, ſed ex facili difficilique ex Hippocundrijs receſſu: Secundò quia ex eliquata niue reſultans aqua (Nix enim non niſi per eliquationem potabilis effici poteſt) comparata ad parem, inculpabilis aquæ potabilis quantitatem, ideo neceſſe eſt, vt illa ſit grauior, quoniam ex oſtenſis nubes, quæ proxima niuis materia eſt, ſiccam exhalationem habet permixtam: Dum igitur ſub forma niuis eſt, ideo ſupernatat, quia vti inquit Galenus, ſeu Author libri de vtilitate reſpirationis, quiſquis ille extiterit Vir vtiquè præſtans, Nix ipſa plurimum habet aerem, quemadmodum ſpuma, & alba vtraquè eſt, ob commixtum aerem veluti, protulit Ariſtoteles. Poſtremò quia ſi ſupernatatio argueret preſentiam illius leuitatis, quam æquè in materia potulenta, ac eſculenta, Medici pro integra humanorum corporum valetudine conſeruanda, tantopere expetunt, ſequeretur Fungos in Eduliorum latitudine, parum vel nihil culpabiles eſſe (ſupernatant enim aquæ omnes experientia teſte) cuius oppoſitum innumerabilibus propemodum in locis ſtatuit Galenus, & notabiliter dum inquit Fungis frigidiſsimus, & glutinoſiſsimus craſſuſquè ſimul ſuccus ineſt, hinc in Epilepſia maximè deuitandos præcipiebat in libro de Puero Epileptico, In lib. de ſuccor. bonit. & vitio cap. 4.

in 7. lib. de fac. ſimpl. medicam. tico, Adhuc & clarius dum ait, Fungus frigida humidaq; admodum Planta eſt: quamobrem etiam proximè ad deleteriam, & enecantem facultatem accedit: Nam inter eos, qui natura multam habent qualitatem putredinoſam, interficiunt; immò & ex largiori eſu Boletorum, qui in fungorum latitudine innocentiſsimi eſſe putantur, Aliquos vix ſeruatos fuiſſe ipſemet teſtatur: Nec mirum cum ex fungis omnibus alimentum ipſomet Anctore eodem in loco pituitoſum, & frigidum, prauiquè omnino ſucci ſit: Malitiæ quorum indicium inde ſumi & maximum cenſentibus, quòd ſiccari nequeant, aſſentit Galenus.

in 2. lib. de Alimentorũ facult. cap. 69.

In lib. de ſuccorum bonitate & vitio cap. 5.

QVOD AD VINVM, quamuis adducta iam toties Galeni regula in decimo methodi medendi libro capite vndecimo optima ſit: Poteſt & noua alia ſuperaddi, ex allata guſtui accidentali iniucunditate deſumpta: quæ quidem cum aqua ideo congruere non poteſt, quoniam ſapore illa caret: Vino ſiquidem minus iuſto frigido, iniucunditas quædam perpetuò neceſſarioquè aſſociatur, quam non eſt qui illo epoto non protinus percipiat, quotieſcunquè diutius quàm par ſit, extrà dolia cellasquè vinarias aſſeruatum fuerit, & magis adhuc ſi in vaſe latioris oris, & non operculato, & cum perceperit, non ſtatim abhorreat, vappa illud apellare conſueuerunt, hoc eſt cuius vis omnis propemodum euaporauit. Sed vnde eſt, quòd ad illarum euaporationem, vtpotè quę potentia Calidiores quoniam, & tenuiores ſunt, frigiditatis gradus in vino non potius intenduntur? An quia preſentibus illis, veluti in optima diſpoſitione conſeruatur, ita abeuntibus, alienæ caliditatis gradus accedunt, qui quamuis tam citò, putrefacere nequeant, ad aliqualem tamen putrefactionis præuiam diſpoſitionem ingreſsi confeſtim quoniam diſponere incoant, iccirco frigiditas non poteſt non remitti: Ex aduerſo Vinummet plus iuſto frigidum non eſſe, vnusquiſquè guſtu benè valens deprehendet, quotieſcunquè illud, ſiue in ore detineat, ſiue deglutiat, guſtus organum, nullum contri-

triſtantis ictus genus perſenſerit: cum enim incuſſerit plus iuſto frigidum eſſe pro certo habendum eſt: Maiorem autem, minoremquè receſſum, penès frigoris nocentes gradus, ab optima diſpoſitione indicant; acerbiores clementioresquè, dicto organò ictus in actu ſenſionis illati: Quin autem incutiantur vix fieri poteſt, & precipuè cum vinum aliàs iucundum, & valdè fuiſſe experti fuerimus, tunc nimium longiorem circa palatum moram trahere permittimus; ſenſus enim, cum noſtræ vtilitatis cauſa à Natura ſapienter comparati ſint, vti inquit Philoſophus, & vtilitas duplex ſit, vna videlicet ad fugiendum, & altera ob percipiendum, Et hoc prius Natura intendit, illud verò poſterius, Accidit enim vt occurrant noxia: At non accidit vt corporis recreationem appetamus: Hinc ſi introſpicere volumus, ita fortè particularis ſenſus naturam occurſus ſingularis obiecti angit, quod contriſtans partim ſit, partimquè voluptabile, veluti illius quod prorſus noxium ſit: Tunc enim dum in actu ſenſionis ad opposita quaſi diſtrahitur, nec promptè deſerit illa aplicationem, veluti dum obiectum omnino conturbans eſt, & moerens cum eam non niſi ignaue proſequi audeat interim perdurat Angor. Nec obſtat guſtus organum in actu ſenſionis vini plus iuſto frigidioris, ideo conturbationem non poſſe perſentire, quoniam homines eo modo quo paſsim videmus non alliceret: Ex eo enim apertè conſtat illud triſticia afficere quoniam propriam illius hebetat ſenſionem, ita vt dum qua immodicè frigidum allicit, & aliquando fortè magis, quàm qua vinum iucundiſſimo ſapore præditum, Non ſit, qui dubitet nonniſi minus temperatos homines allicere, minus longè ſenſus tactus ſenſionem nobiliori guſtus ſenſioni præferentes: In eodem enim organo vtriuſquè facultatem reſidere iam proditum eſt: Ab omnibus igitur moleſtia perſentitur, quæ communi organo, ſub ea tamen qua guſtare deberet, nec exactè poteſt, ratione infertur: Quam etſi hi dum æſtuant,

in 3. lib. de anima tex. 60. & 61.

vel

vel quod deterius eſt etiam non æſtuantes, praua confirmataquè conſuetudine ducti paruipendunt: De propria tamen incolumitate ſolliciti prudentes Viri eam maximopere abhorrent.

VTRVM SANITATI CONFERAT HYEME ALIQVANDO POTVLENTAM MATERIAM IGNI APPLICARE. CAP. XVIII.

QVAERITVR hic & meritò, vtrum ſumma hyeme dum ſummè alget Aer, liceat potulentam materiam igni aproximare (quod multi faciunt) at non benè perſpicuum eſt, id profit nec nè, vel officiat bonę valetudini. Dicimus immò nemini dubium eſſe, debere & neceſſariò aproximari, quotieſcunquè illa congelata fuerit, vt eliquetur: Nam non eliquata, ſub forma potus aſſumi nequit: Inter genera autem potuum naturalium, inprimis aqua gelaſcit, pariter & lora, cum & ipſa aliud nihil ſit Galeno etiam teſte, quàm aqua met, quæ ex vinaceis, ex quibus muſtum recenter expreſſum fuit, aliquid vinoſitatis contraxit: Vinum quamuis congelationi, & coagulationi obnoxium ſit, quia mixtum aqueum eſt, Atamen veluti de facili coagulatur, ita ægrè glaciare conſueuit, ni ſit valdè pauciferum. De dulci ſermonem faciens Auerrois in ſeptimo Collectaneorum, quia pingue eſt, dixit non congelari: Quod accidit, quia vini humidum, reſolutionem cuius conſequitur coagulatio (veluti de lacte conſtat) magis obedit extrinſeco calori reſoluenti, valido ſuapte natura agenti; quàm humidum, & ſiccum ſimul, quæ ſunt duo reſiſtentia, obediant frigori, quod minoris actiuitatis eſt quàm calor, & præcipue in-

In 2. lib. facult. aliment. c. 9.

trin-

trinſeco vinimet calore, ob præſtantiam fortè mixtionis, reſiſtente ſuimet ſeparationi a frigore prodeunte: Qua ratione Acethum lactiſquè ſeroſitatem Coagulationi reſiſtere dixit Auerroes, Quantumcunquè de natura frigidi ſit, res aquoſas congelare: A quo frigore, in vtroquè paſsiuo, hamido videlicet atquè ſicco productam compreſsionem, conſequitur congelatio: Idem & ſtatuendum de quocũquè artificiali genere potus, veluti eſt Sidra, Zytum, & Ceruiſia, quæ cum non ſolum conſueta ſit, toti Septentrionali Plagæ, ſed & gentibus vltra oceanum, apud eas non minus frequenter, quàm intenſè ob maximum frigus gelaſcere perſpicuum eſt. Et quamuis eorum nullum glaciauerit, ſiue minus rigida aeris conſtitutio, ſeu particularis cellæ vinariæ conditio in cauſa fuerit, eò tamen frigiditatis peruenerit, vt guſtus organum feriat (quod Aqua efficit) vel & feriat, & ita illud afficiat, vt proprio munere exactè fungi nequeat (quod in Vino experimur) Tandiu propè ignem moram trahere permittendum eſt, vt illa ferientem, vi aeris calefacti, vim amittat; & Reliqua omnia dicto iam communi organo, tamquam guſtabilia longè plus, quàm tangibilia æquentur. Hinc patet acriter reprehendendam eſſe multorum conſuetudinem, qui tunc temporis œnophora vino plena in ſublimioribus Septentrionemquè reſpicientibus feneſtris ſuſpendunt, vt ferientes frigiditatis gradus concipiant: Et illorum adhuc magis, qui & dolia vinaria tunc vino plena eadem cauſa in horreis dictis feneſtris planè patentibus condunt, quam Florentiæ apud non paucos in vſu eſſe audiuimus, Quamuis nequiter longè procul dubio minus, in ſolerti illa quàm in quauis altera Italiæ Vrbe, vita ferè ab omnibus traducatur. Sedulo tamen perpetuoquè animaduertendum eſt, ne ex diuturniori mora, ſalutares iucundoſquè vnà frigiditatis gradus amittat, eorumquè loco oppoſitos concipiat: Præterquamquòd enim ſic immutata, nullum commodum nullamquè voluptatem affert;

4. lib. me theor. in cõ. magno colũna 19.

In 2. lib. aphoriſm. Aphor. & com. 38.

quam tùm in cibo, tùm in potu, ita ſalubriter ac ſtudioſè curandam eſſe Hippocrates, & Galenus præceperunt, vomitum ſano homini perpetuò infeſtum concitat, Quâ fortè ratione, & Bruta illum deuitare dixit Plinius: Quocirca Antiquos, nunquam alio quàm frigido potu, vel eorum aliquos calcfacto, aliqua tantum valetudine affectos, toto conuiuio, vel inter illos qui vomere cupiebant, vt copioſius ac maiori fame ingurgitarent, ante cenam calefactæ aquæ potu, vſos fuiſſe teſtatur, Præſtantiſsimus Medicorum noſtræ ætatis HIERONYMVS MERCVRIALIS:

In p. variarũ lection. lib. cap. 8.

In lib. de conſuetud. cap. p.

Cuius ſententiæ, non eſt cur aliquis exiſtimet Galenum aduerſari dum narrat Ariſtotelem Mityleneum, cum frigidam medicis conſulentibus potauiſſet ex eo obiiſſe, quoniam calidæ potioni aſſuetus erat; Nam illud iccircò præſtitiſſe credendum eſt, quoniam & ipſe fortè fortuna ſat valetudinis non habebat, vti ex hiſtoria illius clarè elicitur: Ob id tamen hominibus, non vndequaquè firmis viribus vtentibus, calidæ potionis vſum conferre haud arbitramur: Calidæ inquam alicuius potionis, de numero illarum, quas dempto lacte, ſecundum naturam eſſe iam diximus: Nam medicinales potiones, à quarum ſerie carnium iura, minimè ſeiungenda eſſe opinamur, vt plurimum actu calidas exhibendas eſſe compertum eſt, ni per calidas, caldas intelligere velimus, ideſt nulla arte calefactas, aut refrigeratas, ſed quæ quales ſuaptè natura ſunt, potaturis porriguntur, veluti Vir vndequaque doctiſsimus, vbi ſupra, egregie interpretatus eſt: De quibus & Galenum ipſum in dicta iam Ariſtotelis Mitylænei hiſtoria intellexiſſe, ſat ſuperquè perſuadet, vtilitas quam ex vſu illius ſic diſpoſitæ, tum ſani homines omnes coligunt, tùm maximè qui parum, firma valetudine vtuntur.

SECVNDI LIBRI FINIS.

NICOLAI MASINII CAESENATIS PHILOSOPHI, ET MEDICI DE GELIDI POTVS ABVSV.

LIBER TERTIVS.

POTVS IMMODICE FRIGIDI VSVM, MATERIAM DESTILLATIONIS QVAMPLVRIMORVM MORBORVM RADICEM GIGNERE. CAP. I.

QVORSVM ſciſcitare aliquis poſſet, tot ac tanta in medium adducta ſunt, circa materiam hanc ad Potum immodicè frigidum ſpectantem? Vt homines ſe in futurum ab illius vſu, vel precaueant, vel ſi in vſum illius diligentes Medici (ſua vti intereſt) paulò libentius inuehantur excuſatione careant: Quos quæſtus homines tandem ex hac lectione facturi ſunt? Quamplurima detrimenta euitabunt, ideſt ægritudines quamplurimas, quinimmò & intempeſtiuam perſępè mortem, & aliquando repentinam: Hæc autem omnia in Principum præcipuè vtilitatem conſcripta ſunt, tùm quoniam eorum plerique hac in re eò magis peccant, quò minus hac ætate dehortantur: Tum quia cum probi ſunt, non eſt qui diuturnam illis vitam exoptare, totiſquè viribus procurare, valdequè ex animo continuò à Deo contendere non teneatur: Habet quoniam iſte error longè maiorem, quàm credi poſsit in primis rationem externæ ſeu euidentis cauſæ, ex qua Antecedens vnà oritur, a qua innume-

numerabiles: propemodum continentes defluunt, quæ tot particulares morbos, quot ipſę ſunt producunt ac fouent. Quæ omnia veluti ab Hippocrate deſumpta, ita & illo duce aperienda ſunt: Inquit itaquè ipſe, „ Frigida qualis Nix, & glacies pectori inimica, Tuſſes mouent, & ſanguinem, & deſtillationes: Nec dubium eſt, de Potu aquarum quæ è niue, & glacie eliquantur eum loqui, Nec ideo ſolum quoniam eas à quibusdam Scytharum in potu aſſumi teſtatus ſit; Quinimmo quia fieri nequaquam poteſt, vt de extrinſeca admotione intelligat, Nemo ſiquidem aut pectori, aut capiti, niuem aut glaciem imponeret, imponendauè conſuleret, ni fortè inſaniret: Nec de eſu illorum poteſt intelligere, Nam vt magnam illorum quantitatem, quis vnquam eſitauerit, nec fuit Auditum, nec niſi valde ægrè dentium ferre poſſet natura, preſertim glaciem, ob inſignem duritiem inſigni illius iunctam frigiditati: Quòd ſi pauca in quantitate edantur, tantos effectus producere non poſſunt: Reddens nimirum Galenus in comento rationem, quamobrem deſtillationes moueant, dixit propterea quod valde rifrigerant cerebrum: Ergo à debili refrigeratione non poſſunt deſtillationes concitari, & à pauca vtriuſquè aſſumpta, non niſi imbecillis refrigeratio emanare poteſt: Ita vt pateat huiuſcemodi aquarum potum, tot ægritudinum, quot à deſtillationibus produci conſueuerunt euidentem cauſam eſſe, ex quo cerebrum ad tantam refrigerationem deducere valet: Nec ſit qui exiſtimet, hoc de eliquatis è niue ac gelu aquis tantumodo verificari, de immodicè autem refrigerata quacunquè alia potulenta materia minimè: Ibi enim Hippocrates de frigido in actu, & immoderato in quacunquè materia ſit loquitur, veluti, & apud ipſum videre eſt, vbi & ſcriptus eſt idem Aphoriſmus, & pro frigida habetur frigidum valde: Nec minus ab hac cauſa deſtillationes gignantur, cum & ex ea ex-

In 5. lib. Aphor. 24.

In lib. de aere locis, & aquis. cap. 10.

In ſexto ſcilicet Epidemiorũ partic. 3.

-crementorum prouentus vbiquè fieri poſsit, & magnus, & in humano cerebro longè maior abſquè comparatione, Nec vnica mehercule cauſa immò pluribus; Et primò propter amplitudinem, qua iuxtà humani corporis proportionem cerebrum cuiuſcunquè alterius animalis ſuperare dixit Philoſophus, & humidum eſt & frigidum vſqueadeo, vt iſdem ibidem ſcriptum reliquerit, omnium corporis partium frigidiſsimum eſſe: Ratione cuius temperamenti, non eſt qui non aperto ore fateatur, illum aptiſſimum eſſe ad multiplicandam pituitam, quæ propria eſt catarrhi materia dicente Hippocrate cerebrum ipſum ſedem eſſe atquè metropolim frigidi, & glutinoſi humoris: Secunda cauſa eſt illius laxitas, ratione cuius non ſecus ac glandulæ quæ ſemper pituita refertæ ſunt, paratum eſt repleri à vaporibus delatis ab omni parte corporis: Tertia eſt multitudo, & magnitudo viarum in ipſo exiſtentium, & hæ ſunt partim foramina ampla, per quæ facillimè à dictis iam inferioribus partibus dicti iam vapores aſcendunt, partim vaſa, quæ interius, & exterius ſunt, venæ ſcilicet, & arteriæ ratione quarum potiſsimum cum corde, & iecore conſentit; Et quia vtroquè ſuaptè natura imbecillius, ideo & ſummè diſpoſitum ad fuliginoſa illorum excrementa ſuſcipiendum; Ad quæ depellenda æquè potens eſt ac ſollicita eorum natura, Hinc caput & pilis, & omnium partium longioribus maximè abundat: Quarta cauſſa eſt ſitus, in ſublimiori enim corporis parte quia poſitum eſt, promptiſsimè ad ipſum tanquam ad caminum vapores tendunt, Qui quidem vapores veluti facilè aſcendunt, ita ſuperfluus humor ex ipſis pro parte genitus, ſat frequenter ac facilè deſcendit: Deſtillatio ſiquidem aliud nihil eſt, quàm ſuperuacanei humoris è capite in ſubiectas ſedes prolapſio, ſedes inquam non enim vna eſt, veluti Antiquorum nonnulli indicarunt, nomine deſtillationis eam ſolùmodo deſignantes, quæ in fauces irruit: Nec tres ſunt, veluti Neotericorum multi ſtatuiſſe viſi ſunt, Na-

In 2. lib. de partibus animaliū. cap. 7.

In lib. de carnibus. pagina 2.

res videlicet ad quas cum diſtillationis cauſa, ſeu materia, quæ capitis excrementum eſt defluit Coryza (vt græci inquiunt) vel grauedine infeſtari dicunt, ſecunda ſedes fauces ipſę ſunt, ad quas cum ea deuenit Branchum vocant, Tertia pectus eſt, ad quod cum deſcendit, generis nomen illi tribuentes Catarrhum nuncupant: Nam præter haſce alias extare affirmat Galenus exponens particulam poſitam ab Hippocrate in calce dicti Aphoriſmi. Cuius verba hæc ſunt, ſenioribus autem „ deſtillationes, quæ cito interimunt. Experientia ſiquidem videmus, tres prædictas iam deſtillationis ſpecies, in ſenioribus diu perdurare, quamuis male ſe habeant, ibi itaque Galenus per deſtillationes exponit, & meritò omnes fluxiones, quæ per venas à capite ad partes inferiores tendunt, vt potè quæ fat velociter terminantur; ſed & adhuc plures eſſe ipſemet nobis patefacit: Et ante ipſum longè plures adhuc Hippocrates numerauit, Vbi poſtquam dixit glandulas, & pilos in extrinſecis corporis partibus complicari, & Cerebri ſubſtantiam eſſe veluti magnam capitis glandem, ſtatim & enumerat ſeptem principales fluxiones ab ipſo manantes, quæ abinuicem diſtinguuntur penès diuerſitatem viarum, vel meatuum per quos deſcendere poteſt pituita, quæ ſemper eſt materia catarrhi propriè ſumpti, quantumuis perpetuò vniformis illa non ſit, nec in primis qualitatibus, nã aliquãdo frigidiſsima eſt nonnũquã, & caliditatis particeps, Nec in ſubſtãtia quia modò tenuis, modò craſſa, nec in ſapore quia quãdoquè acida, perſæpe inſipida, multoties & ſalſa: Et veluti ratione innati ipsã gignentis mẽbri tẽperamẽti, dicta rheumatica materia nõ poteſt nõ eſſe pituitoſa, ita & vt enumeratę illius paſsiones, iuxtà diuerſitatẽ vaporũ cerebrũ ſcãdentiũ diuerſificẽtur neceſſe eſt. Vias autẽ has ad quatuor capita facile medicorum vnuſquiſquè redigere, & methodicè poterit, reuocans ad memoriam ea, quæ quotidie ſe

In 5. lib. aphoriſm. com. 24.

in 6. lib. de ſymptoma tum cauſis cap. 3. In lib. de glandulis pagina 2.

ſe

ſe oculis eorundem offerunt materiam videlicet catarrhalem à cerebro deſcendere, vel per propria foramina, vel per vias amplas, vel per venas, vel per neruos: Propria autem foramina ſunt quatuor, peruenientia videlicet ad aures, oculos, nares, & palatum: Viæ autem amplæ duæ ſunt, quarum vnà eſt Trachea Arteria, altera verò eſt Aeſophagus, & veluti per primam ad pectus, ita per ſecundam ad ventriculum deſcendit: Per venas, & defluit, vnaquè & per arterias, non enim minor de iſtis eſt ratio quàm de illis, ex quo tàm harum quàm illarum plures ad cerebrum pertingunt: Quartus, & poſtremus deſcenſus eſt per neruos, tranſiens ſiquidem illa per colli atquè dorſi vertebras, indequè latentes ſenſibuſquè inconſpicuos meatus quamplures ingreſſa, ad inferiores partes deſcendit: Cum igitur per tot vias feratur, vt varia occupet loca neceſſe eſt, & diuerſos producat morbos: Per tot vias inquam ſtatutas, tamen nec niſi morbis producendis proportionatas; Nam audiendus non eſt FERNELIVS vir aliòqui præſtantiſsimus dum oſtendere conatur materiam concitantem quamcunquè Arthritidis differentiam, ab extimis corporis partibus perpetuò defluere, quæ extra caluariam ſunt & intrà cutim, quamuis omnino occaſionem illa habeant ab internis partibus eiuſdem capitis, Apertè cum diſsentiat ab Hippocratis & Galeni decretis, quibus ſubſcripſere quotquot vnquam de hac re aliqua literarum monumentis obſignata tradidere: Aſſerunt nempè illi nec niſi firmiſsimis de more fundamentis muniti, eandem modo per patentes vias confluere, vt per venas & arterias, aliquando vero per vias occultas nempè per meatus latentes ſenſibusquè inconſpicuos ſicut per muſculos, interdum à ventriculo nonnunquam & ab inteſtimis: Rationi ſiquidem immò ſenſibilibus experimentis repugnat excrementoſas illas materias prius in caput ferri mox ad articulos confluxuras. Fuerunt qui opinati ſunt ab vna materia catarrhali tamquam à communiſsima cauſa, omnes

In 6. lib. de partiũ morbis, & ſymptomatis cap. 18.

propemodum ægritudines poſſe produci, & quamuis non ſemper fiant, quoniam & ab alijs cauſis ſingulæ fieri conſueuerunt, vt tamen fieri poſsint videtur; Quod tamen oſtendere non eſt præſentis inſtituti; At ſilentio prætereundum non eſt, tùm cerebri excrementum, tanta in copia poſſe multiplicari, vt earum pleraſquè ſeorſum concitare poſsit, concurrente potiſsimum neceſſario illo diuerſorum vaporum aſcenſu de quo dictum eſt, quotieſcunquè à frigore ad intemperiem redactum fuerit iuxtà Galeni in loco paulo ante citato ſententiam, Tum & vſum immodicè prefrigerati potus, illud eam ad intemperiem maximè deducere poſſe eodem teſte. Cum autem aſſerimus omnes propemodum morbos à cerebro manare aliquo modo poſſe, Nos illud ſemper conſiderare minimè intendimus, ſub ea ratione qua mandans eſt, quamuis enim dum non tranſmittenda tranſmittit, non poſsit non affectum eſſe, quoniam veluti trāſmiſsio multiplicationem ſupponit, ita & multiplicatio præternaturalem affectionem, ſimplex tamen inſpecta tranſmiſsio, Robur potius membri tranſmittentis quàm nocuam affectionem aliquam præ ſe fert: Hinc qui non abſquè defluxione fiunt morbi iuxtà Galeni decretum, recipientibus & meritò, potius quàm tranſmittentibus attribuendi ſunt membris; Fluxionem enim inquit ipſe ſi reſpiciamus, vt fluit à mandante eſt cauſa, ſi vt recipitur in membro affecto, eſt Diſpoſitio. Quoniam hic cerebrum ipſum conſideramus, prout ad frigidam intemperiem vſu præfrigerati potus redactum eſt, qua correptum, etſi excrementa præter naturam non poſsit non congerere, haud tamen perpetuò poteſt expellere, ita vt duo morbi genera cerebri intemperiem conſequantur, quorum vnum à cerebro quidem eſt, ſed extrà cerebrum fit, & dum expellit, & de hoc iam dictum eſt ad mentem Hippocratis· Aliud vero, & à Cerebro, & in Cerebro eſt, quod hiſce verbis, & ipſemet Hippocrates ſupra explicuit: » Cerebrum autem cladem perfert, etiam ipſum non ſanum

In 6. de cauſis ſym ptom. lib. cap. 3.

In 5. lib. Aphoriſm. com. 24.

In 2. lib. ad Glauco né. cap. 2.

In lib. de glandulis pagina 3.

exiſtens, ſed ſiquidem rodatur turbationem multam ſuſtinet, & mens deſipit, & cerebrum conuellit, ac diſtrahit totum hominem, qui in ſeipſo vocem non edit, ac ſuffocatur, & hæc affectio ſyderatio ac græcè ἀποπληξία appellatur: Contingunt autem hæc tunc, cum excrementum dicto iam modo acre euadit: Quamuis enim per certum temporis interuallum, quoniam cerebri naturam imitatur, pituitoſum, tenue, aquoſum, atquè dulce exiſtat, in cerebri tamen ventriculis diutius obherens, vel ſalſam vel acrem qualitatem tempore conquirit: De illo igitur acri effecto poſtquam ea enunciauit ſtatim, & de eodem, prout tamen in primęua ſui diſpoſitione perſiſtit, vel potius prout acredinis eſt expers hæc profert: Aliquando verò acris quidem non eſt fluxio ſed copioſa in cerebrum irruens, ipſum affligit, & mens perturbatur, & homo circumambulat aliena cogitans, & aliena videns, perferens morbi mores, viſis, riſu, & peregrinis imaginationibus.

Pauca hæc protulit pro antiqua dicendi breuitate, longè plura, vti vnuſquiſquè perſpicere poteſt ſub ipſis ſuo more comprehendens.

EIVSDEM VSVM CACOCHYMIAM OBSTRVCTIONEMQVE VALIDISSIMAS MVLTARVM AEGRITVDINVM RADICES PRODVCERE OSTENDITVR.

CAP. II.

ET quamuis hæc in propriæ valetudinis timorem, Prudentem quemcunquè Virum ſat conijcere deberent: In hoc tamen tota res precipuè agitur, vt error iſte nihil non agat ad perniciem vitæ. Nam præter

ter materiam deſtillationis tantorum morborum radicem, duas & alias quaſi validiſsimas præternaturales producit pariter radices, à quibus & multi, & ſæui morbi pullulant, affectus ſiquidem ab affectu emanare præter Hippocratem in iam citato de glandulis libro, & Galenus ipſe docuit, Quarum prima eſt CACOCHYMIA, ſecunda verò, quæ & illius quaſi eſt ſoboles OBSTRVCTIO eſt: Quod autem huiuſmodi potus cacochymiam producat, non eſt qui facillimè intelligere non poſsit, reuocans in primis ad memoriam iuxtà Galeni decretum, Cacochymiam ipſam nil aliud eſſe niſi vitioſi ſucci copiam, ſucci inquam, poſtquam vnius tantum ſuperabundantia, ad corpus Cacochymum reddendum ſat eſt, veluti ipſemet aperit inquiens, Vbi vel flaua bilis, vel nigra, vel pituita, vel ſeroſis humoribus refertum corpus iam fuerit, eum habitum Cacochymiam nominamus. Secundò errorem hunc idcircò primam coctionem maximè vitiare, quoniam ſi quid aliud ventriculo maximè officit tùm quia à valdè frigefacientibus, valdè ille patitur, ita vt in aliquibus aliquando hac de cauſa vſque adeo læſus fuerit, vt ad pulſus interceptionem peruenerint; Tum quia, & iſte grauiter agit occurrens illi nullatenus refracta vi ſua frigefaciente, vti alibi dictum eſt. Quo fit vt in ſui primario munere omninò errare cogatur, & grauiter: Et cum primum in ventriculo aberratur, quacunquè ratione, ita vt in ipſo cibaria malè conficiantur, Non in eodem modo, & circa inteſtina, quinimmò & in vniuerſo corpore, vitioſorum ſuccorum copiam congeri neceſſe eſt, Ex regula à Galeno tradita dùm inquit veluti fieri nequit, vt malè preparata id eſt non exactè elixata aſſataue cibaria venter benè concoquat, ita & quæ in ventre malè ſunt confecta, nec in venis ab eo, nec in carnibus ab illis excipientibus, vt benè conficiantur fieri poteſt, ita vt hac de cauſſa excrementi copiam in corpore prouenire neceſſe ſit; A Cacochymia verò quot ac quales affectus præter naturam

In lib. de differ. morbor. cap. 7

Tum in 3. lib. de ſan. tuẽda cap. 9. tum in 4. methodi cap. 4.

In 13. methodi cap. 6.

In 4. lib. de tuenda valetudi. cap. vlti.

In dies ſingulos pullulent, velle nunc explicare Medicis, potiſsimum, eſſet ac Noctuas Athenas ferre. ILLVD minus notum obſtructionem, quam ſecundam radicem eſſe diximus, ab ipſa emanare nec vno modo immò duobus, veluti Galenus edocet dicens aliam ex abundantia ſuccorum, aliam ex eorum qualitate oriri, quotieſcunque ſcilicet aut craſsi, aut lenti illi ſunt. Ab hac verò particulari de qua nunc loquimur Cacochymia, quam nonniſi pituitoſam valdequè eſſe, & rei natura indicat, & ex Hippocrate elicitur, aquas valdè frigidas pituitoſiſsimas vnaquè & raucoſiſsimas hac præcipuè de cauſa appellante, vtramquè, & obſtructionem fieri tanquam à radice conſtat, ita vt reſpectu illius obſtructio ſit morbus, dicente Galeno ipſam ægritudinem eſſe, lentos verò humores ægritudinis cauſam. Adde potum hunc ea qua frigefacit ratione, conniuentiam inferre, quam ſi quis immaterialem obſtructionem appellauerit non fortè errabit, Eam poſtquam à præfrigerantibus cauſis progigni aſſuetam eſſe ipſemet ſcriptum reliquit. In ſe autem conſiderata obſtructio quorum effectuum pernitioſorum etiam non poteſt eſſe radix? Putrefactio in primis eam ſequitur Galeno Authore, igitur & morbi omnes qui ex putredine fiunt, quales putridę febres, Inimò & Diarias obſtructione concitatas quotieſcunquè à propria natura illis præfinitum tempus conſuetum exceſſerint, in putridas tranſire affirmat Galenus. Et quemadmodum obſtructio patrati huiuſce erroris occaſione, non niſi impedita digeſtione producitur, ita & ipſam adhuc coctionem, producta prohibet, & ſtrenuè teſte & ipſo Galeno, Quò fit vt ex non ceſſante mutua productione tractu temporis corporibus in quibus ea fit lætales morbi ſuperueniant. Priuata autem alicuius partis capitis obſtructio, in ipſo dolorem facit, iuxtà Galeni ſententiam. NEC non & viſcerum cum fortis fuerit. IN Hepate reſidens dolorem illius, & morbum regium; Ileum quandoquè, Aliquando & late-

In 10. lib. methodi. cap. 2.

In lib. de aere, aquis & locis cap. 3.

In lib. de diff. morb. cap. 7. & in lib. de diff. ſymp. cap. 5.

In 3. lib. de ſympt. cauſis cap. 2.

In 8. lib. de cõp. med. ſecundum locos cap. 6. & 7.

9. methodi. cap. 5.

In lib. de diff. morb. cap. 7.

In 4. Aph. com. 70.

Ibidem com. 66.

rum

Ibidem. com. 62. In 7. Aph. com. 53. In 6. Aph. com. 40. In 9. de ſa cult. ſimp. medicam. In p. ad Glauconē cap. 14. In lib. de cauſis morborũ. c. 3.

rum dolores. Et cum precipuam partem ipſæ occupant defectus animi: Quid plura, & ipſam aliquando mortem: Quam quidem mortem, & longè pluribus adhuc modis, & frequenter magis ſolus hominibus afferre aptus eſt error iſte, quàm quotquot errorres fortè vnà ab ipſis omnibus in victu committi poſſunt, Aduerſus quos ſuam vſquè adeo ſæuitiam exercet, vt eorum nonnullos dum actu ſcilicet æſtuant (vti oſtenſum eſt) repente occidat, Quamplurimos in miſerabiles morbos præcipitando cruciet miſerrimè primò, & tandem valdè ac valdè intempeſtiue enecet: Tamquè truculenter ſe gerit, vt nihil non faciat, quod contra ortos illo vtentes non modò fit, verùm & contrà ex illis naſcituros, vel enim vt longè minus perfecti in lucem prodeant efficit, Quandoquè vt non vitales exoriantur, Perſæpè vt nè concipiantur prohibet.

VSVM DICTI PRAEGELIDI POTVS VARIOS PRAETER NATVRAM AFFECTVS INFERIORI VENTRI AFFERRE; ET QVI QVALESQVE SINT OSTENDITVR.

CAP. III.

PROPOSITA autem omnia facile comprobare poſſumus, & eò facilius quò magis diſtinctè procedemus; Supponentes igitur humanum corpus in tres ventres diuiſum eſſe, in ſuperiorem videlicet qui eſt caput, in quo Animalia membra continentur, in medium Pectus vocatum, in quo membra vitalia inſunt, In inferiorem, qui naturalia membra capit: Nec obſtat Hippocratem vocaſſe Thoracem ventrem ſuperiorem quia tunc infimo ventri comparabat abſquè dubio; Videndum

In 7. lib. aphor. 38. & in p. lib. de morbis. pag. 6.

dum

dum eſt, quos ac quanti ponderis affectus ſingulis eorum afferat, Ab inferiori exordientes, & quoniam oſtenſum eſt peccatum hoc, obſtructiones parere, In primis expendendum videtur, vtrum aluum adſtrictam, vel potius mollem nimis reddat, Vt enim ipſa eo perſeuerante in bona diſpoſitione conſiſtat fieri haud poteſt: Et quamuis valdè frigefacientia, vim efficiendi duras aluos habere, Hippocratem affirmaſſe viſum fuerit, dum diſpoſitiones enumerans, quæ in Aquilonia tempeſtate fiunt ait Tuſſes, Fauces, Alui duræ, Difficultates vrinæ,& reliqua: Galenus tamen ſuper verbis ab Hippocrate conſcriptis. Quinto in ſextum de morbis vulgaribus commento vigeſimoſeptimo, quæ talia ſunt, REFRIGERATIO, QVAE IN VENTRE SVNT, DVRAT. aſſerit Hippocratis dictum verificari, de refrigeratione exteriorum partium, minimè verò de illa, quæ interioribus occurrit, quippe quæ humectando potius, cæliacos vocatos affectus ideſt ventris profluuia interdum concitet, Quo tempore ipſa quidem interiorum membrorum corpora duriora fieri contingit, liquida autem cibis neque rectè concoctis neque diſtributis deijci: Fæces enim cum exſiccantur, vel à ſiccitate, vel à frigiditate; Non poſſunt à frigiditate intrinſecus operante, quia corpus durante vita non poteſt adeò refrigerari, vt fæces ſiccentur, Partes ſiquidem ventris adeò rigere nequeunt, vt cibi potuſquè congelati obdurentur, ſicuti alia multa extra corpus noſtrum hyeme frigore concreta dureſcunt: Prius enim quàm ita frigeret, homo interiret: Quod autem id ab externo frigore præſtari poſſit, probat Galenus, quia calor à frigore ipſo obſeſſus in penetralia corporis refugit iuxtà Hippocratis ſententiam, Tum quia ab eodem conſtricto ano, & partibus inferioribus, fæces conſtringuntur, & aſcendunt: Attamen Galeni dictum ſi (vti tenemur) perpendere volumus, videtur reſpicere nudam frigiditatem materiæ intrinſecus aſſumptæ, cui frigiditati veluti materiæ met aliqua Alia qualitas

In 3. lib. Aphoriſm. Aphor. 5.

In p. lib. Aphoriſm. Aphor. 15

tas quandoquè poteſt aſſociari, aluum ipſam mollem reddere potens, vt dulcedo in vino quod prefrigeratur: Ita ſi ex aduerſo in materia potulenta frigida nimis ſit qualitas aluum ſtipticam reddere potens, ſicuti auſteritas in vino, quo teste ipſo Galeno in aluimet fluxionibus vtimur. Cui vino ſi aqua adhuc aluum ſiſtere potens permiſceatur, ſicuti ex grandine glacieuè, aut niue reſoluta (nix enim & quædam ſpecies congelationis eſt) Tantum abeſt vt huiuſmodi Crama aluum molliat, vt potius vehementer ſiſtat; Vnà & cooperante ipſius frigiditate; Quòd verò dictis aquis ſiſtendi inſit facultas, & ex allatis iam ſupra conſtat, & Auerroes patefacit, inquiens duo requiri ad hoc vt res aquoſæ à frigido congelentur: Primò ſcilicet, vt eorum calor per frigiditatem ſeparetur; ſecundò, vt pars illarum terrea non pauca admodum ſit: Ergo in his cum præter priuationem caloris proprij, remaneat craſsities ſubſtantiæ, ob partem tenuem, & leuem, quam neceſſariò reſolutam fuiſſe perſpicuo exemplo nos docet Hippocrates, & pars terrea, Nam & lutulentæ aquæ celerius concreſcunt in glaciem, ſequitur neceſſariò, vt tales Aquæ ſiſtant aluum: At eſto, diceret aliquis, quòd Auſteritas, & craſsities crematis id præſtent, non video quomodo frigiditas ad talem effectum producendum concurrat: Dicimus duo illa ſiue iunctim, ſiue ſeparatim cramati inexiſtant primario operari, Frigiditatem ſecundario: Duo enim illa cum in aluo materiam ipſam potulentam diutius retineant, frigiditas, & ipſa fauet retentioni fæcum & ſtrenuè, & duplici via, Primò quia inteſtinis torporem inducit, ita vt non expellant, ſecundò obſtruendo meatum felleum, vel prohibet quinminus ad expellendum excitentur, intercepto bilis fluxu, tendit ſiquidem illa promptè magis ad ſuperiora quàm ad inferiora ob propenſionem prędominantis in ea elementi, Vel ſi aliqua in parte fluat (liberè enim fluere nequit) gelu quaſi concreta inteſtina ipſa non ſat pungere poteſt. Adde ſi res aliqua ob ſui frigiditatem

In lib. de Succorum bonitat. & vitio. c. 11.

4. lib. metheorologicorũ cõ. magno.

In lib. de aere, aquis & locis. cap. 4.

rem deberet habere vim proritandi aluum aquæ id ineſſe deberet: Oppoſitum tamen concorditer Hippocrates, & Galenus aſſerunt ipſam videlicet nullo pacto aluum ſubducere, nam quantumcunque optima ſit multum in ventriculo manet: Et cum ex potu illius nonnulli profluuium alui incurrunt, non ideo ſanè accidit quia ipſa ſuaptè natura aperiat, & fęces ad exitum prouocet, quinimmò potius quoniam ventriculum vſqueadeò hebetat, vt nihil amplius concoquere poſsit: Ita vt pateat eam ſiſtere per ſe, quamquam lubricet per accidens, eo modo quo & ſal de quo loquens Dioſcorides, Primo facit ipſum ſtypticum poſtea ſolutiuum: Illud enim & vna cum eo res ſalſæ omnes, ſimpliciter exſiccantes, & ſtypticæ ſunt, per accidens verò educunt, nam ſua ſalſedine vias per quas tranſeunt proritant, & vim expultricem exſuſcitant, vt ea quæ in inteſtinis ſunt expellant: Quod & Hippocrates affirmauit vbi de ſalitis carnibus & piſcibus agit. Igitur cum in moderata diſpoſitione aluum conſeruare nequeat, ſaltem ab vſu illius certo temporis præterfluxo interuallo, iuxta diuerſitatem materiæ potulentæ, quoad gradum iſtius vel illius iam explicitæ facultatis, necnon & diſpoſitiones ventriculi aſſumentis, vel immodicè vt emolliat neceſſe eſt, vel vt ſiſtat, & quia eorum vtrumque præter naturam, & valdè eſt: ICCIRCO dum præter modum emollit Lienteriam affert, vel Cœliacam vocatam affectionem: Quæ dum prorogatur, ab Atrophia neceſſario conſequitur ex Galeni ſententia in libro de differentijs ſymptomatum: Et de prima ſermonem habens Hippocrates in calce libri de coacis prænotionibus dixit, ſi ſpirandi difficultas & lateris punctura aſſocietur in tabem deſinunt: Et Auicenna Lienteria quæ fit propter intemperiem frigidam & humidam, veluti in preſenti caſu, eſt ducens inquit, ſi diuturna fuerit, ad hydropem, & cum confirmatur eſt difficilis curationis in ſummo. DVM VERO ſiſtit, ita vt fæces retineantur, producit affectum, qui ſibi-

[Marginal notes: in 3. lib. de rône vict. in morbis acutis textu, & com. 40. — In 5. lib. cap. 84. — In 2. lib. de Dietæ. — In 16. 3. tract. 5. cap. de cauſis fluxus.]

c

ſibimet in primis nocet, & alios gignit: Nam fæces, quò diutius retinentur, magis ſiccantur, & quanto ſicciores redditæ ſunt, difficilius poſtmodum exeunt: Et dum plus iuſtò exitum prorogant, COLI dolorem, & ILEVM inducere poſſunt, vſqueadeò enim quandoquè inferiorem viam intercludunt, vt excrementorum nullum inferius excernatur: Horum affectuum primus dum præſidijs non cedens cum vomitu, ſingultu frequenti, frigidoquè ſudore perſeuerat, lætalis eſt, Et à flatu excitatus ſi prorogetur, in Tympanitem migrare ſolet ita affirmante Hippocrate: Secundò oppreſsi non raro pereunt, morteque miſerabili, ad finem vitæ ſtercus per os reddentes: Qui quidem flatuoſus ſpiritus exitum non habens, dum in inteſtinorum inuolucris intercipitur, non dicta modò facit, verùm & ſua ſpicula in ſtomachum ſine cuius peccato non fuit productus conuertens, SVBVERSIONES infert, ſiue per ſubuerſiones appetitus perditionem, ſiue nauſeoſas affectiones ab accepto cibo intelligere velimus, nihil refert, veluti enim horum ſymptomatum vtrumquè ſic poteſt, & meritò appellari iuxtà Galeni ſententiam, Aſclepiadis de ſtomachicis agentis dicta explanantis, ita & vtroquè in preſenti caſu verificari, nec non, & à vitiata nutritione concomitari planè perſpicuum ſit: Facit & alui adſtrictio perſeuerans VRIGINEM vrinæ, quoniam bilis, quæ deberet expurgari per aluum, cum per ipſam non expurgatur, traducta ad vias renum Vriginem generat, Quæ perſeuerans, VLCERA IN VESICA vel eius collo excitare ſolet, quæ vt plurimum non ſananrur, tùm quia neruoſa eſt veſica, tùm quia lotium nunquam mordacitatis expers prorſus, aſsiduè ipſa contangendo non permittit glutinari, & vbi inueterata fuerint hominem ad Cachexiam deducunr, & quandoquè ad hydropem: Eadem cauſa humor crudus, & craſſus, Primo iam dicto ſibi intercepto tranſitu, traductuſquè ad vias renum, Si ab eis ob quamuis cauſam non poſsit excerni, ibi cogitur, & CAL-

In 4. lib. aphoriſm. Aph. 11.

in 8. lib. de compoſit. medic. ſecundũ loc. cap. 3.

CVLOS generat, Vel a quibus ſi ad veſicam tranſmittatur, & ab ea prę imbecillitate non poſsit excerni VRINAM perſæpe ſupprimit, tùm quia materia obſtruens non poteſt eſſe pauca, ob vitiatas neceſſario coctiones, tùm quia Veſica ipſa à gelido potu, atquè à reliquis immodicè frigefacere potentibus, facilius longè quàm alię corporis partes lædi iccircò poteſt, quoniam & noſtri corporis exanguis valdè pars eſt, paucíſsimas enim, & tenuiſsimas venas habet, quorum omnium Galenus locupletiſsimus teſtis eſt: Et cum non ſupprimit in inferioribus veſicæ partibus retenta, plus quàm opus ſit, cogitur, & lapidem generat: Hinc qui lubricam habent aluum, quoniam in talibus pauca excrementa ad renes perueniunt raro calculis laborant: Quo fit vt τραυλοί à græcis dicti, à nobis Balbi ſeu Blæſi vocati, quos ab alui profluuio maximè capi ſcriptum reliquit Hippocrates; Nephritico morbo minus omnium capiuntur: At qui in veſica lapidem habent, & præcipuè magnum ac durum, cum virtute non forti, nequè per pharmaca nequè per Chirurgiam, quia curationem ſuſtinere nequeunt, ideo vexati, & vigiles breui vt moriantur neceſſe eſt: Alvi igitur adſtrictio, à ſtatuto gelido potu producta horum morborum Mater meritò nuncupari poteſt: Immò & aliorum; Iecvr namquè cauſſa illius alimentum trahit prauum, ita vt ad quod excernendum à propria natura impellitur cum prauum ſit, exſugere cogitur, atquè ideo obſtructiones, corruptiones, & erroſiones ſequi ſolent. Et quia error iſte ſi quis alter multiplicat Pituitam, vti oſtenſum eſt, pariter, & atram bilem, vti paulò infrà oſtendemus; Ideo & Scirrhi in Iecore generationi maximè fauet, ſcirrhoſi enim tumores omnino aut atrabilaris ſubſtantiæ ſunt aut pituitoſæ ſuperexſiccatę, vt ait Galenus, aut ex vtraq; mixti, & eo facilius quoniã cum hepatis ſubſtãtia in quocunq; homine ſcirrhis opportuna ſit, Vt quę naturaliter lutoſũ quippiã continet Galeno teſte, in hiſce ob intemperantiam maximè apta eſt:

In 3. lib. Aphoriſm. com. 5.

In 6. lib. Aphoriſm. Aph. 32.

In 5. lib. de fac. ſimpl. med. c. 9.

In 13. lib. meth. c. 16.

In 5. lib. de locis affec. cap. 7. Quem quidem Scirrhum non ilico ſolum, verùm & neceſſario Aquam inter cutem ſequi aſſerit Galenus; Tantam ſiquidem huiuſce viſceris affectus iſte, cum hydrope habet affinitatem, vt non niſi ex illo eam gigni poſſe Eraſiſtratum exiſtimaſſe ſcribat Galenus: Ad quam minus frequenter homo deueniret, ſi ille perpetuò poſſet ſanari, At vbi ad plures dies extenſus eſt, Galenus ſe nec ſanaſſe, neque aliquem vidiſſe, qui ſanauerit aperte fatetur, Minus frequenter inquam, quoniam ab errore hoc vitio Lieni impartito, cui ſi quid aliud maximè aduerſatur, vel ieiuno aut tenui inteſtino, aut Meſenterio, vel Pulmoni, aut Renibus, aut vtero menſes retinendo (nam & id maximè præſtare valet) Per omnes ſiquidem huiuſcemodi affectus aqua inter cutem hominem deprehendi contingit, vel nullo exiſtente in hepate præter naturam tumore Galenus iuxtà proprium Placitum loquens aſſerit: Quod verò nulla alia affectione precedente, ſed ex ſola immodica refrigeratione, Iecore in principio affecto, ob gelidum potum præcipuè ipſius aquæ, & tunc maximè cum cibi potuſquè viæ, quacunquè cauſa ita recluſę ſint, vt Aqua ipſa bibita repente ſuo cum frigore à ventriculo ad Iecur tranſiens „ innatum illius calorem mortificet, Et Auicenna nobis „ aperuit, & Galenus ante ipſum hiſce verbis, ſunt qui Aqua „ frigida vitioſa affatim & intempeſtiuè epota, mox aqua „ inter cutem corripiuntur quippe noxam infert internis „ partibus aqua ſic ingeſta, alias alijs, ſed præcipuè, & in „ primis ei, quæ forte fortuna eo tempore reliquis fuerit „ imbecillior: Quod & prius explicuerat ſic inquiens, „ Id verò præcipuè intelligitur ab ijs qui didicerunt, quo„ modo ex intempeſtiua aquæ frigidæ potatione Iecur af„ fatim refrigeratum, ſtatim aquam inter cutem inducit an„ tequam in durum tumorem attollatur: Affectus autem iſte ſiuè mediatè, ſiuè immediatè, ab hoc errore productus fuerit parum refert, ſat eſt ab eo vtraquè via produci nec raro: Id ſanè multum refert, à quacunque cauſſa

[Margin notes: in 2. lib. de fac. natur. cap. 5. — In 4. de preſagitio ne ex pulſibus cap. 9. & in 2. lib. ad Glauconem cap. 5. — in 5. lib. de locis affec. cap. 6. — in 14. 3. tract. 4. cap. 4. — In 6. de locis affec. cap. 7. — In 5. e-iudem cap. 6.]

ille

ille concitatus fuerit, & in quocunquè ſubiecto reſidebit, paruo negocio nunquam poſſe depelli: Ita vt qui à corpore cuiuis intemperantiæ generi dedito depellere tentant, inanem laborem ſuſcipiunt: Quorum neminem curandum eſſe ſuadet Galenus: Qui autem hydropicis potui cuicunquè, ſed huic maximè deditis manum admouere tentant, arenę (vt aiunt) ſemina committunt: Tum quia in oppoſito è diametro ſita eſt illorum curatio, iuxtà communem omnium ſententiam: Narrat enim Antonius Beniuenius, Ruſticum per annum nihil bibentem, ab inueterata inter cutem aqua liberatum fuiſſe, nullo alio admoto immò nec inſtituto præſidio. Tum quia Nobiles, & diuites vtpotè qui errore hoc longè frequentius in morbum hunc incurrunt quàm pauperes, abſtinere nolunt; Quo fit vt de hoc ſermonem habens Celſus meritò dixerit, „ Facilius in „ Seruis quàm in Liberis tollitur, quia cum deſideret fa„ mem, ſitim, mille alia tedia longamquè Patientiam: „ Promptius his ſuccurritur, qui facile coguntur: quam „ quibus inutilis libertas eſt.

In lib. de curandi ratione per ſanguinis miſsionem cap. 7.

In lib. de abditis ac mirandis morbor. ac ſanationũ cauſis cap. 13.

In 3. lib. cap. 21.

VNDE SIT QVOD TOT IN LATITVDINE HOMINVM MAGNI, QVI IN RELIQVIS VITAM TANTI FACIVNT HOC VNO ERRORE FASCINATI ILLAM IN POSTREMIS HABERE VIDEANTVR. CAP. IIII.

ILLVD ſanè diſquiſitione dignum eſt, Cur tot Principes, ac magni Viri, huiuſce erroris vi ita quaſi inſaniant, vt cum non niſi cauſa illius ſe ab eximia corporis tùm pulchritudine, tùm fortitudine, in ſummam de-

deformitatem imbecillitatemquè ſenſim ita incedere depræhendant, vt nunquam amplius conualere ipſis liceat, immò & in Necem ipſam, Non tamen reſipiſcant, & ab eo ſeſe abſtineant? An fortè quoniam non diſsimile quoddam illis accidit, quod & à rabidis Canibus morſis, qui nihil abhorrent magis quàm aquam à qua poſſunt ſanari, Eo quoniàm in Rabie tanta fit exſiccatio veluti etiàm

in 2. lib. de morb. contagioſis. cap. 10. inquit doctiſsimus Fracaſtorius, vt iam eorum Natura propria collapſa ſit, & quæ prius vti conuenientia, & bona recipiebant, tunc vti contraria atquè horribilia recipit.

in 2. lib. de têperam. cap. p. Temperatiſsimus enim cum omnium corporum ſit homo teſte Galeno, facillimè ob repetitum tanti erroris vſum, in perſimilem illi intemperiem prolabitur (in medio enim conſtitutus cum ſit, eo non admodum diſtat ab extremo) qua ſimilia illi appetit, oppoſita abhorret: Quod ita eſſe inde patefit, quoniam tunc homo ipſe propriam apertè obumbrat dignitatem, omnium enim animalium

in 1. lib. de partib. animalium. cap. 10. Prudentiſsimus cum ſit, vti Phyloſophus inquit, cuius natura non viuendi modò: ſed etiam benè viuendi rationem obtinuit: Quippe qui ex animalibus nobis cognitis, aut vnum diuinitatis eſt particeps, aut omnium maximè eo-

in 2. lib. de part. anim. cap. 10. dem authore, dum magnus temperamenti illius motus non eſt factus, ſat cognoſcit, proficuam ſicuti in omni actione electionem, ſapientiæ opinionem parere, qua ſola à Brutis quæ ſolo feruntur impetu, ipſe differre videtur, ita & oppoſitum deſipientiæ: Adde & eum tunc minimè latere, ſanitatis cuſtodiam totis viribus procurandam: Quam Sanitatem nemo hominum vnquam amitteret ſi

In lib. de ſuccorum bonit. & vitio. c. 3. Galeno fides adhibenda eſt, cruditates ſi caueret (quas ab hoc vno errore longè magis, quàm ab alijs pluribus iûctim gigni oſtenſum eſt) nec commotionem à cibo vehementiorem aliquam aggrederetur, VEL POTIVS dicendum eſt, ex quo homo ſolus, vt ait Themiſtius, ex anima-

In 3. lib. de anima. cap. 38. libus metuere, confidere, atquè ſperare poteſt: Nam Audacia, Metus, & Spes, ſtatim oſtendunt ſe rationalis ani-

animæ ditioni ſubeſſe, quia futurum, & conſequens tempus videntur reſpicere, quod Bruta non poſſunt: Quo fit vt illius ſolius animalium Cor iccircò palpitare dixerit Phyloſophus, quia ſolus homo expectatione aut ſpe rei futuræ mouetur: Sed quamuis in latitudine omnium animalium temperatus ſit, quoniam tamen temperatura illius calida eſt atquè humida, ſimilem ſiquidem eſſe domeſticorum Porcorum temperiei quibus teſtes execti ſunt Galenus aſſerit, in decimo libro de facultatibus ſimplicium medicamentorum vbi de humana vrina agit, immò & Hippocrate & Galeno affirmantibus ipſum in prima ætate calidiſsimum, & in extrema frigidiſsimum (Ad quam qui pręfrigeratum immodicè Potum quauis inductione ſequuntur, peruenire haud poſſe clarè liquet) mediam tàm calidam eſſe, immò & medię proximam, ad extremam tamen tendentem elicitur, vt enarratis iam paſsionibus, non æqualiter obnoxium hominem eſſe ſtatuendum ſit, longè enim magis confidit, & ſperat, quàm timeat, cum confidentia, & ſpes calidiores temperiei gradus inſequantur, Timiditas frigidiores; Veluti in latitudine particularium hominum conſtat, inter quos frigidiores magis, & timidi ſunt, veluti Mulieres, Eunuchi, ſenes, & melancholicorum genus, Contra verò audentes magis qui natura ſunt calidi, & multi ſanguinis, & ſpirituum, Qua ratione delinquens confidit ſe læſionem non eſſe percepturum, & interim ad propriam perniciem machinatur: Ita vt ſolus cum ratione ſit, præditus præter rationem, & ex appetitu viuat: Alia Animalia quia non libera cum ratione careant, ratione quadam viuere videntur; Ideo quantum vnumquodquè eorum naturaliter viuat notum eſt: Solius hominis vita quanta ad vnguem ſit, nullis indagationibus ab humano ingenio hucuſquè erui potuit; Quoniam ab omnibus cauſsis quæ ſunt præter naturam homine non niſi illis valde raro obuiam eunte breuior redditur. VEL potius tota in prauam conſuetudinem cauſſa conferenda

in 3. lib. de partibus animalium cap. 3.

In pr. Aphoriſm. Aphoriſm. 14. tum In lib. de Natura humana textu 12. 13. 14. & 15. In 8. de dec. Hipp. & Platonis cap. 7.

In 2. lib. Methaph. tex. 14.

eſt, quam tanti fecis Philoſophus, vt dixerit ob ipſam dum radicata eſt, multos non poſſe recipere veritatem: Quæ quidem conſuetudines, in Principibus errori quē nunc deteſtamur omnium maximè deditis, eò magis radicantur, quò pauciores ſunt, qui illos monere audeant, Paucißimos nimirum eſſe latet neminem: At homo, eodem teſte, circa ea, quæ ignorat, non poteſt non decipi, tùm quia cum in omnibus imperare ipſi aſſueuerint, obtemperare nec ſciunt, nec volunt, in ijs etiam, quæ ad eorum incolumitatem pertinent: Hinc mirum non eſt, ſi Pauperes vtpotè, qui perpetuò obtemperare aſſueti ſunt, & imperare nunquam, pauciores vt inquit Hippocrates morbos incurrant quàm Diuites: De quorum inobedientia magis, & meritò conqueri poſſemus, Medici (ſua vti intererat) ab hoc magis abduxiſſent, immò currentes illos, quidam eorum non incitaſſent, ſed vtinam profuiſſet: Noſtræquè vtinam voluntati ac ſpei exitus aliqua in parte reſpondeat, qui tantam rem, emolumentum pro viribus afferendi gratia, inire non recuſauimus. Nam & de illis generatim ſua tempeſtate Galenus hiſce verbis conquerebatur:

In 4. lib. Methaph. textu 8.

In lib. de aere, aquis & locis. cap. 11.

In 3. lib. de comp. medic. per genera. cap. 8.

„ Equidem qui non adeo delitijs affluunt (ſunt hi maximè Pauperes) vt plurimum obtemperantes nobis habemus: Diuites verò, & præſertim Potentes, admodum illos vel ægrè obtemperantes, vel prorſus immorigeros experimur. Optimum igitur fuerit nec ipſis mederi.

Q V I

QVI AC QVANTI PONDERIS SINT AFFECTVS PRAETER NATVRAM, OB VSVM PRAEGELIDI POTVS THORACI SVPERVENIENTES DETEGITVR. CAP. V.

SED iam medij ventris læſiones aggredi tempeſtiuum eſt. Cui & Potus iſte quàm poteſt acerrimè & grauiſsimè aduerſatur; Obſtruit ſiquidem meatus omnes, & eò facilius quò arctiores natura ſunt: Anguſtus autem & valde eſt ille meatus, veſiculæ bilis, qui ad eam Iecoris partem protenditur, vndè vena portæ eggreditur: Quò anguſtiores & ſunt duo proceſſus, in quos ille diducitur, is videlicet qui deorſum properat, ac depulſam ex veſicula ipſa bilem, in duodenum inteſtinum non procul à Ieiuni principio defert, Cuius ęqualē aſſequitur anguſtiā proceſſus alter excipiendę bili paratus, veluti ex Veſalio elicitur, qui ſurſum fertur, anterioriq; venę portę ſedi innitens in Iecur conſcendit: Hic in duas primum diſsectus propagines, vnam dextrorſum alteram ſiniſtrorſum in Iecur porrigit, quæ proceſſu ipſo in exactè ſub dupla proportione arctiores ſunt, Quarumquè ſingulæ in ipſo Iecore rurſus in alios ſurculos, & hi in alios rurſus tantiſper digeruntur, donec innumeram ramorum conſtituant ſeriem per Iecoris corpus, inter Portæ venæ ramos, & cauæ propagines diffuſam. Atquè hi ſurculi ij ſunt, quorum ope bilis in veſiculam defertur: Inter quos ſurculos & dictum iam proceſſum, à quo primarium ſuum ortum ducere diximus, cum ea circumferentiæ proportio ſit, quæ & inter cuiuslibet arboris truncum, & ſublimiores illius ſummitates extat, veluti vnicuiquè compertum eſt; Illorum anguſtiam ſummam eſſe, ita & minime dubitare debet, ora illorum facillimè & promptiſ-

in 5. lib. de fabr. corp. humani cap. 5. & in 13. eiuſdem libri figura.

ſimè, ab hoc errore obſtrui, & eo facilius quoniam Iecur ipſum lutoſum quippiam naturaliter continere aſſerit Galenus. Quibus obſtructis & bile neceſſario retenta, Morbi omnium generum, qui ex illius retentione generari conſueuerunt, gigni poſſunt. Et præterquam quòd ea in hepate retenta corrumpit illius temperaturam, atquè inde per venas diffuſa, generabit morbum illum regium, cuius citrina cutis infectio vſquè adeo attollitur, vt ſuturæ coronalis excedat terminum, quam nonnulli iccirco lætalem eſſe & meritò ſtatuunt, vehementiſsimam quoniam circa ipſum Iecur incenſionem portendat. Quà bilis tanta ac talis multiplicatur, vt non rarioris tantum cutis partes ſuo colore inficiat, verum & caluariam tegentes, quæ omnium denſiſsimæ ſunt. Sed hæc obiter quoniam ad infimum ventrem ſpectant: IPSA dum ad intra vaſa putreſcit. ACVTAS FEBRES generat; qua via Cordi officit & vehementiſsimè, fieri enim non poteſt, quin Cor ipſum afficiatur in quovis febrium genere. Quoniam citra eius affectionem, nec hectica, nec reliquarum vlla febrium conſiſtere poteſt Galeno teſte: In hac autem vehementiſsimè afficitur, quia & morbus eſt vehementiſsimus. Nam per febrem acutam vehementiſsimam Hippocratem intelligere ex trigeſimoſeptimo quarti libri Aphoriſmo elicitur, vbi ipſe mitem contra acutam diſtinguit: Et non vehementiſsima ſolummodo eſt, verùm & lętalis, ſi hæc enim illa febris eſt de genere acutarum cui frigidi ſudores ſolent aſſociari, & in eadem die in qua incipiunt, non raro ægrotantes moriuntur, quam Hippocrates hiſce verbis pinxit, » Sudores frigidi cum acuta quidem » febre mortem cum mitiori autem morbi longitudinem ſignificant. Ad hoc autem vt duo hæc complicentur, quæ etiam Galeno ipſo plurimam dubitationem habere videntur, frigidus videlicet ſudor & febris vehementiſsima, quæ non niſi à bile omnium humorum calidiſsimo concitari poteſt, Illius enim proprium eſt acutas febres accen-

In 13. lib. methodi cap. 16.

lib. 10. methodi cap. 10.

Vbi ſup. & in lib. de iudicationibus pag. 3.

accendere Galeno Authore, (quam hac de cauſa & ignem appellare Hippocrati placuit) & ad intra venas putrefacto, Nam his quæ ab alio humore humoribuſuè fiunt, etſi frigidi ſudores coniungantur, neceſſario tamen lætales non ſunt. Duo quoniam & requiruntur, Primò ſcilicet vt virium adſit imbecillitas ita aſſerente Galeno in commento, Quia calor naturalis deficit, & corpus relaxatur, Propterea ſudor exit, & inordinatè & frigidus, ita vt qui ſudant, frigidus nec nè ille ſit, non perſentiant: Secundò extra venas eſſe humorem frigidum, qui ſudoris huiuſce materialis cauſa eſt, Aperuit Galenus in commento, dum manifeſtare volens, quomodo talis febris, non cauſa tantum ſit quoniam prompta diſſoluere corpora, Sed & vnà perniciosiſsimum ſignum, ait atquè ideo ſignum exitiale oſtendens, in animalis corpore humorum frigidorum multitudinem ſuperabundare (ſuple tu extra venas, nam ſi in venis abundarent febres de genere acutorum eſſe non poſſet) tantam habentium frigiditatem, vt nequè à calore natiuo nequè à febrili calefiant. Ab ambobus tamen tenuior illius pars diſſolui poteſt, veruntamen non poteſt calefieri, Quod perſpicuo exemplo probauit Philoteus inquiens, Quòd nix, & glacies quamuis verno tempore à ſole diſſoluantur: Aqua tamē ex vtraquè liquefacta vehementer frigida eſt: Error autem iſte tam efficax eſt ad eam progignendā, vt nullus ſit efficatior, Nihil quoniam non facit, quod ad illius generationem requiratur: ſunt verò illa potiſsimū quatuor, quorū primū eſt prohibere naturalē bilis expurgationē, Secundum calorem innatum mortificando vires omnes eneruare, Tertium eſt crudos humores multiplicare, Poſtremum conſuetam intentamquè à Natura illorum euacuationem impedire prorſus: Quorum tria ita à nobis iam patefacta ſunt, vt velle iterum aliquid ad ea comprobanda in medium adducere, nil aliud eſſet

quàm

In 2. lib. prognoſticorū cōmēto 46.

In p. lib. de morbis vulgarib. textu 19.

quam præter rem legentes taedio afficere. Poſtremum & omnibus illis perſpicuum erit, quos non pigebit ad memoriam reuocare, tum gelidum ipſum immodicè potum, tantum inteſtinis torporem inferre, vt ab excretione auocentur. Nec non & bilem ipſam, quotieſcunquè illi tranſitus ad dictum iam inteſtinorum ſpacium, ab aliqua præternaturali cauſa non intercipitur Pituitam, quæ in gracilibus ductibus, ex inteſtinorummet munere coaceruatur plurima, incidere, detergere atquè expurgare. SECVNDVS qui hoc errore ſecundomet vel medio ventri inpartitur affectus, in latitudine affectuum pernitiei limites excedens PHTHISIS eſt, quam inſanabi-
In 7. libro Aphor. cō mento 16. lia Pulmonis vlcera ſequi ſcriptum reliquit Galenus; Et quomodo talis eſſe non poteſt? ex quo omnes ab illo deprehenſos ad mortem ducit & neceſſariò. Tum ratione loci principaliter affecti nec non & præſidiorum quacunque facultate præditorum, Præterquamquòd Pulmo inter prima corporis membra poſt cor à Galeno vel ab Auctore libri de Anatomia viuorum numeratur: ipſius vlcera citra tuſsim repurgari non poſſunt; Tuſsientibus autem vlcus dirumpitur atquè malum quaſi quodam circuitu reuertitur. Pulmo etiam inter viſcera, propter reſpirationem in perpetuo eſt motu, & tuſsiendo quoque lancinatur. Vlcera autem quæ ſananda ſunt quietem
5. lib. methodi cap. 8. vtique requirunt Galeno Auctore. Nullumquè eſt medicamentum quod ſanare poſsit, præterquamquòd enim eorum nullius vires ad vlcus, priuſquam in ventriculo, &
In decima 3. tractatu 4. cap. 18. Iecore permutentur, peruenire poſſunt. Quæ ſeu frigida ſint, vti Auicenna inquit, non conducunt, quia penetrare non poſſunt, ſi calida febrem ab hoc morbo inſeparabilem adaugent, quę cum ſit tabifica, media ſcilicet & quaſi compoſita ex hectica & putrida. Exſiccantia & nocent ſaltem ratione hecticæ, Humectantia pariter, quia cum vlcera exſiccationem expoſcant illa conſolidationem prohibent. Pernitiei autem limites omnes excedere &

meritò

meritò diximus, quoniam non vnum tantumodò ab ipſa deprehenſum hominem enecat (quod in plerisquè pernitioſis morbis accidit) ſed cum de genere contagioſorum ſit, qui ea inficitur multos inficiendo, ad mortem deducere valet, & non ſolo contactu (quod mitioribus contagioſis morbis peculiare eſt) ſed & fomite: Non enim veſtes modò, quas phthiſici geſtauere, ſæpe viſæ ſunt poſt biennium, fruſtra illis quacunquè vel ſedula diuturnaquè expurgatione adhibita contagionem atuliſſe. Quinimmò talia etiam num, & Fulcra, & Tabulata: & cubicula facta fuiſſe, vbi phthiſici ipſi periere: Cumquè in omnem culpam prolabatur, non ſecus ac peſtilentes febres teſte FRACASTORIO, Ad diſtans etiam contagionem ipſam tranfert, ita vt non multifariam modò, ſed & in ſat breui temporis interuallo, vnicus homo tanta lue correptus multos perimere poſsit, & inter hos facilius qui ſibi arctiori coniunctione coniuncti ſunt. QVA autem via error iſte tantum Affectum pariat, aperit Hippocrates in Aphoriſmo iam ſupra adducto dum inquit: Frigida qualis Nix & Glacies, pectori inimica, tuſſes mouent & ſanguinem & Diſtillationes. Et clarius hiſce verbis, Frigidum valdè venas frangit & Tuſsim citat, vt Nix & Glacies, Apertè ſiquidem conſtat ipſum de quacunquè re inſigniter refrigerante intelligere, vti iam fuit oſtenſum: Frigidum enim ſecundum ipſius facultatem pectori inimicum eſt, illud quoniam ex oſsibus, chartilaginibus, neruis, & multis neruoſis partibus compoſitum eſt, quæ omnes frigidæ ſunt, & ideò maximè lædunt pectus, tum quia illud eſt aſſuetum calori, vti inquit Hippocrates in libro de humidorum vſu. Et Galenus frigus Thoraci & Pulmoni vſqueadeo aduerſari affirmat vt pleroſque vtroquè refrigerato obijſſe teſtetur; Frigida igitur quia valde aduerſantur tuſſes mouent, nec vno modo, nam

in p. lib. de Contagione cap. 2.

In 24. Scilicet 5. lib.

In 6. Epidem. com. 3. tex 14.

In 11. lib. de vſu partium cap. xj.

primò

primò ob puram qualitatem, non conſiderata materia, quia conſtipant, & pectus adeo perdureſcere faciunt, vt ſecundum eius naturam dilatari non poſsit, propterea tuſsis inducitur, ſecundò quia deſtillationes cum moueant vti Hippocrates hic ait, & plenè iam ad mentem Galeni demonſtrauimus, quotieſcunquè ad pectus deſcendunt illæ, deſcendunt autem facilimè & frequentiſsimè, tuſſes inferunt. Frigus autem non ſecundum ſui ipſius facultatem facit ſanguinis reiectationem, ſed vti rectiſsime affirmat Galenus vbi ſupra per interuentum aliorum, quoniam enim in ſe ipſa compinguntur, atquè coarctantur vaſculorum ſanguinem continentium corpora, propterea nonnunquam ipſorum tunicas frangi contingit, vt quod in multo contento in laxis receptaculis, id à non multo diſtentis eueniat: Adde quod propter frigus ſanguis incraſſatur, implet venas & conſtipat, ita vt illæ à motu tuſsis frangantur. Et præter quem quidem motum venarum tunicas frigiditate duras, & extenſioni contumaces redditas frangentem, Ab hoc errore alteram cauſſam ſtrenuè rumpere potentem produci ex ſuperius pluribus etiam in locis traditis ſat ſuperquè liquet, quam Galenus nobis manifeſtauit dicens, Ruptionis verò cauſa eſt aut vehemens motus, aut humorum abundantia qui vel per ſe vel vnà cum crudo & frigido, & flatuoſo ſpiritu venas extendunt: Et præterquam quod fractionem venarum Thoracis, ex Galeni decreto Phthiſis ſequi poteſt, quotieſcunquè ex illis ſanguis effuſus, in pulmone, & inter pectus & pulmonem collectus putruerit: ſed quia affectus hic inſanabilia Pulmonis vlcera ſequitur vti ex Galeno iam proditum eſt, Quæ quidem vlcera venarum illius ruptionem frequenter magis quàm aliam quamlibet ea concitare immediatè potentem cauſſam, Quarum Tunicæ etſi craſſę ſint, veluti & arteriarum tenues, cuius oppoſitum

in 4. lib. de locis affectis cap. 3.

in 3. lib. de decretis Hipp. & Platonis cap. 5.

poſitum

poſitum in omnibus alijs animalis partibus cernitur Galeno teſte, hac forte cauſſa longè facilius omnibus alijs quæ in Thorace ſunt franguntur, quia magis aliquatenus frangentibus ipſis reſiſtunt: Nam & eadem ratione oſſa, quæ validiora ſunt, ex lapſu caſuquè frangi, carnem verò quæ mollior mobiliorquè eſt, ictus iniuriam euadere iam ex Alexandri ſententia diximus: Hinc Citharœdis Tragœdisquè certantibus, aut acuta vehementiquè voce clamantibus, vaſa illius interdum dirumpi teſtatur Galenus, maximè vbi non præmiſſa pulmonis met per pręcedentes exclamationes lęnitione violenter clamare conantur: Vas autem in pulmone ruptum, læthale nocumentum eſſe non dixiſſe modò voluit Galenus, ſed & periculi propemodùm ineuitabilis rationem aſſignaſſe, dum ait, Niſi ſtatim à ruptura vaſis facta curatio aggrediatur, quo cruentum adhuc vulnus priuſquam phlegmonem excitet, glutinetur, Nam ſi ea ſemel inuaſerit, exigua ſpes eſt eius poſtea glutinandi: Vena enim ſi trium dierum naturalium ſpacio non glutinetur, Narcotica à celebrata Phlobothomia, bis etiam in die exhibendo (ſi virtus admittat) INTER QVAE primas fert Philonium perſicum aqua plantaginis portulacæuè diſſolutum, fruſtra poſtea omnia admouentur. Sed quoniam nec via hac Medicus ſemper voti ſui compos fit: Iccirco dicebat Hippocrates, A ſanguinis ſputo puris ſputum, A puris ſputo Phthiſis, & fluxus: cum vero ſputum retinetur, moriuntur. Liceat igitur nobis Hippocratis dicta, tanta in re congerere ac dicere:

in 6. lib. de vſu partiũ cap. 10.

In 2. lib. proble 24.

in 4. lib. de locis affectis cap. 8.

In lib. de venæ ſeccatione aduerſus Eraſiſtratũ cap. p.

In 3. lib. Aphor. cõmento 20.

In 5. methodi cap. 8.

In 7. libro Aphor. 15 & 16.

FRIGIDVM VALDE, QVALIS EST POTVS IMMODICE FRIGIDVS, QVIA THORACI INIMICVS, IDEO ILLIVS, ET PRAECIPVE PVLMONIS VENAS FRANGENDO SPVTVM SANGVINIS MOVET, A QVO PHTHISIS, ET A PHTHISI MORS.

PRAE-

PRAETERNATVRALIVM AFFECTVVM NVMERVS VNAQVE ET VIS PATEFIT, QVI A PRAEGELIDI POTVS ABVSV ANIMALIBVS MEMBRIS SVCCEDVNT. CAP. VI.

CVM membris autem Animalibus non minus crudeliter agit: Et vt à minus ſæuis læſionibus exordiamur, DENTES decutit, qui cum ad cibi ſciſsionem contritionemquè inſtituti ſint, nè ſub craſsiori quàm opus ſit forma ingeſti, vel non concoquerentur, vel non niſi aegrè; Ergo quibus hac occaſione cadunt, vt non breui pereant vix fieri poteſt: & quibus hebetantur multum de vita auffertur. Robuſti enim plurimum ad vitam ipſam producendam conducunt, & præcipuè mandibulares, Nam ex quo cibaria inſtrumentis artificialibus incidi poſſunt, Anteriores ad decorem & ſermonem magis facere videntur, Quibus & videntur digni vt Theſauris pręponantur, Magni autem nulla poſthabita induſtria prorſus digni ſunt vt ab offenſis omnibus præcuſtodiantur, quia ad ſalutem & vitam maximè faciunt, Vnde Elephantes quia illos habent robuſtos, licet anterioribus careant omnium conſenſu ducentos annos viuunt, ſunt & qui trecentos referant, vti refert Philoſophus: Propterea ſoli omnium oſsium tota vita accreſcunt, breui enim tempore attriti conſumerentur, niſi ſubindè repararentur eodem teſte: Qui quamuis ob propriæ naturæ præſtantiam (nam & ipſi diſcernunt ſapores cum lingua) non aliter vti Galenus inquit quàm aliæ oris partes: Ab immoderatis omnibus primis qualitatibus vitientur, A nimio ſi quidem calore corrumpuntur: A quo diſſoluto humido, facile fit vt eorum compactio diſſoluatur: A ſiccitate pariter quia ſicceſcentibus oſsibus neceſſe eſt & illorum

in 3. lib. de natura animaliũ cap. 9.

in 2. lib. de generatione animaliũ cap. 1.

illorum radices extenuari; Et tunc cum ſtare nequeant, cum vndiquè ab oſse non comprehendantur, vt cadant neceſſe eſt, Quod in ſenecta accidit, veluti & capilli ab humoris priuatione: Vitiantur caduntquè pariter ob nimium humorem: Sicuti necantur quoquè Plantæ & putreſiunt: At nulla æquè officit ac frigiditas, nec vna cauſſa immo pluribus & Primò quoniam eorum alimentum à frigore auertitur, Secundò quia ſpiritus intereunt, Poſtremò quia cadunt à natura ſua nerui, qui radicibus eorum applantantur, molles quidam à tertio neruorum cerebri coniugio propagati, vti oſtendit Veſalius, quorum gratia, vt multi exiſtimant dentes duntaxat euidenti inter oſſa ſentiendi facultate donati ſunt: Propterea nulla de offenſione, quæ ab excedentibus alijs primis qualitatibus ipſis impartiri poſſunt, facta mentione, Hippocrates magna ſemper proferre aſſuetus dixit FRIGIDVM dentibus inimicum: Quod & Ariſtoteles non conprobauit modò, verùm & cauſſam illo dignam aſsignans dixit, præter naturalis dicti iam eorum temperamenti frigiditatem, eſſe & meatuum tenuitatem, qui cum non niſi perpaucam caloris quantitatem continere poſsint, celerrimè ac facillimè a frigefacientibus vincitur: Hinc mirum non debet videri, ſi Ruſtici Monticolæ egregie alioqui Robuſti, ferè omnes dentibus ſint deſtituti, quoniam præter inſignem aeris eorum locorum frigiditatem gelidam aquam perpetuò ferè bibentes oris temperiem corrumpunt: Nec obſtat Dentes non poſſe eſſe tam frigidos, cum ipſi vnà cum coeteris oſsibus ab aſſante calido producti ſint, non ſecus ac tegulæ in fornace. Nam quantumcunquè ipſi vna cum alijs oſsibus à calido aſſante producti ſint, & eo quaſi coagulati: Quà tamen poſtremum ſuæ productionis actum conſecuti ſunt, A quo eam, quam in ipſis cognoſcimus duritiem ſeiungi nequit, ſanguine & calore non poſſunt non deſtitui, venis ſiquidem atquè arterijs carent: Ita vt planè perſpicuum ſit

calidum

In p. lib. de fabrica humani corporis cap. xj.

In 5. libro Aphor. 18.

In 34. ſectione Problematum 2. & 3.

calidum illud igneum ab eis euanuiſſe, & non ſicca modò verum vnà & frigida remanſiſſe. ET QVIA BILIS IPSA cum ignea ſit, non poteſt quieſcere, intercepto ab hoc errore illi naturali exitu, Aliquando ad ſeptum tranſuerſum rapitur, eoquè inflammato phrenithidem quamuis non exquiſitam concitat: Exquiſitam verò vbi ſurſum magis mota, in Cerebrum præcipueque in eius membranas impacta fuerit Galeno teſte: Et veluti dura menix, quæ minus nobilis eſt, ab extrinſecis inmediatè operantibus cauſis, vti à mora ſub ſole, & ſimilibus Apoſtema contrahere ſolet, ita tenuis à bilis aſcenſu, iam dicto frequentius, iccirco affectus intenſior quia in parte nobiliori: Exquiſita autem quantum ad gignentem humorem ſpectat, quia ex pallida, ex flaua non aſſata, nec non & ex eadem aſſata oriri poteſt Authore Galeno: Iccirco bilioſum vnumquodquè corpus iuuenile huic errori deditum eò magis paratum eſt affectum hunc incurrere, quò minus (ex traditis iam) illis quàm alio quocunquè temperamento præditis abuſus ipſe interdicitur: Et cum acutiſsimus & periculoſiſsimus morbus iſte ſit, veluti omnibus in confeſſo eſt & meritò, Nam Hippocrates & Galenus vniuerſum illius genus exitiale eſſe ſtatuunt: Ab ipſo enim, cum factus eſt, vti RASIS innuit, homo non euadit: A quartadecima ſiquidem poſt illius inuaſionem hora vſquè ad vigeſimamquartam horam, a ſæuitie primorum accidentium, dum magnus eſt confirmatum prorſus reddi, Sapientum nonnulli obſeruarunt: Magna autem immo maxima eſt phrenitis illa in qua & principales vnà actiones omnes læduntur animales, & cui vrinæ albæ & perſpicuæ aſſociantur; Nam de ea loquens Hippocrates dixit, Quibus vrinæ albæ & perſpicuæ malæ præſertim ſi in delirantibus appareant, Inter illos enim neminem ſaluatum vidiſſe Galenus in commento teſtatur, nam ſignum eſt, vti ipſe inquit, vniuerſam flauam bilem ad caput ſolummodò rapi: Nec

In primo de morbis vulgarib' cōmētario 2. cōmēto 72.

in 3. lib. de locis affectis cap. 7.

In p. Prognost. textu & commēto 23.

In 9. ad Almanſorem cap. 3.

in 4. lib. Aphor. 72.

obſtat

obſtat in his qui gelidum potum nimis frequentant huiuſcemodi vrinas à ſola cruditate poſſe cauſari, Nam quamuis hoc fortè verum eſſe poſsit, in aliquibus eorum qui ſolum aquam (nec ab ineunte ætate aſſueti) & copioſam bibunt, quæ cum quandoquè non poſsit euinci, prodit, qualis bibitur: Quoniam tamen non exiguum inter ipſam extat diſcrimen, & ex aqua vinoquê reſultans crama arte gelidum immoderatè redditum, de quo nos loquimur: Hinc fit vt à ſumma illa potius meatuum obſtructione, de qua iam diximus produci aſſerendum ſit: Ab ea poſtquam tales vrinas maximè fieri ſcriptum reliquit Actuarius, Et eò magis quoniam cum morbus totus ſit biliosus; eo ab humore vrinæ aliqua ſaltem in parte tingi deberent, niſi totus omnino Cerebrum aſcenderet. Et Qvia Occasione Hac aſſari bilem ipſam aliquando contingit, dum ſcilicet in calidiori Iecore retinetur, cuius caliditas adhuc tùm à mora illius diuturniori in ipſo contracta nimis intenditur, Tùm ab obſtructionibus naturalem illi ad inteſtina expurgationem prohibentibus de quibus iam dictum eſt; Dvm Talis Effecta ſi cerebri ſubſtantiam ad minimas partes attingat, illiquè ſe immiſceat, attingit autem promptiſsimè ac facillimè quia cum impetu aſcendit, tùm ob eum qui illi inſitus eſt calor, antequam aſſetur, tùm ob eum qui ab aſſatione additus eſt, aſſueta enim eſt, vti Galenus aſſerit, atram exhalationem ceu fuliginem quandam ad caput ipſum remittere: Qvod Dvm fit, Ferina Deliramenta producit eodem Authore, ideſt miſerabilem illam Melancholiæ ſpeciem, quam græci Μανίαν vocant, ideſt Insaniam vti ipſemet exponit, Arabes Fvrorem appellant: Quæ quamuis non cum febre ſit veluti Phrenitis, eò tamen miſeriarum hominem deducit, vt præter effigiem, nihil ferè hominis retineat; Immò nec ipſam integrè, cum morbo hoc correpti Toruam perpetuò habeant faciem, & ſpe-

in p. lib. de vrinarũ iudicijs.

In cõmentario 3. In pronoſtica Hippocratis cõmento 30. in p. lib. de diebus decretorijs cap. 4.

& ſpecie ipſa ferociam præ ſe ferentem, vſqueadeò enim rationalis animæ inſtrumenta á tam malefico humore obumbrantur, vt veluti ipſa nulla in parte ſuis muneribus fungitur, Ita & faciei diſpoſitio in qua exteriorum ſenſuum organa reſident illius miniſtra tantæ læſioni vndequaque reſpondeat, perſimiles enim illis videntur, qui á Demonibus obſeſsi ſunt: Corumpit ſiquidem Mania virtutes omnes morales, imaginationem, cogitationem, & Memoriam, Et cum tota inquietudo ſit, Audacia, Agitatio atquè furor, Eo perciti Patientes, modò homines conuicijs afficiunt, modò verberant, modò lapides iaciunt, Ferarum inſtar redduntur effrenes & furunt, Nonnullarum quibus ſimiles redditi, veluti canibus & Lupis vt inquit Princeps, ſimiles inquam aſpectu, moribus, rapacitate, & inuaſione doloſa per agros & per Syluas errant: Quid plura? & alios & ſemetipſos quandoquè, ni prohibeantur, interficiunt, ita vt nihil ipſis miſerabilius inuenire excogitareuè liceat: Et quod deterius eſt quamuis non confirmata, non niſi ægrè poteſt curari; tùm quia ea obſeſsi longè magis reſiſtunt præſidijs quàm bruta quorum cuncta ob naturalem dominatum homo ipſe ſuo arbitratu moderatur, ac regit: Tùm quia & atra bilis ipſa euacuationi valde reſiſtit Auctore Galeno, nec non & coctioni, & antequam exactiſsimè cocta ſit, illius non eſt tentanda euacuatio ita præcipiente eodem.

In p.3.tractatu 4. cap. 15.

In 14.methodi cap. 17.

In lib. de ijs quos purgare oportet quibus, & quo tempore.

Nec ſit qui exiſtimet, nos nobiſmet vlla in parte aduerſari, ex quo ſupra oſtendimus ab hoc errore aquam inter cutem fieri, eandemquè ab omnibus Medicis, non abſquè inſigni Iecoris frigiditate, aut propter alias partes impensè refrigeratas, quæ Iecur in eundem affectum deducere poſſunt, Veluti Lien, Ventriculus, Inteſtina, Pulmo, Renes, & Septum tranſuerſum: Hic verò & infra calidos affectus, & humorum aſſationes, quas non niſi ex ſat immodico calore fieri poſſe aſſerit Galenus, vbi de atræ bilis generatione agit: Nam quem-

in 1.lib.de criſibus cap. 12.

quemadmodum à potulenta materia calida vi prædita; non inconuenit frigidam ægritudinem produci, Veluti iu Ebrioſis qui tremunt, & eò magis quò liberalius vinum hauſerint, quandoquidem Vinum calefaciendi vim habet, & Tremor præcipuè ex frigore ſoleat prouenire: Nam hoc eſt per accidens, Aſsignans enim Ariſtoteles cauſſam dixit id accidere tùm quia ſuo immodico calore, vſqueadeo hebetat calorem innatum, vt ferè extinguat, ita vt corpori hac via refrigerato frigidus affectus ſuccedat, Nam quòd vnà cum naturali calore vita ab externo videlicet æſtuantis valde aeris calore in aliquibus hominibus in ſat breui etiam temporis interuallo extingui poſsit, idemmet patefacit, Tùm quia inquit ipſe, & Vinum ſuo calore radicale humidum diminuit, & vna cum ipſo in eo ſubſiſtentem calorem naturalem, ita vt neceſſariò ſubſequatur, & corporis refrigeratio, & affectus illi reſpondentes qui frigidi ſint, inter quos Hydropem cōnumerat: A quo quidem vini potiſsimum vinoſioris & meracioris immoderato potu, & febres, & varios alios præter naturam affectus calidos per ſe excitari poſſe nemo neſcit: Ita ab errore hoc & aqua inter cutem & alij perplures morbi frigidi, & quotidiè, & paſsim & per ſe gignuntur; Diuerſorum humorum aſſatio, & calidi affectus varij per accidens, qua ſcilicet vehementer obſtruendo calidos ſuccos in Iecore violenter detinet, & euentatione prohibita calorem intendit: A cuius immodica intenſione humido diminuto & calore concomitanter, Patiens in hydropem prolabitur; quod manifeſtauit nobis Hippocrates inquiens, Hydropem ipſam aliquando ſequi ad morbos acutos. DVO autem hic diſquiſitione indigere videntur, Quorum primum eſt ex quo duorum generum potuum iam adductorum vnumquodquè producit effectus oppoſitos vnum tamen per ſe & alium per accidens, VNDE, ſit, quòd à vini potu effectus per ſe, qui eſt calefactio, præcedat effectum per accidens, qui eſt

In 3. Problematum ſectione probl. 3.

In 5. Problematum ſectione probl. 21.

In 2. Prognoſticorum textu primo.

tremor: A Potu vero præfrigerato totum oppoſitum, quia primò caloris adauctio, & poſt aqua inter cutem: SECVNDO vnde ſit quod præfrigeratus potus, & præcipuè ſimplex aqua immediatè producat aquam inter cutem aliquando vti Galenus aſſerit, Aliquando vero prius effectus calidos vti vnà cum Hippocrate diximus: AD PRIMVM videtur dicendum quinimmò primum effectum, à ſecundo genere potus qua immodicè frigidum eſt, immediatè emanantem eſſe Indecoctionem & diminutionem operationis caloris naturalis (Ambas quarum tamquam primas & per ſe frigori adſcribit Auerroes, A quibus & obſtructiones producuntur, & Bilis retinetur vbi non retinenda, aſſaturquè, Quæquidem Aſſatio, in latitudine harum poſtrema potius cum ſit quàm prima, Conſtat operationes per ſe reſpectu vtriuſquè Agentis eſſe priores tempore. AD SECVNDVM videtur dicendum illud verificari in hominibus habentibus Iecur frigidum & natura valde imbecille, & de potu ſinceræ aquę vti aſſerit Galenus in loco paulo ante citato Oppoſitum illis accidit, qui Iecur valde calidum & robuſtum habent, de quibus Hippocratem intellexiſſe non eſt, cur dubitemus. ET BILIS IPSA ad Cerebrum rapta quotieſcunque illud tam robuſtum inuenit, vt omnino aptum ſit reſiſtere productioni dictarum iam ægritudinum, ſiuè ſui multitudine id grauando, ſeu praua ſua qualitate irritando, ſiuè vtraque via, ita virtutem illius expultricem proritet, vt humorem mittat ad ſibi proximos gutturis muſculos tranſmittat, ANGINA FIT, ſic dicta, hominem quia vſqueadeo angit, præmitquè, vt quaſi laqueo ſtrangulet, Peracutum propterea morbum eam Galenus vocat & diſcriminis maximi, qui & fluxionem vnde illa excitatur, plerumque ex capite eſſe, ſcriptum reliquit: magnaquè ex parte ex bile eſſe teſtatur in tertio libro Aphoriſmorum commento vigeſimoſecundo ita vt perſpicue ERYSIPELAS aut inflammationem Eryſipelati ſimi-

In 6. de locis affectis cap. p. & in 5. eiuſdé cap. 6.

In 4. libro Metheorologic. in ſVMMA.

In 2. libro Prognoſticorum textu primo.

in p. lib. Aphor. commécto 12. in 3. lib. Aphor. comméto. 16. in 4. lib. de ratione victus acutorú com. 10

ſimiliorem committat, dixit & ipſe: FIT AVTEM ab hoc errore in primis SAEVA ILLA ANGINA, in claudentibus intimis gutturis muſculis] fundata Συνάγχη. dicta quæ ſæpiſsimè enecat, & in breui temporis interuallo, vel ſi non enecat, tranſmutatur, & tranſmutatio in peſsimam aegritudinem finit: Hanc deſcribit Hippocrates dum inquit, „ Quicunque ab Angina liberantur, his ad Pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt; ſi vero has effugerint ſuppurantur: Sed vt plurimum ideo pereunt, quoniam affectus, qui erat lætalis in parte minus principali, hoc eſt in gutture, lætalior adhuc eſt, in parte principaliori tranſmutata materia: Pulmo enim inter prima corporis membra poſt Cor recenſetur, Cui frigus ſiquid aliud maximè aduerſari, iam ex Galeni ſententia traditum eſt, calori enim vnà cum toto pectore aſſuetus eſt: Et quamuis in ſeptima die, ab ea in qua translatio facta eſt, non omnes moriantur, Ob hoc tamen non ſani fiunt, ſed ſuppurati ideſt in pectoribus eorum collecto pure, ni ſtatuto tempore illud expuatur, Phthiſici fiunt & moriuntur: Et vt euadant valdè rarò accidit, Vires quoniam conſumuntur nimis à ſucceſsiua illis impartita læſione, tum à dictis iam ſe conſequentibus morbis, nec non & à febre tabifica nobis ab Hippocrate circumſcripta, quæ media eſt & quaſi compoſita ex hæctica & putrida, & conſequitur Empyema, & præbet ſpeciem duarum febrium cum ſit vna; Fit autem ab Empyemate quia quatenus calefit cor, ſemper præbet ſpeciem hæcticæ, quatenus autem putreſcit materia in concauitate pectoris, eſt febris putrida & cum Typo: Ita vt multifariam error iſte hominem ad Phthiſim deducat, Morbum inter Cronicos pernicioſiſsimum. Et ab hac quamuis euadant, A grauiſsima illa cum nemo euadere poſsit, ipſi longè minus ob dicenda euadere poſſunt, De qua

In 3. libro Prognoſticorum cōmento 18.

In 5. libro Aphor. Aphoriſmo 10.

In 2. libro Prognoſticorum textu 6.

In 4. libro Aphor. Aphoriſmo 34. „ Hippocrates ratiocinatur dum inquit, ſi à febre habito tumore non exiſtente in faucibus ſtrangulatio repente ſuperuenerit lætale eſt. Quod & Celſus repetendo dilucidat, dum ait: is ſeruari non poteſt, qui ſine vllo tumore febricitans ſubitò ſtrangulatur, aut ſaliuam ſuam deuorare non poteſt. Hoc eſt idem perſentit quod, & qui ſtrangulantur, hi enim veluti & in aquam cadentes, nec inſpirare, nec expirare poſſunt:

In libro 2. cap. 6.

In 3. libro Prognoſti corũ textu 16.

HANC clarioribus adhuc verbis nobis depinxit D. „ Hippocrates inquiens ANGINA grauiſsima eſt ac „ celerrimè interimit, quæcunquè neque in ceruice, ne„ què in faucibus conſpicuum aliquid efficit, Plurimum „ verò doloris infert, ac ſpirationis difficultatem, Hæc „ enim eodem die, & ſecundo, & tertio, & quarto ſtrangulat: Et quia occaſione preſentis erroris, vt plurimum materia defluens biliosa eſt, vti iam tactum eſt, Ergo & quæ illi aſſociatur febris, non poteſt non eſſe intenſa, quia ab eodem humore producta, Nec magnus dolor abeſſe poteſt, ratione magnæ caliditatis ipſius: Et cum in quatuor dierum ſpacio intereant: Et illi cum dicto ſpacio, quò & anguſtioris pectoris, & imbecilliores ſunt, Quin iſti inter reliquos ſat cito obeant, fieri non poteſt, viribus eorum à tanto errore vti dictum eſt hebetatis: At ne quis ſit, qui noſtri nomine rem ita prorſus ſe habere audacter ſpondere non poſsit: QVATVOR circa rem hanc non vndequaquè perſpicuam à nobis deuelanda ſunt, Quorum primum eſt ab hoc errore Anginam re vera produci, Secundum cur biliosa potius quàm Pituitoſa producatur; Ex pluribus enim Galeni locis liquidò conſtat Anginas nō ex calidis modò, verùm & ex frigidis ſuccis oriri poſſe, Et eo maximè quoniam à nobis iam oſtenſum eſt, maximam pro diſtillationibus excitandis, propriam quarum materiam pituitam eſſe diximus errorem hunc vim habere: Tertium quomodo eam

in 3. Aph. cõm. 22. in 3. Prognoſt. commento 18. In 4. de ratione victus acuto rũ cõ. 30.

ſpeciem

ſpeciem inferat, quæ ad pulmonem vertitur: Poſtremò cur poſtremam illam omnium perniciofiſsimam: HORVM PRIMVM tam clarè explanat Aetius vt nihil clarius,. Vbi Anginæmet Primitiuas enumerans cauſſas ait, Anginæ cauſæ multæ ſunt, frigiditas magis quàm ardor, & Plagæ, & ex piſcibus oſſa ad tonſillas impacta, ET POTVS FRIGIDAE, & Ebrietas, nimia ſatietas, Et quæ ex reſpiratione attrahuntur mala. SECVNDVM non ſibi tantum, ſed & omnibus apertè eſſe teſtatum deprehendet, qui aduertere voluerit cauſſam materialem Anginæ illius, quæ ad pulmonem vertitur non poſſe eſſe niſi humorem tenuem, & calidum; Nam ſi talis non eſſet, non poſſet obtemperare virtuti traducenti illum tam breui ab vno ad alium terminum: Et quæ bilioſę ſunt Anginæ in autumno fiunt, veluti in vere Pituitoſæ iuxta Galeni ſententiam loco iam citato, Et illæ non niſi in corporibus bilioſis, Ergo ab intercepta expurgatione bilis productæ in æſtate: Et quamuis negandum non ſit pituitoſas occaſione hac fieri, ea cum in membris omnibus diminuatur calor, conſtat ex ſegnitie humoris non poſſe eſſe de numero illarum, quæ ad pulmonem vertuntur: Adde pleroſquè hominum potu immodicè frigido, æſtate ſola magis vti, quàm reliquis omnibus vnà anni temporibus (dato quod eo intemperantiæ aliqui deuenerint, vt in media ac profunda hyeme illo vti non erubeſcant) Pariter & errorem hunc ſtrenuè pulmonem diſponere ad ſuſcipiendum, Nam continenti pectori cum valde aduerſetur teſte Hippocrate, neceſſe eſt & contento pulmoni aduerſari, totam cum ipſe impleat Thoracis capacitatem, ita vt ſi dilatetur ille, aut comprimatur, ſimul quoque per totum, & Pulmo ipſe dilatatur, aut comprimitur Authore Galeno, Et eo maximè cum caro illius, ad recipiendum, retinendumquè aptiſsima ſit eodem teſte, & calori vnà cum Thorace aſſuetus ſit: Hinc ambo frigore non laborare modò dixit

In 4. de cauſis pulſuum cap. 20.

Sermone 8. cap. 47.

In 3. libro Aphor cō mento 21.

in 5. Aphorisin. 24.

in 7. lib. de vſu p[illegible] cap. 9.

In 13 [illegible] dē cap. 6.

In 4. eiuſdē cap. 15. In xj. eiuſdē cap. xi. Galenus in primum de morbis vulgaribus commento primo commentatione octaua, ſed ita vt taliter affectum necis cauſſam ſe vidiſſe: Cum enim perpetuò motu agatur non abſquè multo calore ſuas operationes abſoluere poteſt. QVOD GRAVISSIMAM tandem illam inferat, quæ nec in ceruice, nec in faucibus, diſpoſitionem aliquam indicat præter naturam, ex colore, calore, & mole, ſat conſtare poterit animaduertenti, retentam aſcendentemquè bilem, quam illius materialem cauſſam eſſe vnà cum Galeno iam ſtatuimus, quantumcumquè ſuę tùm acredinis, tùm tenuitatis ratione, apta valdè ſit per anguſtiores venas facile permeare, & ad euidentem amplitudinem illam, in qua gemina oſtiola viſuntur tùm gulæ tùm etiam gutturis exilire, ipſasquè tribus iam dictis paſsionibus, vel iunctim vel ad minus ſeiunctim afficere: Manet quoniam tamen intrà gutturis ſubſtantiam ibiquè Galeno ita affirmante inflammationem producit: Qua obſeſsi vti ibi aſſerit Hippocrates, modò eodem die, modò ſecundo, modò tertio, modò quarto ſtrangulantur: Et veluti cum materia exterius propellitur, Naturæ victoriam, robur, ac rectam actionem ſignificat; Exterius autem ferri trifariam dicitur in preſenti caſu, vel ſcilicet extrà intima vt in fauces: aut extrà corpus ad cutim vt in collo, iuxtà illud Hippocratis, Ab Angina habito ſi tumor fiat in collo bonum: Vel procul à parte primariò læſa vt vſquè ad pectus: Qui modi inſimul deſcripti ſunt ab Hippocrate hiſce verbis, ſi quibus vero fauces rubent, & Ceruix, hæ diuturniores ſunt: maximè vero ex eis ſeruantur, ſi ceruix & pectus traxit ruborem, nec ſacer ignis intro recurrat. Et hæc magis ſignificat tertius modus quàm ſecundus, & iſte magis quàm primus, & magis eorum ſinguli ſeiunctim, quò Tumor rubori aſſociatus magis protuberat, Tumor enim rubore longè ſecurior eſt: Et quamuis expulſio ad cutim qualiſcunquè ad expurgationem collata, ſignum perpetuò

In 3. libro Prgnoſticorū commēto 16.

In 6. libro aphoriſm. Aph. 35.

in 3. lib. Prognoſticorū tex. 18.

petuò ſit, minus perfecti dominij Naturæ ſupra materiam Galeno Iudice: Vtcumquè veluti ipſa dominij ſignum eſt, ita cum omnino intus retinetur, ſignum certum eſt, Naturam victam eſſe, Vincitur autem cum vires hebetantur calore naturali hebetato, pariter & cum locus ineptus redditur ad ſuſcipiendam materiam, quam Natura ipſa Totis viribus ad eam tranſmittere contendit: Horvm. Primvm ab hoc errore effici iam pluſquàm manifeſtum ex iam traditis eſt: Secvndvm & perſpicuum erit vnicuiquè conſideranti, Adſtrictionem denſationemquè nec niſi inſignem, dictæ iam infimæ oris amplitudini, in qua gemina dicta iam oſtiola extant impartiri, à tam frequenter repetito prægelidæ materiæ poṫulentæ contactu: Quæ quidem amplitudo nervea propterea quod atquè exangui natura conſtat: cum ſenſibilis valdè ſit, Partes illius & tam repetito, tamquè ipſis aduerſo illius occurſu aſqueadeo conniuent vt ferè occalleant: Dicebat nempè Galenus, corporis noſtri partibus poſt tepidæ aquæ balneum calefactis, cum in frigidum ſolium ingredimur ſimile quiddam accidere; ei quod ferro accidit, dum tingitur, quod vſqueadeo durum effici experimur, vt non ſic apparatum non modò deprimere & vehementer, quinimmò & incidere videamus: Itaquè ſi vlla cutis pars eſt, quæ occallere ſummè apta ſit à gelidæ contactu ea proculdubio eſt, quæ amplitudinem illam tegit, in qua gemina oſtiola conſpiciuntur, tùm quia ſummam ob mollitiem paſſibilis valde eſt, tùm maximè quia in viuente animali vt ſingulo temporis momento alternatim calefiat, neceſſe eſt ob expirationem aeris feruidi quaſi redditi in cauitate Thoracis, docet ſiquidem experientia, ſi huiuſcemodi malo detentis, per initia gargariſmata plus iuſto repellentia exhibeantur (quod imperitorum nonnulli quandoquè faciunt) non ab extimis tantum malæ affectæ particulæ partibus ad intimas, quinimmò & ad pulmonem ipſum certo cum ſuffocatio-

in 3. lib. de Criſibus cap. primo

In x. libro methodi cap. 10.

cationis periculo trudi: Huic autem generi potus, ſi quis fortè repercutiendi etiam validam enim non ineſſe exiſtimaret., vt ſibi nobiſquè laborem adimat rogatum volumus, vt præter adductum paulò ante Galeni ex decimo libro methodi exemplum alterum illius rei huic vndequaquè reſpondenti ſententiam exquirere, expendereque non pigeat: Quo peracto ſibimet ex iam oſtenſis exploratum eſſe minime dubitabimus, ERROREM HVNC MALORVM OMNIVM LERNAM ESSE, malorum inquam ortos homines ad immaturam mortem deducentium.

In 5. lib. de facultatib. ſimpliciũ medic. cap. 17.

ERROREM AB VSV PRAEGELIDI POTVS, EMANANTEM, ETIAM NASCITVRIS SVMME NOCERE PALAM FIT. CAP. VII.

SED vtinam non niſi Natis noceret: Nam & Naſcituris ita nocet, vt nihil fortè ſit quod magis poſsit nocere: Primò quia inter omnes cauſſas primaria eſt quamobrem foemina generetur, quæ maſculo absquè comparatione imperfectior eſt: Horum primum perſpicuè nobis aperuit Galenus, dum inquit foeminam mulier nunquam conciperet, ni viri ſemen vel vterus illius frigidior eo tempore eſſet, in quo concipit: Foemina autem mare iccirco imperfectior quoniam cum frigidior minus apta eſt ad quamlibet obeundam operationem ratione cuius frigiditatis, omnes quæ Viris inſunt partes extra ad nuncupatum Perinæum in ipſis intus conditæ ſunt Ita vt dixerit Galenus, ſicut homo eſt Animal omnium perfectiſsimum, ita in eo ipſo rurſus virum muliere eſſe perfectiorem: Qua ratione moti omnes penè philo-

In 5. libro aphoriſm. cõmento. 42.

In 14. de vſu partiũ cap. 6.

philoſophi noſtri Barbari, veluti apud Auerroem in primis conſtat, Fœminam ipſam eſſe animal occaſionatum protulerunt, Latini mutilum atque interceptæ perfectionis ſiue affectæ, vt ait Cicero, vt communiter dicitur, inchoatæ: Ariſtoteles eam quaſi marem læſum apellat, Et alibi hoc eſt in quarto eiuſdem capite primo, eam cruditate frigiditateque ſanguinei alimenti deſcribi dixit, Et apertius dum inquit ſexum fœmineum quaſi læſionem naturalem & detrimentum putandum eſſe. SED quoniam quandam demum eſſe fœminam oportebat, non enim credendum eſt ſummum Opificem, partem totius generis noſtri dimidiam ſponte imperfectam, ac veluti mancam conſtruere voluiſſe, niſi reſpectiuam hanc inperfectionem, magnæ illæ atque inſignes vtilitates fuiſſent ſequuturæ, quas & Galenus copioſiſsime oſtendit loco paulò ante citato; Error iſte meretur vt ad hanc priuatam culpam aliqua ſaltem in parte conniueatur, ſed quia deſtruit generationem, de qua loquens Auerroes in communi dicebat illa deficiente neceſſe eſſe & ideo omnes alios motus deficere; quoniam cum ipſa finis ſit, omnium aliorum motuum, qui deſtruit finem, deſtruit omnia quæ ſunt ad finem, Et quamuis error hic non quamcumque generationem abſolutè deſtruat, quâ tamen hominis deſtruit, cui quotquot extant tamquam ad finem quoquomodo directæ atque coordinatæ ſunt, illum ſi quis totius generationis Euerſorem nuncupauerit, non fortè aberrabit: Quo fit vt dignus hac in parte minime ſit, vt ſibi vllo pacto ignoſcatur, Quòd autem hominis generationē prohibeat, inde patet, quoniam inter cauſſas ſterilitatis validiſsima eſt habere vterum frigidum, vti aperit Hippocrates inquiens, Quæcunque frigidos & ſpiſſos vteros habent non concipiunt; Spiſsitudo autem ideo à frigiditate non eſt ſeiungenda, quia non ob aliud ſpiſſus eſt vterus niſi quia frigi-

In p. libro phiſicorū com. 81.

In 2. lib. de generatione animaliū cap. 3.

In 4. lib. de generatione animaliū cap. 6.

In 14. lib. de vſu partiū cap. 6.

In 8. libro philicorū com. 24.

In 5. libro Aphoriſm. Aphor. 62.

frigidus: Impediunt itaquè refrigerantia valdè, conceptionem prorſus & multifariàm, Omitto Veneri illa omnia plurimum nocua eſſe iuxtà communem Medicorum vniuſcuiusquè ſectæ ſententiam, ſed priuatim primò quia matrici maximè aduerſantur, in quà fit conceptio, tum quia ſuaptè natura frigida eſt, cum ſit membrum ſpermaticum, tùm quia in latitudine membrorum nobiliſsima eſt, ac propemodum diuina fauiſſa, in qua Naturæ Theſauri conditi, vbi fuerit opus, depromuntur, Et quæ iure optimo merita ſit, vt alterum Animal in Animali contentum, quaſi Trigemata in Alueolo à Diuino Platone appelletur: Secundò quia ſemini tùm muliebri, tùm & virili aduerſantur, Id enim in ipſa receptum adeò infrigidatur, vt concipi non poſsit, Tertiò quia menſibus ipſis, nam via hac frigefacto nimis ſanguine, non liberè poteſt fluere, vbi debet: Poſtremò venis per quas defluit, quæ obſtruuntur & anguſtiores redduntur, ita vt nec ſanguinem fluere permittant, Nec ſecundæ ad ipſas rectè applicari poſsint: Quorum ſingulum per ſe potens eſt conceptionem impedire. Hoc animaduertens Ariſtoteles rectiſsime more ſuo dixit, crudas frigidasquè Aquas ſterilitatem facere: At Potus quem immodicè frigidum nuncupamus (apud nos ſaltem) vel talis aqua eſt, vel quid non ſine illa. Auicenna pariter vti etiam ſupra dictum fuit, dum ſterilitatis met potiores cauſſas enumerat ait, Cauſſa autem quæ eſt in matrice, aut eſt malitia complexionis corrumpentis ſperma, cuius plurimum eſt frigus congelans eam, ſicuti accidit ex potu aquæ frigidæ. Itaut ſat ſuperquè pateat errorem hunc, quem tot homines tam parui faciunt, vt illorum non pauci illum inter errores non recenſeant, non ortos modò verùm & oriundos, tam acerbè ac iniquè tractare, vt in latitudine errorum, quorum vi humanum genus quotidie paſsimquè lædi & maximopere conſueuit, nullus fortè ſit qui acerbius iniquiuſuè illud tractare poſsit: Nam

in 4. lib de generatione animaliũ cap. 2. Et in 6. de natura eorundẽ cap. 19.

in 21. 3. tr. ct. p. cap. 7.

Nam Peſtis ipſa Malorum peſsima habita, ortum ſolum hominem cum enecet & breui, ipſum à multis miſerijs perſæpè vindicat veluti à Paupertate, ab aſpectu calamitatis Patriæ, Amicorum, Propinquorum, filiorumquè, met mortis, quæ omnium infortuniorum maxima eſt. Et qui ab ea ſuperſunt, ita ſicuti & prius procreare apti ſunt, immò quid dico prius, qui à peſtilentiali vagante conſtitutione non afficiuntur (extare autem plurimos qui varias diuerſasquè ob cauſſas non afficiuntur latet neminem) æquè generant, ac ſi non vagaret: Hic error & generationem impedit, vti oſtenſum eſt, enecatquè veluti & ea, valde impari tamen conditione, Illa quoniam confeſtim vel breui ad minus temporis interuallo: Hic verò vt plurimum non priuſquam ipſum innumerabilibus propemodum cruciatibus, calamitatibuſquè gradatim se ad inuicem ſubſequentibus diu plurieſquè ac pluries torſerit.

VTRVM HOMO PRAEGELIDO POTVI DEDITVS PIPERE, GINGIBERE, SALE VE, AVT MELLE MVNITVS, ILLIVS LAESIONEM ALIQVA IN PARTE DEVITARE POSSIT. CAP. VIII.

ILLVD itaquè vnum enucleare ſupereſt, vtrum ſcilicet homo huic potui dedito aliqua arte, ita se præmunire poſsit, vt ab vſu illius vel nullam, vel ad minus non tantam ex eo percipiat læſionem, Vel ſi non præmunire, aliquid ſaltem agere, quo illius detrimenta non experiatur: QVOD in Epulis correctione indigentibus optimè fieri poſſe nos edocet Galenus, & dupliciter vel ſcilicet per viam coaſſumptionis (vt ita loquar) vel

vel per viam præaſſumptionis; Nam de Cucurbita ſermonem habens ait, Ob aqueam qualitatem ſibi
In 2. lib. de Aliment. facultatib' cap. 3. „ innatam, meritò gaudet origano: Omnia enim e-
„ iuſmodi, ſuccis acribus, vel acidis, vel auſteris, vel
„ ſalſis admiſceri poſtulant, ſi modò in cibo ſuauia ſunt
„ futura, & ijs qui vſi fuerint nauſeam non ſunt paritura:
„ Et vbi ſupra de lactuca loquens, ſunt ait qui Apium &
„ Smyrnium folijs lactucæ mixta manducent: Nam
„ cum Lactuca Olus ſit inſipidum, ſuccumquè præterea
„ habeat frigidum, non modò ſuauior, ſed vtilior etiam
„ redditur ſi acrium olerum quoddam aſſumpſerit ob
„ eam certè nonnulli Erucæ ac Porri folia alij Ocimi
cap. 4. „ ipſis admiſcent: Per viam autem poſtaſſumptionis, in citato iam libro nobis indicauit, dum Pepo-
„ nes comedentibus conſulens inquit; Succum in corpo-
„ re gignunt vitioſum idquè potiſsimum, cum concocti
„ probè non fuerint, Quo caſu Choleræ morbo obno-
„ xios, talis ſuccus officere conſueuit: Nam & prius-
„ quam corruptus fuerit, ad vomitum quoquè eſt ido-
„ neus; Largequè ſumptus, niſi quis poſt ipſum ali-
„ quid eorum quæ probi ſunt ſucci ſupermandat omnino
„ vomitum excitabit. Quinimmò in ſtomachum ſobrij hominis incidens, ſi ſubindè parum aut nihil alterius cibi ſumatur, febrem aliquando excitat; Quod vt euitetur ex his longè minus, & ex cibis præcipuè ſolidioribus, vtpotè ex carne, ex pane multò plus eſſe oportet: Vt à pluri & graui alimento deorſum impulſus, breuiorem in corpore moram trahens, ad excretionum vias celerius pellatur. Quod & eò diligentius præſtandum erit, quò Pepones ipſi durioris ſubſtantiæ erunt; Hi enim quamuis inter coeteros magis probentur, & meritò tum quia & ſuauiores, & corruptioni aliquatenus obnoxij minus. Quoniam tamen ob eorum ſoliditatem non adeo facile per aluum ſubeunt, leuibus ſuper ingeſtis, periculum eſt, nè

ven-

ventriculus ad vomendum impendio magis cogatur: Quo circa ab æſu illorum leuiores cibi nequaquam edendi ſunt, At carnes, inter quas aſſatæ ſylueſtrium animalium meliores erunt, aut quippiam aliud grauioris ſubſtantiæ, vt pondere ſuo renitentem Peponum pulpam deorſum premendo conpingat. Quarum duarum viarum, Coaſſumptionis videlicet aut Poſtaſſumptionis, nullam tanti erroris vim vlla in parte obtundere poſſe, nemo nec affirmauit, nec (quoniam fieri non poteſt) fortè cogitauit vnquam: Quod enim non prima via patet, quoniam rei cuiuſcunquè permiſcibilis cum materia potulenta permixtio, vt illius ſaporem alteret neceſſe eſt, Vna dempta aqua, quàm vel ſolam potari, vel vino permixtam perpetuò ſupponimus: Quo alterato cum voluptas guſtui ſuccedens in actu aſſumptionis illius, neceſſariò diminuatur, tantum abeſt vt Potatores alliceret vt ab ea potius ſtrenuè auerteret: QVOD non ſecunda via & conſtat, quia poſt aſſumpta, Vel roborare nequeunt membra labefactata nimis à tam repugnante naturę illorũ errore & ſic inutilia omnino erunt: Et quantũcunq; ex ſui natura roborent, non tamen magis conferre poſſe vidẽtur ac Lorica quotieſcunq; homo ſe ab accepto iam vulnere loricaret, Igitur ſi quæ huic rei conducunt, in Preaſſumptione illa proculdubio ſita ſunt: NAM ET credunt nonnulli Aromatũ præcipuè calidiorũ vſum veluti Piperis, & Gingiberis, emolumenti plurimum afferre ſi preaſſumantur, Nec non & Salis atquè Mellis: Quorum vnumquodquè ſi quid agere aptum ſit, expendere ſigillatim volumus, non erit mehercule qui illorum vſum officere potius quàm conferre non depreheudat: ET à Pipere exordium ſumentes, Vnumquodquè vt Galenus aſſerit, ſtrenuè calefacit, atquè ſiccat, aperitquè valenter, Seni nempè qui obſtruentibus cibis vſus fuerit, illud tuſum cribratumquè diligenter ac in Pollinem redactum, vt in Potibus & cibis aſſumat, conſulit: Nec obſtat illum ibi de Albo loqui

in 8. lib. de facultatib. ſimpl. medicamẽt.

in 5. lib. de ſanit. tuẽda cap. 6.

loqui quod Nigro (vtpote quod in communiori eſt vſu) acrius eſſe, in citato iam octauo de facultatibus ſimplicium medicamentorum libro protulit, illud ſiquidem iam quaſi ſuperaſſatum eſt, atque ſuperexiccatum: Nam diſcriminis exiguitatem detegens, Albo deficiente Nigrum petendum eſſe præcipit, dummodo optimum ſit. Id verò fuerit, quod pondere præcellit: Hinc de vtroque illorum indiſcriminatim ſermonem faciens, affirmat quotieſcunque in exactiſsimum Pollinem redactum fuerit ſimul cum ambiente aere ab arterijs attrahi, ipſumque protinus à calore natiuo tranſmutari, idque tùm ob paruitatem, tùm ob ingenitam vt à calore alteratur aptitudinem: ſiquidem haud aliud illi erat facultate eſſe calidum, quàm facile poſſe incaleſcere: Quod ſi ſemel illi inſit, mirum non eſt per omne corpus tempore perlatum ipſum recalefacere: Ac perinde primum maximeque ab id genus medicamentis incaleſcere partes, quas primum contigerint: Deinde quæ his ſunt proximæ, & continentes: Ac ſic deinceps tertio quartoque loco pro ſitus videlicet vicinitate, cum ijs quæ primò incaluerunt incaleſcere. Nam etſi piperis particulæ à nobis primò mutationem accipere debeant, in corpus noſtrum tamen magis agere Galeno Authore, quàm ab ipſo pati valent: Quod enim Pollinis inſtar tenui cuti inſpergitur excalfacit, inquit ipſe ac maximè ſi affricueris; Nec mirum, ſapore enim acri prædita omnia, veluti illud calidiſsima eſſe, ante Galenum veluti ipſemet teſtatur, Plato, Ariſtoteles, & Theophraſtus ſcriptum reliquerunt. Adiectum enim illud temperamento calido febrem facit, veluti in primo capite illius libri Galeno adſcripti legitur qui Præſagium experientia confirmatum inſcribitur. De quorum numero cum & zingiberis Radix ſit, quam & valenter excalfacere affirmat Galenus, quamuis non primo ſtatim occurſu veluti Piper: Vnde ſubdit ſanè & minus eſſe ſubtilium partium quàm

In 4. libro iam citato cap. 5.

In p. de facul. ſimpl. medic. capite 12.

in 3. lib. de tẽperamẽtis cap. 4.
in p. lib. de fac. ſimpl. medicam. cap. xj.
in 4. lib. de fac. ſimpl. medicam. cap. 18.

in 6. de facul. ſimpl. medic.

quàm Piper exiſtimandum eſt, ſiquidem in tenues ſolueretur partes, & celerrime actu vt illud fieret calidum, Et ſubindè clarius, inter zingiber, & Piper nigrum pauca inquit eſt differentia, Et veluti ibi acria inuicem comparat, ita & alibi Acria, & Salſa dum ait, Acria quale eſt Piper, pariter & ſalſa, & calefaciunt & ſiccant, ita & Acria illis magis calefaciunt. Ex His quamuis dubium non ſit altero horum præaſſumpto ventriculum muniri aduerſus ictus ferientis potus: Sanæ tamen mentis, Nemo ſanè audebit negare tria ex quouis eorundem vſu, & neceſſario aſſumentibus hominibus incommoda aduenire, quorum ſingulum cum dicto iam Commodo etiam atquè etiam præferendum ſit, Non eſt cur vnuſquiſquè ab eorum vſu prorſus abſtinere non debeat, vel vt altero eorum omnibuſuè interpolate vtentibus, vt abſtineant conſulere: Horum Primum eſt quia immoderate calefaciendo, membra nullatenus calefacienda, tot affectus præter naturam nec mæherculè ſpernendos concitare & breui poſſunt, quot & illis etiam noti ſunt, qui a limite Medicinam ipſam ſalutauerunt: Secundo quia cum via hac, ſolida ipſa membra ſupercalefiant atquè ſiccentur, flauaquè bilis plus iuſto augeatur, ſitis quin vt inmodica excitetur, fieri non poteſt: Qua cum inter valdè irritantes Appetitus nullus fortè fortuna ſit, qui laxatis habenis hominem incontinentiam verſus impellat magis, Plus & de tam nocente potu aſſumit, & ſic plus læditur: Quantum autem immodicus homini noceat Potus, quantumcunquè inculpabilis iam ex Galeni decreto aperuimus: Postremo quia cum ſummè aperiant, vſqueadeo ingeſto prægelido humori à ventriculo ad Iecur tranſitum approperant vt ſuis ferè, cum integris toties dictis ferientibus viribus occurrat, Quotieſcunquè affectus calidus præceſſerit (vti ex Hippocratis ſententia iam prodidimus) Aqua inter cutem generabitur, Et quin ab aromatum intempe-

In lib. de ratione victus in morbis acutis cōment. 4. cōmentatione 8.

In 2. libro Prognoſticō tex. p.

ſtiuo immoderatoquè vſu præcedat, vel conciteturaffectuum aliquis præter naturam de genere calidorum æſtate potiſsimum media extraordinarium & valdè erit ſi quid aliud, Quod tamen cum & contingere aliquando poſsit in minus calidis corporibus, illis & inmediatè aqua inter cutem ſuperueniet, & tunc facilius longè, cum Iecoris ventriculo longè præſtantioris membri, vires imbecilliores ſuaptè natura erunt ita atteſtante Galeno.

in 5. lib. de locis affectis cap. 6. & in 6. eiuſdé cap. Primo.

De Melle quod deſiccare atquè excalfacere ſecundo ordine ſcriptum reliquit Galenus in ſeptimo libro de facultatibus ſimplicium medicamentorum, plura pertinacem peruerſumquè animum quemcunquè ſedare potentia in medium adduci poſſent, Ni Galeni perſpicuæ ſi vlla in re ſententiæ id ex ſe egregie vllo ferè absquè Aditamento præſtarent, quas cum adducere nobis iucundum perpetuò ſit in re tàm aridè attrectata quàm neceſſaria, & iucundiſsimum eſt, & neceſſarium ducimus: Quarum efficacia vt clarius innoteſcat, Vnum hic ad memoriam venit reuocandum, huiuſce videlicet erroris vſum: Iuuenilibus, Bilioſis & plurimum ſe exercentibus corporibus, minus quàm cæteris cuiuſcunquè ætatis, temperamenti ſtudij vè ſint interdici: Aliud & ſupponendum æſtate videlicet totis viribus, in dictis iam, bilis multiplicationem eſſe prohibendam, tùm quia tunc temporis potiſsimum acutæ febres accenduntur iuxtà conſentientem dictis Hippocratis experientiam, tùm quia illius humoris proprium eſt dictas febres accendere Galeno authore, tùm quia eiuſdem generationi tempus illud maximè opportunum eſt eodem teſte: Inquit igitur in libro de ſuccorum bonitate & vitio capite duodecimo, Mel omne, eo quod potentia calidum ſit, id commune habet, vt facile in bilem vertatur in corporibus calidis & clarius dum ait inutile eſt prorſus, bilioſis iuuenilibus, & plurimum ſe exercentibus corporibus, quia celerrimè in bilem vertitur: Nec obſtat hoc neceſſario non accidere,

In 3. libro Aphor Apho. 21. In 2. libro Prognoſt. cóm. 46. In 3. libro Aphor. cō. 2. 20. 22. in p. lib. de Aliment. fac. cap. p. & 2.

quia

quia ſtat, quod à ventriculo ob impartitam excedentem frigiditatem non bene ſuperetur, ita vt ob defectum præcedentis diſpoſitionis dum ad Iecur peruenit in bilem non vertatur: Nam perpetuò illud ſufficientem caliditatem in ventriculo etiam frigidiſsimo retinere aperit nobis & ipſe Galenus dum inquit, Mel nunquam aciditatem admittit, quippè cum calidius ſit quàm vt vbi non ſuperetur aceſcat: Adde illius vſum maximè prohibere ijs, qui calidiorem corporis temperiem nacti ſunt; dum ait in ijs qui calidi ſunt, & ætate florentibus promptè in bilem vertitur; quippè calidum cum ſit vbi calido adiungitur mediocritatem temperamenti facile amittit ſtatimquè fit bilis non ſanguis, At non à ventriculo vniuerſi corporis caliditas emergit, immò frigiditas illius (vti conſtat) cum calida totius corporis intemperie frequentiſsimè complicatur.

in 4 lib. de facult. ſim pl. medic. cap. 17.

in 2. lib. de facul. nat. cap. 8.

NOVVS MODVS SE PRAECVSTODIENDI AB OFFENSIS PRAEGELIDO POTVI SVCCEDENTIBVS AB ALEXANDRO PETRONIO TRADITVS REFELLITVR. CAP. VIIII.

CREDIDIT & Alexander Petronius Medicus ætate noſtra clarus, præaſſumptum ius calens, aſſumentem præmunire omnino aduerſus quamcunquè ab eo reſultantem iniuriam, vti verba hæc apertè indicant, quæ apud ipſum conſcripta leguntur. „ Si quis aut antè, „ aut paulò poſt, quam Prandium, Cænamquè inchoauit, „ IVSCVLVM ALIQVOD ſatis calens potauerit; „ Subindè interpoſitis alijs cibis, frigidiſsimè bibat ac

in libro de victu Romanor. & de ſanit. tuenda cap. 13.

„ rebibat, hic ab omni frigidiſsimæ Potionis noxa ſe, aut „ ſemper aut perſæpe vindicabit. Vir iſte alioqui perſpicuè loqui aſſuetus hic inuolute loquitur, non explicans de quo iure intelligat, iccirco mentem illius aſſequi arduum ſat eſt, & quia particulam illam ALIQVOD addit, quæ cum ex ſe rem non obſcuram, & nonnulli precij pænes aliquos ſignificet, Non ab re fortè eſt conijcere illam ideo adnectere voluiſſe, quo nobis innueret, ſe de iure carnium intelligere, vel de iuribus quæ inter reliqua primas ferunt & humanæ naturæ valdè accomodata ſunt, iuxtà dictum Galeni, Iura Auicularum boni ſunt ſucci, quinimmo & Pullorum & vituli præcipuè lactantis talia ſunt, E Bouis carne longè minus, quamuis ſuculentius pinguiuſquè ideo ſit, quoniam in bouina carne pingue illud denſius eſt quam in vitulina, ideoquè minime exhalat ob ignem aquamquè pinguem reddit, Vitulinum ob raritatem etſi inſipidum ac quaſi inane remaneat, Proficuum tamen valdè eſt, & vnà cum reliquis ſibi ſimilibus temperate nutrit, Aluum lenit, humores æquat, Obſtructiones aperit: Inter hæc autem Pulli gallinacei iuuenis inſigne eſt ob virtutem ſibi à Galeno adſcriptam, tum abluendi temperandiquè acriora excrementa, ſed longè magis ob vim Epicerasticam ab ipſo nuncupatam ideſt mitigatoriam; Reliqua iuxtà Carnium diuerſitatem, quarum decoctione conficiuntur, prout ab enumeratis iam, & in primis à gallinaceo, magis minus vè recedunt, magis minus vè homini & accomoda ſunt. Sed quoniam IVSCVM quod Vir iſte vſitatiori vocabulo iuſculum vocat, indiſcriminatim dicitur de quocunquè liquore, cuiuſcunquè rei excoctæ, Et in preſenti caſu cuiuſcunquè rei tantumodo aptæ nutrire corpus humanum: Icc irco gratia additæ illius particulæ, noſtra intereſſe videtur expendere, Vtrum ſua hæc Aſſertio vllo pacto verificari poſsit, ſaltem de eorum Iuſculorum aliquo, quæ in frequentiori vſu apud

In lib. de remedijs paratu facilibus capite 15.

in 2. lib. de facult. alimétorum. in xj. de facult. ſimpliciũ medic.

Anti-

Antiquos olim erant, & apud non nunc quoquè extant:
ET PRIMO quòd non poſsit verificari de aliquo iure carnium patet, primò quia cum omnia aperiant vti oſtenſum eſt, nocent eo modo, quo præaſſumpta aperientia omnia nocere oſtendimus: Secundò quia nullum ius carneum abſolui poteſt, ni Pinguedo vi ebullitionis eliquata & ſeparata à carne, aquam pinguem efficiat magis vel minus, prout magis vel minus pinguis eſt caro, & illius pinguedo magis vel minus exhalabilis: Hac nempè via aqua ipſa iuris formam recipit; hinc ius omne ventriculum laxando ipſum labefactat: Pinguedo enim vti Galenus inquit oleoſa eſt & pauci nutrimenti, potiuſquè carnium nos alentium condimentum quàm alimentum, Quamlibet enim carne ſui generis, tum ad concoctionem, tum ad nutritionem eſſe ipſemet affirmat: Quod autem laxet etiam inſigniter, nobis & ipſe aperuit in tertio libro de ſanitate tuenda capite ſecundo dum pro abigenda partium, tum tentione & fatigatione, ea vt vtamur nos hortatur. Dum verò pinguem dicimus, duo hic intelligimus. Primò ſcilicet pinguem ſubſtantiam impartitam aquæ à vera eliquata pinguedine, ratione cuius ex modò dictis ad mentem Galeni, vnicuiquè ſat conſtare poteſt, aquam ipſam haud principaliter ſuſcipere veram Iuris formam: Secundò intelligimus ſubſtantiam alteram aquæ contributam, à quatuor illis humiditatibus de quibus agit Princeps. vi pariter intenſiori tamen ignis, eliquatis, meritò quarum Aqua & iuris naturam vnaquè & alendi facultatem principaliter contrahit, immò ita contrahit vt illis nondum eliquatis ius non ſit. Harum prima in foraminibus extremitatum paruarum venarum continetur, à quibus & in foramina oſsium transfunditur; ſecunda quæ per ſimplicia membra tranſiens illa irrorando humectat, quotieſcunquè à quauis ſit cauſſa exiccantur, Et interim eſt materia tertiæ, quæ tam proxima materia alimenti eſt, vt nulla

in 3. lib. de aliment. facultatibus cap. xj.

in lib. Hippoc. de ratione victus in morbis acutis cōmēto 4. cōmētatione 102.

In p. Primi doctrina 4. cap. primo.

ſit.

ſit proxim⸗or: Poſtrema quæ cum animata ſit non in ſe, ſed iuncta ſicco quod continuando vna conſtituunt Membra, quæ Animata ſunt: Hæc quamuis in viuente ſit primis tribus iam dictis minus perfecta in operari, quia non nutrit ſicuti illæ, eſt tamen illis perfectior in eſſe vitæ: in cadauere vero partibus illud integrantibus prout conſeruat figuram Animalis, vi ignis ſicut & Primi ſeparatur magna ſaltem ex parte, & cum illis ad iuris conſtitutionem concurrit, veluti apparet ex diminuta carnium ſoliditate poſt earum cocturam: Hinc meritò dicebat Ariſtoteles, Aſſata habent exteriora ſicciora interioribus, In elixatis eſt è contrario: A quibus tribus dictis humiditatibus primis, haud negandum eſt, aliqualem aquæ relaxandi virtutem impartiri, quoniam cum proxima ſint alimenti materia, pingue vt quid contineant neceſſe eſt, quamuis non ideò exactiſſime elaboratum, quia nondum conuerſæ in ſubſtantiam aliti, elaboratum tamen, & magis absquè comparatione quàm quod in vera pinguedine, Iccirco & plus de alente, & minus quàm ea de laxante facultate contribuunt: Inter quas & aliquis extat ordo iuxtà maiorem minorem vè, quam habent cum quanta illa humiditate ſiccum in membris continuante proximitatem: Ventriculus ſi quidem (veluti præter eam quæ ex traditis, iam in promptu eſt rationem, vnuſquisquè in ſemetipſo poteſt experiri) cum ſalſis, dulcibus & aliqualiter acerbis delectetur, & Adſtringentibus maximè: Quæ inſipida ſunt & Pinguia vtpotè omni adſtrictione prorſus carentia tam illi aduerſantur, vt nihil fortè ſit, quod magis: Ideò nec Ventriculum, nec Iecur aduerſus tantam læſionem, cum munire nequeant IVRA HAEC, nulla ſubſiſtit ratio quamobrem, & vniuerſum corpus, non laedatur & maximopere. NEQVE Auxilium hoc à iure cicerum poteſt expectari, quia aperit & ſtrenuè, Qua ratione Ictericis valdè conferre, vnà cum Auctore

In 4. libro Metherologicorũ textu 28.

libri

libri Galeno adſcripti de Cura Icteri, vno ore Medici omnes affirmant: Et longè minus à iure cuiuscunquè alterius leguminis, tum quia ventoſa ſunt legumina omnia teſte Galeno, Igitur & ventriculo priuatim inimica membrorum omnium multiplicationi flatuum, maxime obnoxio, tum quia cum & corpora omnia ea malè afficiant eodem Authore iuxtà etiam Hippocratis ſententiam, contingere non poteſt, quin ventriculus, cui integris ſuis, cum nocentibus viribus primò ocurrunt, primò afficiatur. Nec ſit qui adiumenti vel quicquam ſperet ex iure Braſsicæ, cum Braſsicæ omnis Primum decoctum habeat facultatem aperiendi, immò biſcocta illa in diuerſa aqua, nulloquè alio addito, etſi fiat adſtringens, in eadem tamen aqua aut iure bis, ius illud ventrem ſoluit: Et cuiuſcunquè ſpeciei illa ſit, quia eſt difficilis concoctionis, ventriculo aduerſatur: Sed adhuc longè magis quia graueolens, præterquam quòd enim in hortis putrefacta intolerabilem odorem exhalat, Decoctum illius de quo nunc loquimur humi vix effuſum ſtatim foetet: Oppoſita ſiquidem ideſt ſuaueolentia, & potiſsimum ſi adſtringenti facultate prædita ſint, Ventriculo Amica & valde ideo ſunt, quoniam & à Corde ſpiritus & à Iecore ſanguinem auocant naturali familiaritate, tenui terreaquè ſubſtantia quaſi ignita ea conſeruant: Graueolentia ob Anthipathyam tam ſtrenuè reijciunt, vt inermis remaneat aduerſus ictus hoſtiles iam dicti Potus Ventriculus ipſe. Nec Sit Qui Existimet Ius Album vocatum de quo toties Galenus loquitur vim habere vllam vindicandi, aut ventriculum, aut membrum quodpiam aliud ab innumeris explicitis iam paſsionibus, quæ illis impendent à tam formidabili errore: intenſionem proptereaquod tùm aperiendi tùm relaxandi facultatem continet, quàm reliqua modò explicita iura omnia, veluti ex ingredientibus à Galeno deſcriptis patet, dum inquit, Voco ius album cum

In lib. de Puero Epiliptico. In 3. libro Aphoriſ. cóm. 16.

in 4. lib. de ſanit. tuenda cap. x.

In 2. lib. de comparat. pharmac. ſecũdum locos. in 2. lib ad Glauconē cap. 10. & in libro de Puero Epiliptico

ſine garo, magiſquè etiam ſine ſuperuacua conditura; preparatur, anetho ſalequè cum oleo, & Porri exiguo in aquam coniectis: Quòd autem aperiendi inſignem habeat facultatem, ex Galeno clarè conſtat illud exhibente in febre ex obſtructione in octauo libro methodi capite ſecundo: Nec obſtat huic non poſſe ineſſe tantam vim laxandi, quantam iuribus carnium, propter abſentiam pinguedinis, quantumcunquè virtute aperiendi illa ſuperet: Nam præter oleum laxandi facultate præditum, adeſt & piſcium pinguedo: in eo enim iſtud apud antiquos veluti etiam apud nos parabatur gratia coquendi Piſces vti Galeni verba

In 3. lib. de facul. alimẽtorum cap. 30.

» hæc clarè oſtendunt, Album Ius ad hunc » modum fit, copioſam aquam primum inijce: De- » inde olei quod ſatis ſit adfundito, cum pauco anethi » & Porri: Deinde cum Piſces ſemicocti fuerint, Salis » tantum inſpergito, quod totum ius ſalſum nondum » appareat: Ita vt conſtet illius Apparatum ad Piſcium cocturam perpetuò directum fuiſſe. Nec Sit Qui Praerogativam Hanc, Nigro Ab Antiqvis Vocato Ivri Vllo Pacto Adscribere Avdeat, Cum ob ea quæ accipit iuxtà Coelij Rhodigini ſententiam, vti etiam ab Atheneo deſumpſit, nullo modo competere poſsit: Sanguini enim vt inquiunt, Adijcitur Laſerpitium, Sapa, vel Mel, vel Lac, & Caſeus cum odoratis folijs & acetho, Sanguini inquam haud ſanè pauco, quinimmò reſpectu additorum valdè multo, qua de cauſa illud Hæmatia dici, ideſt ſanguiculus ſeu ſanguis igne coctus ex Polucis ſententia refert ipſe Rhodiginus vbi ſupra: Quo fit vt non niſi ventriculo maximopere infenſum eſſe poſsit, ſanguis quoniam omnium pedeſtrium Animalium, teſte Galeno difficulter concoquitur, Et quocunquè modo paratur, aut coquitur, ſemper excrementoſus, atquè concoctioni

In 13. lib. cap. 25. lib. 7. cap. 36.

libro 7.

In 13. lib. de Alimẽ. facul. cap. 18.

coctioni contumax experitur: Et priuata quandam cauſſa ſanguis quocunquè modo affectus, ventriculum tangens cum malè afficit, ita vt nulla à rè etiam maximè lædente fortè magis lædatur quàm à ſanguine in eo coagulato: Præterquamquod ea omnia quæ ſine voluptate aſſumuntur, ideo ventriculo Amica eſſe non poſſunt, vti Galenus aſſerit, quoniam nec benè amplexatur ea, nec bene concoquit, Vnde & Nauſeæ, & flatus & fluctuationes ſubſequuntur. Et quamuis illud ex obſonijs apud Spartanos, hominesalioqui nullis Dapium Lenocinijs aſſuetos maximè probatum fuerit, memoriæ tamen proditum eſt, quendam ex Ponti Regibus, qui Coquum emerat Laconicum, quo id ex arte pararet, vix eo guſtato protinus offenſum, & maximè fuiſſe: Ita vt minime mirum ſit Galenum, cum quo nemo vnquam in ſcribendi diligentia fuit conferendus, vſqueadeo contempſiſſe illud vel fortè etiam abhorruiſſe, vt vno tantum in loco nominare vix dignatus fuerit; in primum videlicet Prorrheticè librum: Nec Obstat iuſcula iam enumerata omnia, iccirco munire poſſe, & ventriculum & reliqua membra aduerſus tantas læſiones, quoniam cuiuſcunquè temperamenti & facultatis ſint actu calida debent exhiberi, iuxtà mandatum Inventoris huius præſidij: Nam quantumuis negandum non ſit, internas noſtrorum corporum partes iuuari, quotieſcunquè Epulæ quibuscum actualis calor congruit, vi ignis calidæ iam effectæ à nobis aſſumuntur; Afferunt quoniam tunc prærogatiuam futuræ coctionis ad cognatum ſuum calorem naturalem: Tantum tamen effectum ab actuali caliditate ſola, qualiscunquè illa ſit produci non poſſe, & longè adhuc minus ſi in relaxante ſubiecto illa ſita ſit, ex Galeno clarè liquet iubenti ijs qui lætalia medicamenta deuorarunt, vt confeſtim vomant epoto hydrelæo: Quod aquam oleo conditam eſſe ipſemet interpretatus eſt. At quæ vomitum prouocant, tantum

In 2. lib. Aphor. cómento 38.

cómeto p. cómétatione 13.

In lib. de remedijs paratu facilibus ca pit. vlt.

in 2. lib. de

 abeſt

Antidotis cap. 7.

abeſt vt ventriculum roborent, vt laxando illum labefactent: Vomitus ſiquidem quantumuis aliquando à natura ſit, nunquam tamen ſecundum naturam eſt, hinc ſtomacho affecto illum deuitandum eſſe præcipit: Adde Galenummet hydrelæcum, quodamodo contradiſtinguere dato quòd non explicitè ab omnibus verè roborantibus ventriculum; Ea enim vt à nobis primò mutationem ſuſcipiant, calidaquè vt ſint potentia potius quàm actu, atquè adſtringentia velle videtur: Propterea Diatrion pipereon, Piper ſolum, atquè Abſinthium proponit: NEC SIT qui obijciat præſidij Auctorem, non de tepore intelligere, à quo vomitus prouocationem iuuari non eſt, qui non aſſerat, quinimmò potius de calore etiam ſatis intenſo, veluti clarè verba illius aperiunt, Inquit enim IVSCVLVM ALIQVOD SATIS CALENS POTAVERIT: Nam cum tantum habet de actuali calore, vt innoxiè bibi poſsit, & valdè parum gradus teporis excedat neceſſe eſt, nam cum multum excedit impotabilis efficitur teſte experientia: Quod ſi eos admodum excedere pertinax aliquis contendere velit, Fateri proculdubio coactus erit, illud adhuc magis officere ob inſigniorem, quam ſui intenſionis actualis caloris penetrandi, cum celeritate facultatem continet, meritò cuius ita preparat iter gelidæ potulentæ materiæ, vt non niſi protinus illa ſuis cum integris ferientibus viribus poſsit, vbicunquè ſibi permiſſum eſt peruenire.

In 13. methodi cap. 23.

In p. libro ad Glauconem cap. 14.

HO

HOMINVM GELIDE' NIMIS POTANTIVM CONDITIONEM, EORVM LONGE' DETERIOREM ESSE OSTENDITVR, QVI LAETALIA VENENA ETIAM PLVRIES ASSVMVNT.

CAP. X.

IAM itaquè ex his tam perſpicua eſt veritas hæc, vt nulla res eam infirmare poſsit; Deteriorem cum eſſe plusquam perſpicuum ſit, hominum gelidi nimis potantium conditionem, quàm ſit eorum, qui venena læthalia etiam pluries aſſumunt. Nam præterquamquòd poteſt vnusquiſquè, ni ſummè imbecillis ſit, vel ſenio confectus (Nemo quorum gelidè bibere ſi audeat, poteſt non mori & breui.) Ab illius vi liberari, quotieſcunquè Mulo exenterato, capitequè prominente, ſtatim dum adhuc feruet, ſic inſeratur, vt tamdiu in eo iaceat, donec liberetur, Et vno non ſufficiente Alter iterum immediatè poteſt exenterari: Hoc nempè modo conſtat CESAREM BORGIAM VALENTINVM DICTVM Alexandri Sexti Pontificis filium, ſolo hoc præſidio euaſiſſe, multisquè poſtea annis multa facinora patraſſe: SVNT ET QVAE preaſſumpta, omnino prohibent veneni impreſsionem, veluti eſus Lactucarum, æſtate cum copioſo oleo buthirouè, Vel interanea Boum præpinguium hyeme: Illæ nempè ſua tùm frigiditate vnctuoſitatequè multa, Et hæc iurium pinguedine eorumquè ſubſtantiæ craſsitudine, Et veneni penetrationem inhibent internas vias obſtruendo, & erodentem ingeſti etiam Arſenicj, Riſagalliquè vocati acrimoniam obtundunt. Immò & Venena non poſſe niſi parum nocere, vbi Ventriculus cibarijs fuerit valdè repletus, Et Auicenna ſcriptum reliquit, Et ante illum Dioſcorides

in 7. queſt. tractatu p. cap. p.

des in præfatione ſexti libri. Immò & Matheolus ibidem Circumforaneos via hac præmunitos, antequam Sugeſtum aſcendant Populos raude circumuenire teſtatur, rè vera dicta iam Venena deuorantes, Quæ cum deſcendunt, ſeſequè in hoſpitium recipiunt, confeſtim vnà cum præaſſumptis ſeu Lactucis, ſeu bubulis interaneis, arte quadam euomunt ea die nihil aſſumentes præter Lac, Quod ſæpius alternatim potant, vomuntquè & reuomunt: Et ſic à tanto periculo, cui ſe ſingulo anno pluries exponunt pluribusquè in locis euadunt, quia Venenum antequam ventriculi tunicas tangat, reijciunt: At qui gelidum immodicè potum aſſumunt, quoniam illum retinent, tum quia nemo eum euomere tentat, nec ſi tentaret voti ſui compos fieri poſſet, Ni prævalido vomitum ciente medicamento poſt biberet, Fauet ille quoniam ſi quid aliud, retentioni ob frigiditatem: Propterea tot detrimenta à nobis explicita nulla arte deuitare poſſunt, Detrimenta inquam, qualia ab aſſumptis nec reiectis vlla arte venenis, hominibus ſuccedere conſueuerunt: Potus enim iſte omnino inter venena recenſendus eſt: Quæ cum in duplici diſcrimine ſint, Nam illorum quędam ſunt, quæ omnino perimunt, quorum claſsis eſt, Potus de quo nunc loquimur cum à valde æſtuantibus hominibus aſſumitur, iuxtà tum Dioſcoridis ſententiam, vbi de venenis & iuxtà experimenta Magnorum Virorum de quibus abundè ſupra, iam pertractauimus. ALIA SVNT Quæ perimunt non immediatè, ſed prout Lætales affectus varios inferunt, qui ſtatuto poſtea tempore perimunt, Quod modò breue eſt, modò ſat longum, modò medio ſe habet modo, iuxtà maiorem minoremuè reſiſtentiam ex parte Potantis, Et temporanea meritò vocari poſſunt ob duas, quæ illis inſunt proprietates; Prima quarum eſt, vt ex illis plerisquè omnino pereant & intempeſtiue: Secunda vt ſenſus Læſionis parum differatur: EX HVIVSCE

In 7. libro cap. 34.

Potus

Potus vſu, quoniam plerique læſionis euidentem eadem etiam die ſenſionem percipiunt: Et eorum eſt nullus qui vi illius, lætali morbo non corripiatur ſiuè acutus, ſiuè diuturnus ille fuerit ita docente, vnà cum illuſtribus, hinc indè adductis Authoribus quotidiana ſenſibili experientia, & ante elargitam à Svmmo Opifice Diem non pereat Nemo Sanè Erit, qui propriæ incolumitatis, læuem etiam rationem habens, cuiuſcunquè temperamenti, ætatis, ſexus, Regionis, ſtudijque ille fuerit ſumma in ipſum maleuolentia ſuffuſus, tamquam Venenvm Perpetvò Perimens, non abhoreat ac deuitet.

VTRVM VELVTI ALIQVANDO LICET, ARTE POTVLENTAM MATERIAM NON SAT FRIGIDAM AD TEMPERATAM FRIGIDITATEM DEDVCERE LICEAT, ET CVBICVLORVM AEREM, AD EANDEM REDIGERE. CAPVT. VLTIMVM.

HISCE abſolutis, quoniam extitere aliquot Amici, Viri profectò ſummo ingenio ſummaquè virtute præditi, qui nos exorarunt, conſilium noſtrum vt exponere vellemus, an veluti licet, quoniam cuſtodiæ valetudinis confert, certa aliquando arte ad temperatam frigiditatem potulentam materiam deducere: Conferat & cubiculorum aerem, dum nimio æſtu plus iuſto calet, aliqua arte ad eandem redigere: Permultæ quorum auctoritati cum deeſſe non potuerimus, Nec præſtanti ab ipſis oblatæ nobis occaſioni debuerimus: Præ-

Præterquamquòd enim Affines inter ſe, ſat ſunt refrigerationes illæ, quæ homini ab vſu prægelidi potus adueniunt, his quæ ex præfrigerato cubiculorum interclufo aere eiſdem accidunt, Et effectus tàm ſecundum naturam, quàm præter naturam ab illis emanantes, prout intenſius remiſsius vè agere aptæ ſunt, non diſsimiles admodum: Nemo hucuſquè rem hanc ex profeſſo, tam ſcitu dignam neceſſariamquè monumentis comendauit: IDEO VT IAM TRADITIS EAM CONFERAMVS, DICIMVS in primis longè magis neceſſarium eſſe aeris æſtum corrigere, quàm refrigerandi quacunquè ſit arte, potulentam materiam ad temperatam diſpoſitionem deducere. Primò quoniam inter cauſas corrumpentes calorem innatum, ſecundum illius quantitatem, à Galeno recenſetur: Nam cum circunſtantis aeris calor ingens inmoderatusquè fuerit, naturalem calorem extrinſecus euocat, ipſumquè ita diſpergit, vt tandem langueat, & cum eo animantis vita deficiat: Ita vt læſio maxima ſit, & communis: Officit & generaliter, quoniam non quemadmodum deberet inſeruit, reſpirationi, Quod ex prolatis ab Ariſtotele hiſce verbis clarè patet, „ Clarum enim inquit eſt, ſi ſeruari calorem oporteat, „ quod ſanè neceſſarium eſt, ſi animal victurum ſit, quan„ dam fieri caloris refrigerationem oportere; Quam ad vnguem ſententiam, & ipſe Galenus in libro de vtilitate reſpirationis inſectatus eſt: Et quomodo æſtuante aere continuò inſpirato, congrua fieri poteſt reſpiratio? Et eo maximè quoniam teſte Galeno, aerem refrigerantem plus cæteris membris requirit pulmo, Sed & præter hanc læſionem alteras & afferre innuit Galenus nobis inquiens, Aer qui nos ambit prius non offendit quàm ad immodicum calorem frigus vè eſt immutatus: Qualis autem ac quanta ſit læſio exprimebat ipſe dicens, ſi immoderatius ille cale-

In lib. de cauſis morborũ cap. tertio.

In lib. de iuuentute & ſenectute cap. 3.

In x. libro methodi cap. 8.

In lib. de inæquali intẽperiæ cap. 6.

calefiat, vel frigeſcat, vel humeſcat, vel ſicceſcat, corporum Symmetriam quæ ſanitas eſt confundit, interturbat, ac corumpit: Et adhuc quomodo id peculiariter efficiat, explicuit aſſerens in aeris ambientis qualitate calida, & ſicca febres tertianas fieri: Ita vt Cubicula tunc temporis, ad temperatam frigiditatem redigenda eſſe dubium iam nullum ſit. AT DIFFICVLTAS EST DE MODIS, vt vndequaquè ſalubres ſint: Igitur quot hucuſquè excogitati fuere, in vſuquè ſunt toto propemodum in Orbe terrarum, veniunt examinandi: ILLORVM AVTEM DIFFERENTIAE primariæ, duæ eſſe videntur Poſitiua ſcilicet & Priuatiua, Poſitiua autem tripartita eſt, & MODI illius Particulares quatuor; SVNT igitur, qui a ſurſum in deorſum refrigerant, Aliqui Poſitionis oppoſita differentia, a deorſum videlicet in ſurſum, Sunt & qui lateraliter: Primæ quarum differentiarum primus indiuidualis modus talis eſt (quem apud Hormi incolas in vſu eſſe ferunt, quæ inſula eſt in ſinu Perſico) Hi Tubos a tecto excitant, extantes admodum, ad Aluei figuram latioris, Quos nouo excogitato vocabulo ANEMOCAMINOS, ideſt flatus fouentes apellare placuit Iuliocæſari Scaligero: Quorum cum ſinguli ſingula in parte quadrangularis domus conſtructi ſint, & ita, vt vento quouis cuiuſcunquè Regionis potiantur, excepti illi præterfluere nequeunt, quinimmò demittentes ſeſe per canales ad Cenacula, quorum contignationes perfoſſæ atquè peruiæ ſunt, æſtiuos calores temperant: ALTER EIVSDEM DIFFERENTIAE MODVS, In Aegypto in more poſitus, talis eſt, Altiſsimas Turres extruunt, in quibus Anfractus anguſtiores obliqui, aerem deducunt frigidiſsimum: Et quia à locis exceptus purioribus frigidior, Et quoniam ob ſpacij longitudinem, magno impetu fertur, ideo frigidiſsimus euadit, & vehementius imprimit: Externus vero calor à muri craſsitu-

In Primũ de morbis vulg. commẽtario p. circa initium. in 2. lib. de differẽtijs febrium cap. p.

In 85. aduerſus Cardanũ exercitatione.

dine

dine arcetur, Et loci obliquitas radios ſolares impedit nè ingrediantur admiſſa luce. MODVS HISCE OPPOSITVS, quò ad locum à quo materia refrigerandi excipitur (vſitatus vt ferunt apud aliquos nobiles Bononienſes) talis eſt; In Domorum inferioribus cubiculis, immediatè ſuper Cellarum vinariarum fornices poſitis, vnum vel duo, aut quotlibet Oſtiola, fornicibus ipſis perforatis extruunt, Per quæ ad libitum recluſa flatus excipiunt: Huiuſcemodi videre alibi mihi contigit quamuis alio fine extructa, gratia videlicet demittendi contuſas vuas in Cellismet vinarijs Vindemiæ tempore: Quibus æſtate quandoquè recluſis rem ad vota ſuceſsiſſe comperij. Ferunt MICHAELANGELVM BONAROTVM, Romæ in inferiori Aula cuiuſdam nobiliſsimi Palatij vnicum Oſtiolum extruxiſſe elegantiſsimum, & ita aptatum, vt inſignis per ipſum venti frigefacientis copia aſcendat. SVNT ET QVI AD AEDES refrigerandas Tubos conficiant, Nonnulli & ſat anguſtas vias quaſdam, vtrinquè ſedulo clauſas, præterquam in extremis partibus, vnà quarum excipiunt ventum, altera qua contribuunt: Per quæ duo Organa etſi omnibus in rebus operationem hanc concernentibus conuenientia dempta figura & capacitate, venti in latus deferantur: Bipartita tamen ſunt, Nam aliqua à libero aere ventos, tum à ſalutaribus radijs ſolaribus, necnon ab aeriſmet benignitate correctos (ſi fortè aliqua correctione egeant) excipiunt, Ora quorum excipientia, Regioni ſalutares alioqui ſuaptè natura Flatus tradenti oppoſita ſunt: Nonnulla & eſſe poſſunt, quæ ſitus vitio flatus à regione nocuos ventos ſpirante ſuſcipiant, vel etiam à ſpecubus illos inmediatè hauriant, eisdem qualitatibus imbutos, quas à natura loci in quo orti ſunt contraxere: Quales COSTOZIAE in Agro Vicentino, illas eſſe ope quarum, Rurales ſuas ædes TRENTOS nobiliſsimos Patricios Vicentinos æſtatę

refrigerari ſcribit Andreas Palladius: Ex vaſtiſsimis ſiquidem Montium ibi exiſtentium Caueis, ex quibus Antiqui (vti ipſe opinatur) genus quoddam Lapidis extrahere conſueuerant, Quod ſerra teſte etiam Vitruuio, non ſecus ac Ligna incidebatur: Per anguſtas fornicatas vias quaſdam ſubterraneas, quas generoſis illis Viris, Venti ductus apellare collibuit: frigidiſsimos inde exeuntes flatus, ad proprias ædes peruehunt: quos & per Cubicula omnia, nec niſi miro poſtea artificio, iuxtà libitum diſtribuunt. Inter quæ vnum extare narrat ſubterraneum, à Franciſco eiuſdem familiæ præſtanti Viro exedificatum, ob ſui vnà cum elegantia nouitatem ſanè admiratione dignum, VENTORVM CARCER SEV EOLIVM ab ipſo ideo nuncupatum, Ad illud quoniam non vnum aut duo dictorum Ventiductuum, Ora terminantur, quinimmò quotquot ibi extant, hinc inde varios diuerſoſquè ſpiritus deferentia. PRIMVS HORVM MODORVM, non poteſt non damnari, quia cum ventis omnibus ingreſſum præbeat indiſcriminatim, igitur æquè proficuis atquè nocentibus: Et omittendo illos qui non primitus lædunt, quales ſunt puluerulenti, veluti Ecnephias & Tiphon, excipit calidos & humidos, veluti omnes qui à meridie ſpirant, ſeu directè, ſeu lateraliter, Quos omnes AVSTRI nomine vocare, ideo Hippocrati placuit, quoniam illius naturam aliqua in parte ſapiunt, quamuis omnibus veluti verus Auſter non vndequaquè graues ſint: Autumno enim ea parte, quà ille ſpirat primum folia arboribus decidunt, Aedificia collabuntur, atquè ruunt: Semina gurgulione ac verme exeduntur, fructus putreſcunt: Et quod ad rem noſtram maximè facit, hominibus ſæpiſſimè morbos & pernitioſos parit teſte Hippocrate: Illoſquè ſemper dum ſpirat grauidiores inualidioreſquè reddit Auctore Ariſtotele, vigeſimaſexta Problematum ſectione problemate quadrageſimoquarto, ita vt varian-

In p. ſuæ Architecturæ libro cap. 17.

In 3. libro Aphor. 5.

Vbi ſupra, & in 17. eiuſdē libri Aphoriſmo.

tibus ventis mirum non ſit corpora noſtra protinus atq; eo vſquè mutari, vt quoſdam in lecto cubantes, ex alteratione circa caput facta, quis ventus ſpiraret agnoſcerent, ſe agnouiſſe teſtatur Galenus: Propterea dicebat Hippocrates in libro de ſacro morbo pagina ſexta, Aquilo & Auſter maximè contrarij ſunt, loco & viribus: Nam Aquilo purgat aerem, pellucidumq; reddit: Humidum & quod turbatum eſt, ex illo, tùm etiam è corporibus ipſis hominum propellens, ob idquè etiam omnium ſaluberrimus. Auſter vero calefacit & humectat omnia atquè obtenebrat etiam Solem & Lunam & Sydera: Et librans conſtitutionem, ab vtroquè illorom prodeuntem, vel potius à ventis omnibus frigidis ſiccis, primò quam Aquilonianı vocat, quamuis inter eos nonnulli ſint occidentales; Et emanantem ſecundò ab omnibus ventis calidis & humidis, quam Auſtrinam vocat, etſi inter illos nonnulli ſint orientales:

In lib. de Theriaca ad Piſoné cap. xj.

In 3. libro Aphor. Apho. 17.

» Sic inquit, Quotidianę autem Conſtitutiones Aquiloniæ quidem corpora denſant, contendunt, & bene mobilia, & coloratiora, & melius audientia faciunt, & Aluos exſiccant, Oculos mordent, Et ſi pectus dolor aliquis obſederit, dolorem augent: Auſtrinę diſſoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & vertigines faciunt, oculis atquè corporibus difficilem motum præſtant, Et aluos humectant. Ita vt planè perſpicuum, ſit veluti ingreſſum, cuiuslibet venti frigidi & ſicci, & locis vnaquè & in illis contentis humanis corporibus, multa bona contribui, ita in ingreſſu cuiuſcunquè venti calidi & humidi, non modò nihil boni, verùm & mali plurimum:

Nec Obstat enumerata, iam bona non in omnibus humanis corporibus, aquilonijs conſtitutionibus vagantibus ineſſe; Sat enim nobis eſt, in illis vti Galenus in commento teſtatur adeſſe, qui ſalubre corpus nacti ſunt, quorum cubicula æſtuante aere ad tempe-

ratam frigiditatem redigenda eſſe, hic meritò ſuademus: Nam de ſpectantibus ad victum illorum, quæ talia non ſunt, non eſt præſentis inſtituti. PARITER NEQVE OBSTAT aliqua mala, vti ex aphoriſmi verbis conſtat ad aquiloniam conſtitutionem conſequi, Quoniam reſpectu malorum, quæ ab Auſtro fiunt ita interpr æstante Galeno paruiſsima ſunt, & modicè moloſta: VEL dicamus tunc cum tales ventos ad cubicula peruehendos ſuademus, illorum vim vſqueadeò ob aeris æſtum a loci ſuſcipientis diſpoſitione obtundi, vt officiant nihil, omnino proſint: Modus itaquè ille à motis anemocaminis nouos ventos excipientibus, & derelictis tantummodo illis, qui ſalutares recipiunt, poterit corrigi & erit ſalutaris: ET Regula hæc corrigendi abſoluta erit, quia omnibus regionibus communis; Non enim omnes venti reſpectû cuiuſcunquè regionis ſeruant eandem diſpoſitionem: nam auſtri in Africa frigidi ſunt, vti apud nos aquilones, ita teſtante Ariſtotele, Sic & orientales venti, quibuſdam ſicci ſunt, quibuſdam humidi vt nobis, mare quoniam nobis orientale eſt. SECVNDVS PRIMAE DIFFERENTIAE MODVS, tam ſalutaris eſt, quam ad exequendum difficilis ob ſumptum, veluti ex illius deſcriptione clarè patet: Quæ difficultates parit, Prima quarum eſt, quomodo aer moueatur deorſum, & magno cum impetu, ex quo eſt corpus ſimplex, quorum vniuſcuiusquè, vnus tantum motus ſimplex naturalis eſt, teſte Philoſopho; Et conſtat illum ferri à medio ſurſum verſus. SECVNDO cur per anguſtam viam ingrediens vehementius imprimat: POSTREMO quomodo talis refrigeratio poſsit eſſe continua ſeu voluntati refrigerantis obediens, cum ſit quod actio illa non ſit, a principio intrinſeco ipſius aeris deſcendentis. AD PRIMVM Dicimus ignem & aerem præter rectum motum ſurſum, moueri & motu circumactionis ſeu vertiginis, qui motus veluti, nec vere

in 26. probl. ſectione problemate 51.

In p. libro coeli.

circularis, ita nec ſimplex, vt aliquibus videri poteſt, eſt enim compoſitus ex pulſu & tractu: quo fit vt dictorum duorum elementororum ſpheræ, non moueantur vniformi eademquè velocitate, iuxtà quamcumquè ſui partem; Illarum enim quædam velocius, nonnullæ & tardius mouentur. Dum igitur aeris partes mouentur, & ſupremis dictarum turrium peruijs partibus occurrunt ſeſe inſinuant, nec niſi magno cum impetu, quoniam pari impulſu illato aeri exiſtenti in proprio, & naturali loco pronius deorſum, quàm ſurſum fertur, ita teſtante Auerroe, Motus enim aeris impulſi ad ſurſum propinquior eſt motui violento, quàm motus eiuſdem impulſi deorſum, grauitas enim mediorum elementorum in ſuis locis, eſt maior leuitate eorum, veluti illorum experimento patet, qui in altioribus locis vociferant, aut ſonant, qui diſtantius audiuntur, quàm qui idemmet humilioribus in locis idem præſtant: AD SECVNDVM DICIMVS, ideò vehementius imprimere, quoniam propter loci anguſtiam totum impetum cogit, exemplo aquarum in fluminibus magnis, quæ cum vix fluere videantur per anguſta loca deductæ conatu magno, ac ſtrepitu, tùm fragore immenſo coguntur erumpere. TERTIO DICIMVS refrigerationem hanc non poſſe non eſſe continuam, & refrigerantis voluntati obtemperantem, Quoniam cauſa efficiens dictę iam circumactionis aeris eſt corpus cæleſte circulariter motum, ratione coniunctionis cuius cum igne prout ille continentis, & iſte contenti habet rationem; Qui motus etſi tamquàm ab extrinſeco principio ab ipſo igne ſit reſpectu aeris ſecum coniuncti, & de quibus non eſt dubium, quoniam ab Ariſtotele approbantur: Immò & ab ipſo ſenſu ex impreſsionibus ignitis vti ex cometis, quæ motummet coeli inſequuntur, Continuo enim in directo eiuſdem aſtri apparent, & ſemper ad eandem differerentiam poſitionis mouentur: Etſi inquam ab extrinſeco ſit principio minime tamen eſt violen-

In 4. libro cœli cóm. 29. & 39.

In p. libro metheorologicorum cap. 4.

violentus quia perpetuus, Nec eſt naturalis vti affirmat Sueſſanus inſequens Platonem, Nec partim naturalis, & partim violentus vti Parrhiſienſes, Albertus Magnus & omnes propemodum latini aſſerunt: At inter illos medius, igitur præter naturam: Et Ariſtotelis dictum quo ſupra affirmat ſupremam tantum aeris partem ab igne moueri, quia illi contigua eſt, reliquas vero minime: Ideo vndequaque obſtare non videtur, quia ipſiusmet aeris ſecunda regio per ipſum eſt continua primæ, & non contigua, & tertia eſt continua ſecundæ, ita vt arduum videatur ſupremam moueri reliquis immotis remanentibus, & eò potiſsimum quoniam ipſe cauſam motus primæ regionis reijcit in ſolam contiguitatem, quæ eſt inter ipſam & ignem, quæ ad hoc minus conferre videtur quàm continuitas: At maneat in ſuo robore dictum tanti Viri, indicio eſt aerem duarum etiam inferiorum regionum perpetuo moueri, quòd in anguſtis locis aura ſemper ſpirat: Et hoc ratione ventorum, nunquam immotus eſt ait Galenus, etſi motus, quia paruus aliquando ſit, nos fugiat: Placuit & GASPARI CONTARENO Cardinali, & Phyloſopho præſtantiſsimo, ſuo in ſecundo de elementis libro addere & merito tamquam cauſam mouentem, cœleſtem illam qualitatem, qua elementa omnia fouentur, omniaquè vna dempta terra mouentur: Hanc ſuperiores Phyloſophi Influentiam vocarunt, quæ inſenſibilis qualitas quædam eſt in ipſis à coelo impreſſa, veluti & illa qua magnes ad ſe trahit ferrum: ratione quarum cauſarum ſtante iam adducta ad Locum deorſum totius illius propenſione, maiori quàm credi poſsit cum impetu, prolabitur, venti namquè e ſublimi per tranſuerſum cum ferantur, pauca depellunt cum obſiſtentia: Quò fit vt camini (veluti egregij Architecti experientia ducti teſtantur) æquè ob eorum imoderatam anguſtiam, ac latitudinem in cauſa ſint, vt cubicula fumo repleantur, nam ea veluti exitum illi prohibent,

3. in tertiũ de morbis vulgarib⁹ cõmẽto p.

hibent, ita hac non quantum eſt opus repellentibus aeri, & ventis reſiſtunt. QVO AD SECVNDVM MODVM refrigerandi qui à deorſum in ſurſum ope ventorum aſcendentium à cellis vinarijs per oſtiola ad ſuperpoſita cubicula abſoluitur: DICIMVS illum poſſe nocere, & iuuare iuxtà variam cellarum à quibus illi aſcendunt diſpoſitionem, Nocebit itaquè ſi cella humida erit, & adhuc magis ſi illius feneſtræ calidos & humidos qualeſcunquè fuerint ventos excipiant, Et magis adhuc ſi verum auſtrum, ſeruantem illas proprietates, quas illi Hippocratem attribuere iam aperuimus: Et quamuis feneſtrę ſeptemtrionem aſpiciant, ſi humidę erunt cellæ non poterit non nocere, quoniam loca per quæ venti tranſeunt, ita eos afficiunt vt illorum qualitatibus immiſceantur: Nocebit etiam ſi cella ſit frigida & ſicca, quotieſcunquè feneſtris erit prorſus deſtituta, qualis Senis reperiri iam diximus, Et hoc ob aſsignandas paulò infra rationes: IVVABIT igitur quatenus ad modum ſpectat, ſi Cella frigida & ſicca erit, atquè ſalutares ventos excipiens. TERTII MODI PRIMA DIFFERENTIA, quà ſiue per Tubos, ſiue per anguſtas vias, lateraliter ſalutares Auræ excipiuntur, aprobanda & prorſus eſt, & absquè controuerſia: SECVNDA vero reprobanda, qua etſi vijs eiſdem nocuos attamen ſpiritus, vel Regionis defectu ſuſcipere coguntur, vel ob inſcitiam aliundè non procurant: SED POSTREMA LONGE MAGIS adhuc reprobanda eſt, dicente Hippocrate venti qui à Montibus prodeunt, turbant ſpiritum & morboſa corpora hominum reddunt; in ipſis ſiquidem illorum quandoquè Origo ſentitur, quæ triplex eſt, à Vibratione ſcilicet ab exhalatione & à ſpecubus, Cum tamen hi à libero aere aliqua ex parte corrigi poſsint, Non uſqueadeo tamen quin non ſine nocui, Nocuus enim & valdè Aer eſt, circa internas illorum circumcingentes Valles ſuperficies: Nam

in 2. lib. de Dieta pagina 2.

Gale-

Galenus optimum aerem poſtquam in Pulmones trahere omnibus ſalubre eſſe dixit, Maliquè confeſtim conditiones enumerans ait, Nec qui editis vndiquè montibus in cauo loco cluſus nullum recipit perflatum, ſuffocans enim putriſquè eſt ſimilis ei, qui in domibus quibuſdam eſt incluſus, quibus ob putredinem, & perflatus defectum plurimus aceruatur ſitus, qui enim talis eſt, omni planè ætati eſt noxius, ſicut e diuerſo qui purus omnino eſt, nulli non ætati eſt vtilis: Sed hæret magis adhuc huic veritati dum inquit; Venti aerem contaminantes, qui ſpirant ex Barathris Charonijs morbos generant: Præter multa enim alia incommoda Syncopim inferunt, veluti nobis aperuit, cum ſermonem habens de affectibus quibus illa exoritur remouendis, præcipienſquè ſubſtantiam, quam inſpiramus, ab omni inquinamento puriſsimam eſſe debere, ſtatim addidit, ita vt nec aliquid ex metallis, aut Caminis, aut Barathris ſibi admiſceat. SED AD HOC vt cubiculorum refrigeratio ventorum ope abſoluenda vndequaquè ſalutaris ſit, præter ingredientium ventorum ſalubritatem omnimodam, Tres vt perpetuò conditiones adſint operepræcium eſt, Quarum PRIMA eſt, vt dum venti ingrediuntur vel homines non adſint, Vel ſi adeſſe voluerint, Ori vento ingreſſum præbenti, è directo locati non ſint, Aduerſatur quoniam illa actualis percuſsio toto corpori, & maximè Neruoſo generi, ita Galeno docente: SECVNDA eſt vt poſtquā ingreſsi fuerint venti & aerem alterauerint, locū habeant, per quem exire poſsint, fieri enim cum vix poſsit vt venti, quamtūcunq; ſalutares, vel nocuum aliquem ſecum vaporem non deferant, vel à præxiſtente in loco ad id diſpoſita materia non concitent, Malum eſt ſi extrà cubiculum non traducantur: ET REGVLA HAEC Galeni eſt, ideo reprehendentis defectum ventorum, quoniam morbos pariant, præſertim cum praui vapores eleuantur, qui à vento transferri non poſſunt, At paria ſunt ventos abeſſe præ-

in p. lib. de ſanitate tuenda cap. xj.

In P. de morbis vulg. cō mē. p.

In 12. lib. methodi cap. 5.

In lib. de officina Medici cap. xj.

In 3. libro Aphor. comēto p.

ſentibus malis vaporibus vel ſi adſint aliorſum illos tranſ-
fere ipſis prohibitum eſſe: POSTREMA CONDI-
TIO eſt vt veluti de potulenta materia proditum eſt, ad
temperatam frigiditatem cubiculorum Aer redigatur:
Quæ noſtris in Regionibus ideo magis attendenda eſt,
quoniam frigidiores veluti & alij propemodum venti om-
nes validius agunt, quàm vel in frigidiſsimis, in quibus
ob Agentis inbecillitatem, Vel in calidiſsimis Regio-
nibus, ob materialis illorum Principij exiguitatem,
Minores Venti ac Rariores ſunt quàm a medijs: NAM
temperatè frigidus veluti animal recreat innatumquè ca-
lorem cuſtodit, ita frigidiſsimus tot modis officit, quot
alibi à nobis vnà cum Ariſtotele & Galeno declaratum
eſt: Ipſum ſiquidem vſqueadeo formidat Galenus, vt
quamuis febricitantibus aliquando gelidam aquam exhi-
beat, quin minus tamen eum illos contingat apertè pro-
hibet; Nam tantæ actiuitatis eſt, vt cum præter mo-
dum frigidus eſt ipſomet Auctore, Lucernam & paruum
ignem ſub Dio extinguat: Quo fit vt bonæ valetudi-
ni vitæquè diuturnitati non poſsit non maximopere ad-
uerſari. SVNT, & qui patentibus omnino feneſtris
atquè Oſtijs, æſtate eant dormitum, quò cubiculorum
aer ab extrinſeco nocturno ingrediente aere præfrige-
ratur, At non abſquè euidenti magnoquè iacturæ ſani-
tatis periculo: Nam cum veluti vigilantes euidenter
vti inquit Hippocrates, extimas corporis partes calidio-
res habemus, internas verò frigidiores, ita & dormien-
tes è contrà, Quò fit vt etiam ſuadente in Commento
Galeno noctu & plures veſtes, & plura tegumenta neceſſa-
ria ſint: Tunc temporis igitur Propugnaculum quod-
cunquè aduerſus externam frigiditatem diminuere nò-
cuum & valde eſt: At Error iſte multiplicatis ſtragulis,
capitiſquè aeri maximè expoſiti tegumentis aliqua ex
parte corrigi poſſet, Ni alter longè maioris momenti,
atquè omnino ineuitabilis ſubſequeretur, Et eſt quoniam
noctur-

8. lib. methodi cap. 8.
In lib. de cauſis morborũ cap 3.
In 6. libro Epidemiorũ textu 14.

nocturnus aer quippe qui frigidior & craſsior abſquè comparatione exiſtens quàm diurnus, Caput & Thoracem ingrediens immodicè implet, Subinde obſtruit, Deſtillationesquè excitat multorum malorum radices, & potiſſimum ſplendente Luna. Adde cum non poſsit non occurrere extimæ cuti, ob contrarium calorem nimis rarefactæ eam neceſſario conſtipat, & Mala quæ hinc ſequi conſueuerunt inducit. SVNT QVI OPPOSITVM meridianis horis præſtantes, Cubicula ſalubriter etſi priuatiuè (ET HAEC ERAT SECVNDA A nobis propoſita DIFFERENTIA) refrigerent, ſedulo ſiquidem & fæneſtras & Oſtia claudentes ab ipſis non ſolares modò radios; ſed & calentem ingreſſurum aerem ſtrenuè arcent: Qui mos tota propemodum in Europa in vſu eſt. POSSVNT ET HABITATIONES non omnino reprehenſibiles extrui, quæ repetito dicto iam Aperturas claudendi auxilio non egeant: Nam ferunt in elegantiſsimo Palatio SERENISSIMI MAGNI DVCIS HETRVRIAE, ſupra Caiani vocati Collem extructo, ſat magnam Aulam extare, A Cubiculis quoniam quatuor, ſuis in quatuor angulis circundatam, ideo & fæneſtris carentem: IN QVA VERE accedente frigidus Aer per Antiperiſtaſim intruſus, quamdiu calores durant talis conſeruatur: Solares enim radij ideo ingredi non poſſunt, quoniam per quatuor ora duarum viarum, ſe mutuò ad rectos angulos interſecantium, tam ab ipſa diſtantia vt ingredi nequeant, Lumen ſuſcipiat; Vbi nec calidus aer tanta inuenta obſiſtentia ingredi poteſt: Et quamuis tanta luminis copia ingrediatur, quanta pro ea exactè illuminanda ſat eſt, Quia tamen vel abſquè aere, Vnum cum Lumen natura aptum ſit, aliud producere vſquè ad certum ſpacium, Vel cum tam pauco, vt ingrediens ille intus præexiſtentis multi naturam induat confeſtim: Et quamuis Lumen ipſum calefacere poſsit aerem, quia tamen ſpiri-

tuale,

tuale, eſt enim Imago Lucis non niſi per accidens, quatenus ſcilicet reflectitur: Nam ſi ſecus per mediam aeris regionem continuò tranſiens ipſam aliquandò calefaceret quod apertè negant omnes ſapientes, igitur cum ei accidit, vt ineficaci reflexione reflectatur, veluti in preſenti caſu non poteſt calefacere: Hinc ſubterranearum Cellarum Vinariarum Aerem, ianuis & feneſtris æſtate media patentibus, & Luminoſum vnaquè & frigidum eſſe experimur. Illvd Vnvm enucleandum ſupereſt, an ſcilicet modus ille refrigerandi cubiculorum aerem, irrigando illorum Pauimenta, qui aqud omnes ferè, & propemodum, vbiquè eſt in vſu, ſalutaris ſit, & repræhenſione vndequaquè carens: Dicimvs ex quo cubicula omnia ſunt, vel fornicata, vel contignata, quæ fornicata, vel ſua in inferiori parte tantum, aut in ſuprema, vel in ambabus, quod & de contignatis verificatur; Adhuc vtraquè ſita, vel inferiori, vel in media, vel in ſuperiori domorum parre, feneſtræ quorum ſunt, aut orientales, aut ſeptemtrionales, aut meridionales: Quorum & irrigatio poteſt eſſe excedens (haud ſiquidem deſunt, qui aeſtate conquerantur, quotieſcunquè illorum pauimenta prorſus contecta continue non videant, Poteſt & eſſe mediocris, aut admodum pauca, Iccirco videtur ſtatuendum, ſi cubicula infima erunt, dupliciquè munita fornice, & feneſtras ſeptemtrionales habeant, & irrigatio ſuperabundans fuerit: Pauca ſunt fortè, quæ ſanitati aduerſa magis ſint; Eo præſertim, ſi temporis diuturnitatem, qua in cubiculis commoramur attendere velimus: Quid enim non poſſunt fornices aduerſus corporum incolumitatem? In ipſa frigiditatem continuè reuerberando, naturæ tantopere aduerſam, à materia, ex qua extructæ ſunt emanantem, vnaquè & vaporum in cubiculis met à tot cauſsis, ſat ſuperquè vnicuiquè vel mediocriter erudito, notis, continuè productorum, exitum prohibendo, ſummam ob

carum-

earumdem ſtructuram neceſſariam denſitatem? Quid non ſeptemtrionales feneſtræ? & maximè cum propè terram fuerint, & adhuc maximè ſi cubicula alijs feneſtris illis ex oppoſitò reſpondentibus caruerint? Nam quamuis ſalutares flatus admittant, ſolem attamen minimè, conſeruationis parentem, At reliquis poſthabitis, quid non poteſt ſola irrigatio, cum ſuperabundans, & continua fuerit? Inter extrinſecas cauſas hominem in primis diſponit ad putridas febres, primò quoniam vt inquit Galenus, humiditas aeris cum frigiditate coniuncta corporum tranſpirationem prohibet: Et humiditas ſola eodem auctore, quatenus humorum in corporibus ſuperabundantiam exſiccari non ſinit, vim adiuuat putrefacientem, & quod maximi eſt momenti cum thoracas impleat, hominem ad conuulſionem deducit eodem teſte; Quod & efficacius longè præſtat, ſi humiditas ipſa in loco non perflato incluſa ſit, veluti in cubiculis. Ex aduerſo nihil nocebit, ſi cubicula ipſa altiora fuerint, ſubquè, ac deſuper contignationes habentia, feneſtræ meridionales, & aquæ aſperſio irrorationi erit proximior, quàm irrigationi: QVIBVS conſtitutis extremis, Arduum haud erit dignoſcere, quantum inuicem coniunctæ mediæ conditiones iuxta maiorem, minoremuè acceſſum, aut receſſum ad alterum dictorum extremorum detrimenti ſint allaturæ. Illud minimè ſilentio prætereundum Galenum tam ſobriè in cubiculorum pauimentis madefaciendis incedere, Vt in affectibus præter naturam, illud alioqui maximopere expoſcentibus quaſi reformidet, Tantum abeſt vt in cuſtodia ſanitatis, alicui illius vſus vnquam ſit author: Veluti apud ipſum videre eſt, vbi ſermonem habens de curatione illorum, qui ob ſudoris multitudinem animi defectum patiuntur, quorum cutis adſtringenda eſt, atquè refrigeranda; Ventis refrigerantibus aditum præbendum eſſe præcipit, domuſquè aerem, vna alterandum frigida, atquè

lib. 9. methodi cap. quinto.

In 3. libro Aphoris. cōmē. xj.

In 6. Aphor. lib. cōmē. 39.

In p. libro ad glauco. cap. 14.

atque adſtringenti qualitate, myrtorum folijs vitium capreolis, ac roſis pauimentum eſſe conſternendum iubet, ad validiora non pertranſiens. ET quod rem continet, vbi de curatione febris Hecticæ agit, cuius ſumma tàm ijs, quæ intra ſumuntur, quàm ijs, quæ extrà admouentur in valde, ac continuè refrigerando, ac humectando collocatur, inquit, calidiſsimum aerem refrigerare, qui ſcilicet in æſtate calida, & ſicca accidit, eſt tentandum, ſubterraneas domos eligendo, maximè perflatas, & ad ſeptemtrionem verſas, tum auris quibusdam ſuauibus, opera noſtra paratis, alias ex euripis, in quo ſe deijciant multi aquarum fontes: Alias aqua frigida de vaſis in vaſa transfuſa: Præterea domo aqua, quæ prorſus frigida ſit aſperſa, ac roſis humi pluribus fuſis, aut vitium capreolis, aut ruborum ſummitatibus, aut lentiſci ramis, aut denique reliquorum, quæ refrigerant, ſtirpium aliquibus, veluti arundines, quibus (vti Virgilius atteſtatur) etiam Veteres vtebantur: Ait enim.

In x. libro methodi medendi cap. 8.

In Copa.

Sunt cuppæ, calices, cyathi, roſa, tibia, chordæ,
Triclinia, vmbriferis, frigida arundinibus.

Ex quibus patet ipſum non excedere aſperſionem aquæ, aſperſa quoniam protinus, propriam formam amittit, extenuata, ſolutaque calore aeris, aer efficitur: Immò, quotieſcunque in calore non admodum ipſe excedit, refrigerantium omnium, etiam propoſitorum vſum prorſus interdicit: Hiſce verbis: At ſi quis modicè frigidus eſt, hoc eſſe contentos oportet, nihil aut machinantes, aut de temperie eius alterantes. RASIS Pariter inter Arabes admirandum, in Cubiculorum madefactione valde ſobriè inceſsiſſe elicitur, dum vagante peſte in Autumno, quotieſcunque ille calidus ſiccuſque fuerit & multum puluerulentus, ratione cuius, tùm enecantis morbi vagantis, tùm Conſtitutionis, & ratione ſui, & ratione inmediatè illam præcedentis, Aer ſi vllo

in caſu

In caſu, ſumma alteratione indiget, iubet ille Manſiones infrigidandas humectandasquè ſolùmodò eſſe pannis craſſis aqua aſperſis, atquè appenſis, & aqua in domus pauimento roratione. At eſt difficultas quid per ſubterraneas domos intelligat Galenus: Nam quod non infima domorum cubicula, quantumcunquè in latitudine aliorum omnium frigidiora ſint, tùm quia terræ humiditatem contribuenti proximiora, & à ſolaribus radijs minus percuſſa, aſcendentesquè à ſubterraneis locis flatus, facilius ſuſcipientia: Quia ſubterranea, hæc non ſunt, Galeniquè proprium eſt propriè loqui: Quod non pariter talia, quales ad vnguem ſunt Cellæ noſtræ vinariæ ſubterraneæ, inde conſtat, quoniam tantum abeſt vt ægrotans aliquis quacunquè etiam læui ægritudine illas habitans ab ea euadere poſſet, vt potius & ſani, & robuſti in multas citiſsimè nec niſi procul dubio lætales inciderent: Nam error iſte excederet Troglodytarum errorem Cauernas in meridie ſubire aſſuetorum Plinio teſte: Ergo de ſubterraneis ſalutaribus intelligit, Quorum duo genera inuenio; Primum quorum à Vitruuio hiſce verbis deſcribitur, . „ Phryges vero qui campeſtribus locis ſunt habitantes, propter inopiam ſyluarum, egentes materia eligunt tumulos naturales, eoſquè medios foſſura exinanientes, & itinera perfodientes, dilatant ſpacia, quantum natura loci patitur. Inſuper autem ſtipites inter ſe religantes metas efficiunt, quas Arundinibus & ſtramentis tegentes exaggerant ſupra habitationes maximos grumos è terra: Ita hyemes calidiſsimas; æſtates frigidiſsimas efficiunt tectorum ratione. Morem huiuſmodi in Germania quibuſdam in locis ſe videſſe teſtatur Daniel Barbarus noſtra tempeſtate, tanta diligentia in vſu poſitum, vt Caſæ non factæ ſed quaſi natæ videantur: At de his non poteſt Galenus intelligere, quoniam veluti tempore Vitruuij, Phrygijs vtpotè campeſtibus hominibus inſeruiebant,

in 4. lib. ad Almanſorem cap. 15.

In 2. libro cap. p.

in cōmento iſtius cōtextus.

uiebant, ita & noſtra ætate nonniſi campeſtribus Germanis inſeruiunt: Et quia Galenus de cura nobilium hominum, vel ad minus illorum, agit qui nonniſi nobiles locos habitabant, iccirco rationi conſonum eſt ipſum de ſubterraneis illis Porticibus intelligere, quibus Romani veteres vtebantur & greca voce ὑπογαια. nuncupabant, quæ quamuis ſub terra magna ex parte ſita eſſent vſqueadeo tamen à ſolaribus radijs, ſtatutis quibuſdam horis, per ſupernas feneſtras ingredientibus humidum illorum ſolum corrigebatur, vt conferre plurimum in caſibus ab ipſo Galeno traditis poſſent, & nocere nihil: Illorum Vnum in Agro capuano etiam ætate noſtra prope nobile Anphitheatrum, ferè integrum cernitur, cuius feneſtræ, quæ ſuperne cœlum ſpectabant terra obturatæ ſunt, veluti mihi illud ſedulò, extrà intuſquè alias aſpiciens, etſi à varijs tum rebus, Tùm Illuſtribus preſentibus Viris, illius ope egentibus diſtractus, narrauit, Acerrimus inimitabiliſquè rerum omnium, quauis ratione inuolutarum inueſtigator, Perilluſtris ADOVARDVS GVALANDVS REVERENDISSIMVS CAESENAE EPISCOPVS. Ratio autem hæc vitandi calorem non poteſt non vbiquè probari, & potiſſimum vbi Aer maximè æſtuat ſolumuè aridum valdè eſt, ac Cineritium vti in Campania. Non defuerunt loci apud Veteres, qui & ſummè refrigerabantur veluti in Latio propè Romam adhuc extat fornix lateritio opere conſtructa in quam à meridie fons excipitur interiorem illius planitiem circumfluens, necnon & latera, per euripos à terrra elatos duorum circiter cubitorum ſpacio: Aedificium autem Boreæ expoſitum eſt à cæteris lateribus omnino clauſum, in medio cuius eſt amplum ſpacium, vbi veriſimile eſt veteres illos menſam æſtuante aere parare coſueuiſſe. Fuerunt & excogitata Cubicula, in quibus ad libitum aqua mira arte impluens illa mirificè humectat, frigefacitquè, veluti videre eſt, in admirando

Palatio

Palatio PRATOLINI ipſius SERENISSIMI MAGNI DVCIS HETRVRIAE; quamuis inuentio illa excogitata ſit, vt Viſui potius quàm tactui voluptatem afferat, & hac in re veluti in tot alijs, nec niſi admirandis, noſtra hac ætate, eo vſquè proceſsit hominum ingenij Perſpicacitas atquè induſtria, vt eorum quidam, Coriacea quædam Cubicula conſtruxerint, pro parte in aquis ad libitum demērſa perſiſtentia, aeremquè intus illa exiſtentium reſpirationi inſeruientem, ab eminentioribus quibuſdam Tubulis ſupra aquam extantibus haurientia: De quibus plura verba facienda non ſunt, cum ad eas res tantum cogitationes noſtras retulerimus, quibus vel hominum omnes, vel ſaltem illorum pleriquè vti poſſunt.

*

TERTII ET VLTIMI LIBRI, NICOLAI MASINII PHILOSOPHI ET MEDICI CAESENATIS, DE GELIDI POTVS ABVSV.

FINIS.



De Superiorum Licentia.

C AE S E N AE. Anno M. D. LXXXVII.

Bartholomæus Rauerius excudendum curabat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cav. G. DI GIACOMO
Restauro del Libro Antico
PE[illegible]IA
1471